






BIBLIOTHÈQUE
CLASSIQUE LATINE,

OU

COLLECTION

DES AUTEURS CLASSIQUES LATINS,

AVEC DES COMMENTAIRES ANCIENS ET NOUVEAUX, DES INDEX COMPLETS, PORTRAITS, CARTES, ETC.;

Dédiée

A S. M. CHARLES X,

Destinée par ses Ordres aux Études

DE S. A. R. M[GR] LE DUC DE BORDEAUX,

Et publiée

Par NICOLAS ÉLOI LEMAIRE,

PROFESSEUR DE POÉSIE LATINE A LA FACULTÉ DES LETTRES, ACADÉMIE DE PARIS.

A PARIS,

DE L'IMPRIMERIE DE FIRMIN DIDOT,

IMPRIMEUR DU ROI ET DE L'INSTITUT, RUE JACOB, Nº 24.

1828.



NAZIONALE
1
5 -E
6
ROMA
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Jules RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OPERA OMNIA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS SECUNDA

SIVE

ORATIONES OMNES

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LE CLERC

RECENSITÆ

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN QUARTUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVIII

PRÆFATIO NOVI EDITORIS.

Quum nostra hæc Tullianarum orationum editio plus quam medium cursum transegerit, et brevi in ipso fine sit acquietura, operæ pretium facturos legentibus nos arbitramur, si paullisper hic, emensum curriculum relegamus, et in primis quid hoc tomo quarto sit profectum respiciamus. Quamquam enim felici fato nobis contigit, ut, quidquid studentibus adjumento esset, in unum congestum eis suppeditare, et erutas e Germanicis Anglicisve capsis opes offerre licuerit; nescio tamen an plura umquam auxilia, plura quæ gravibus et literarum amantissimis viris digna essent, eorum oculis fuerint proposita, quam quæ hoc in volumine continentur. Præterquam enim quod Garatonii, Schützii, Beckii editionibus, ut in ceteris voluminibus, uti licuit, accessere etiam, quod ad Plancianam attinet, secundæ Garatonii ejusdem doctissimi viri curæ, quæ, quum mira arte auctæ et tractatæ, tum eo præsertim nomine commendantur, quod præstantissimi viri Gasp. Orellii Turicensis professoris adnotationes habeant. Quem librum, ut ingenti doctrinæ varietate refertum, nec omnino notum, ut qui sit recentior, magna ex parte exscripsimus, et quam plurima quæ ad sermonem, historiam, antiquitatem, aut codicum fidem pertinebant, inde hausimus et expressimus. Quæ nos eo magis adjuvere, quod in Planciana permulta adhuc depravatissima codices tradidere, nonnullaque etiam resident, quæ, conjecturis innixa fallacibus, certiorem medicinam efflagitent.

Fuit etiam alio et majore auxilio ad plerasque hujusce voluminis orationes uti, invento nempe Mediolani vetere scholiaste, quem quamvis Asconium esse doctissimus vir Niebührius merito negaverit, nemo tamen diffitebitur, vetustissimæ eum esse antiquitatis.

Quum enim deperditarum Ciceronis orationum fragmenta complura in Ambrosiana Mediolani bibliotheca perdiu delituissent, exstitit vir acutissimus, Angelus Maius, qui abdita in antiquis palimpsestis codicibus, aliisque impositis scriptionibus obruta mira arte et diligentia erueret, et in communem usum proferret. Quem inventa sua narrantem audiamus licet: « Scrutanti mihi Ambrosianæ bibliothecæ forulos antiquissimum codicem occurrisse aio, quem quum diligentius, tantæ vetustatis aspectu perculsus, considerarem, sensi protinus esse unum ex iis qui palimpsesti vocantur. Atque hic originem tanti codicis altius repetere non ingratum fore lectoribus arbitror. Inter Apenninos montes in Liguria ad locum qui Bobium etiam antiquitus nuncupatus fertur, divus Columbanus anno post Christum natum 612 monachorum claustrum fundavit. Ea porro familia non morum tantummodo sanctimonia, verum etiam literarum scientiarumque studio, quantum tempora patiebantur, insignis evasit (1). Ei cœnobio studiisque monasticis præfuit sæculo post Christum decimo Gerbertus Gallus, qui deinde romanam sedem cum Silvestri II nomine tenuit, vir temporibus suis plane superior, mathematicæ, rhetoricæ, musicæ, medicinæ, omniumque pæne disciplinarum prudentissimus (2). Quum igitur illud monasterium in mediis Italorum tenebris aliqua literarum luce collustraretur, librorum supellectile carere non potuit. Bobiensis bibliothecæ catalogum sæculo fortasse decimo scriptum Ludovicus Muratorius publici juris fecit (3): in quo bene longo indice non rei sacræ solum scriptores, verum etiam grammaticos, historicos, oratores, poetas, et reliquæ profanæ literaturæ auctores non paucos deprehendes. Jam vero ineunte sæculo decimo septimo, quum Federicus Cardinalis Borro-

(1) Tiraboscus, *Storia della lett. ital.* edit. Mutin. 1787, t. III, 131.
(2) Idem eodem tomo, pag. 261.
(3) Antiquit. Ital. med. æv. tom. III, dissert. 43, pag. 818.

mæus, cujus immortale nomen nulla umquam oblivio delebit, Ambrosianam bibliothecam infinito sumptu fundaret, eamque conquisitis undique libris locupletaret, ad Bobienses in primis codices animum intendit, missisque largis muneribus ita feliciter rem transegit, ut, quidquid bonæ frugis in eo pervetere lyceo latebat, ad suos Ambrosianos pluteos sevocarit.

« In his igitur ego codicibus, qui Bobienses inscribuntur, unum deprehendi, in quo Sedulii Christiani poetæ opera edita continentur, quem quum acutissima oculorum acie lustrarem, et sub posteriore scriptura priorem rimarer; o Deus immortalis, repente clamorem sustuli, quid demum video! En Ciceronem, en lumen romanæ facundiæ indignissimis tenebris circumseptum! Agnosco deperditas Tullii orationes, sentio ejus eloquentiam ex his latebris divina quadam vi fluere, abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Tituli quoque operum in margine codicis sese paullatim aperuerunt. Atque hic ego quantis lætitiis incessi, quum partes ingentes ineditas trium Ciceronis orationum deprehendi, pro Scauro nimirum, pro Tullio, et pro Flacco? Grandibus et pulcherrimis literis ea constat scriptura, et in tria latercula unaquæque pagella distinguitur. Tum oratio pro Scauro elegantissimis scholiis stipatur, quorum alia literis quadratis vetustissimis, etsi minutioribus, exarata sunt, alia rudioribus quidem, sed eadem tamen antiqua, atque ab eodem, ut plane videtur, auctore profecta.

« Et codex quidem in præsenti est formæ quæ dicitur in-8°, quia monachus Sedulii scriptor folia complicuit: quibus iterum explicitis, ad antiquam formam in-4° liber redit. Jam ex his foliis ita restitutis sex habent partem orationis pro Scauro cum scholiis, tria et dimidium pro Tullio, unum pro Flacco. Unum etiam particulam exhibet orationis Tullianæ pro Cœlio, quæ quum tota sit edita, nihil nobis reliquum fuit, nisi ut varias aliquot lectiones ex tam antiqua membrana proferremus. Jam quo definite

sæculo prima Ciceronis scriptura in codice fuerit exarata, quis indubia conjectura pronuntiet? Ipsa recentior Sedulii scriptura miram sapit antiquitatem: et tamen inter se quantum hæ differunt! Certe hic Sedulii codex ante sæculum decimum in Bobiensibus pluteis exstitisse videtur. Namque in illo catalogo, quem superius diximus a Muratorio editum, quatuor Sedulii libros videre est. Atqui hic, de quo loquimur, bis scriptus codex quatuor scilicet etsi mutilos continet Sedulii libros. Ergo hunc codicem jam inde a vetustissima ætate Bobienses monachi possederunt: quin et iidem, ut credibile est, jam antiquis Ciceronis membranis alteram scripturam obduxerunt, summumque oratorem cum poeta non bono commutaverunt. Verum temporibus barbaris irasci quid interest? Nostræ potius gratulemur ætati, cui Deus optimus maximus hanc laudem tribuit, ut hi præstantissimi humanæ mentis fœtus ab oblivionis latebris nunc demum emergerent.»

Valde autem præclaræ ac novæ ex hoc novo interprete notitiæ accedunt. Absolvitur, illo docente, controversia, quis prætor Archiæ causam judicaverit; quum Quintum Ciceronis fratrem præfuisse nunc sit compertum: et, ut cetera taceam, nobilissimum tunc primum editur C. Gracchi fragmentum, ut vetustate, ita dicentis ingenio maxime venerandum. Illas ergo adnotationes unicuique orationi supposuimus, et justæ tum primum Ciceronis editioni conjunximus. Verum ne diutius in hoc limine commoremur, ferme nihil de quatuor orationibus addemus, quæ Ciceroni a Marklando et Wolfio abjudicantur, a Gessnero et Weiskio defenduntur; de controversia hac fusius in ipso orationum harum aditu diximus; quam disputationem ex doctissimi viri J. V. *Le Clerc* excursu plerumque depromptam si adeat lector, sententiam de tota hac causa facile laturum eum speramus; qui nobis utinam faveat, nostroque aspiret labori!

M. TULLII CICERONIS
ORATIO
PRO P. SULLA

ARGUMENTUM.

P. Cornelius Sulla A. U. 687, cum P. Autronio Pæto consul designatus a L. Torquato filio lege Calpurnia de ambitu accusatus et consulatu dejectus est. Eorum loco A. U. 688, consulatum gesserunt L. Aurelius Cotta, et L. Manlius Torquatus, illius adolescentis pater. Itaque Cic. de Finib. II, 19, hic adolescentulus dicitur consulatum P. Sullæ eripuisse et ad patrem transtulisse. Tum Sulla denuo A. 691, Silano et Murena coss. accusatus est ab eodem Torquato filio, quod conjurationis Catilinariæ socius fuisset. Et quoniam bis conjuratum erat a Catilina, Hortensius et Cicero P. Sullæ defensionem sic inter se partiti sunt, ut ille eum a prima, Cicero autem ab altera conjuratione abfuisse demonstraret.

In exordio Cicero se ipsum defendit, quod causam Sullæ contra Torquatum susceperit; id quod accusator ei vitio verterat. Non enim se solum, sed alios quoque clarissimos viros ejus causæ favere; Hortensium non dubitasse, quin innocentem defenderet; aliorum etiam, qui salvum Sullam velint, summorum virorum studio ac dignitate hoc judicium celebrari. Eos qui vere conjuraverint, nec a se, nec ab aliis fuisse defensos. Et quum duas Torquatus conjurationes constituerit, unam quæ Lepido et Volcatio coss. facta esse dicatur, alteram quæ Cicerone consule fuerit, adversus prioris conjurationis crimen Sullam defensum esse ab Hortensio, qui ejus conjurationis suspiciones propius cognoverit, et particeps consiliorum Torquati patris fuerit. Sibi igitur has esse partes impositas, ut Sullam a crimine maximæ conjurationis se consule factæ defendat, cap. 1-4. Et quod Torquatus mirari se dixerat, quod Cicero Autronio defuerit, Sullam defendat, ostendit utriusque causam prorsus diversam esse, 5, 6. Deinde quod Torquatus se regnum Ciceronis ferre posse negaverat, eumque peregrinum appellaverat, Cicero se nec regem esse, nec peregrinum docet, 7-9. Deinde ipsum Torquatum reprehendit, quod suppressa voce et leniter de conjuratione, de supplicio P. Lentuli magna et queribunda voce dixisset; quum nihil magis alienum sit ab eo, qui alterum conjurationis accuset,

quam videri conjuratorum pœnam mortemque lugere. Tum illud vel maxime reprehendendum esse dicit, quod Torquatus arbitretur plebi romanæ res eas non probari, quæ se consule omnes boni pro salute communi gesserint. Itaque excurrit in laudes rerum a se in consulatu adversus Catilinam gestarum, idque se coactum a Torquato, quod in se esset oratione sua invectus, facere ostendit, 10-12.

Tum accedit ad ipsam causam et Torquati criminationes diluendas. Primum ille dixerat ab Allobrogibus nominatum esse Sullam. Cicero demonstrat in eorum indicio nihil esse, quod sit in Sullam criminosum, 13. Deinde Torquatus dixerat, Ciceronem aliter ac dictum fuerit in tabulas publicas retulisse; quam calumniam Cicero graviter retundit, 14-17. Tum refutat id quod ille dixerat Sullam ab ejus Cornelii, qui inter socios Catilinæ fuerat, filio accusari, 18, et gladiatores ab eo ad cædem et tumultum emptos esse, ubi ostenditur Sullam hos ad munus edendum emisse, 19. Porro Torquatus dixerat Sittium a Sulla in ulteriorem Hispaniam missum, ut eam provinciam perturbaret. Cui Cicero respondet Sittium ante conjurationis suspicionem profectum esse ob necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniæ rege contracta, 20. Jam vero quod Torquatus subjecerat Pompeianos, h. e. oppidi Pompeiorum incolas esse a Sulla impulsos, ut ad conjurationem Catilinariam accederent, id cujusmodi sit negat Cicero se intelligere posse. Neque enim conjurasse Pompeianos, neque Sullam eos a colonis disjunxisse, ut hoc discidio facto posset eos in sua potestate habere. Tum quod Torquatus objecerat, L. Cæcilium, 21, Sullæ fratrem, in ejus gratiam legem ferre voluisse de minuenda ambitionis pœna; Cicero demonstrat hanc legem paucos dies propositam, ferri cœptam numquam esse, 22, 23. Denique quod Torquatus ex epistola Ciceronis ad Pompeium de suis rebus gestis scripta crimen aliquod in P. Sullam quæsiverat, id nullam prorsus vim habere ostendit, 24.

Jam criminibus dissolutis Cicero de Sullæ vita ac moribus dicit, ejusque animum in rempublicam, constantiam vitæ, dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis collaudat, excusat etiam vulnus damnatione de ambitu acceptum, 25-27.

Et quoniam Torquatus quæstiones ac tormenta servorum minatus erat, Cicero se quidem in iis nihil periculi suspicari, tormenta tamen plerumque veritati loci nihil relinquere, et quæstionem potius de vita Sullæ, quam quæstionem de servis per tormenta habendam esse ostendit, 28. Magnum vero Sullæ præsidium esse debere in virorum consularium auctoritatibus et suo ipsius testimonio, 29, 30.

Postremo testatur deos se integro animo ac libero P. Sullæ causam defendere, 31; eumque judicum mansuetudini et humanitati commendat, 32.

Absolutum esse P. Sullam constat; anno 699 enim Gabinium de ambitu accusavit. Epp. ad Q. Fratr. III, 3.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO P. SULLA.

ORATIO QUARTA ET VICESIMA.

I. Maxime vellem, judices, ut P. Sulla [1] et antea dignitatis suæ splendorem obtinere [2], et, post calamitatem [3] acceptam, modestiæ fructum aliquem potuisset percipere [4]: sed, quoniam ita tulit casus infestus [5], ut amplissimo honore [6], quum communi ambitionis invidia [7], tum singulari Autronii odio everteretur [8], et in

I. 1. Olivet. post Vict. et Lambin. *Sylla*. Et sic MS A. Maii Ambrosianus. J. V. L.

2. *Obtinere*. Edd. vett. it. Grævius *obtineret*, et sic MSS Dresd. Franc. IV Oxon. al.

3. *Et post calamitatem*. Id est, post damnationem de ambitu. P. Sulla ut hanc calamitatem ferret modestius, Neapolim se contulit, ibique aliquantulum commoratus est.

4. *Modestiæ fructum... percipere*. Quia modeste calamitatem tulit, vellem maxime, ut inimici contenti essent damnatione ejus, nec iterum eum accusavissent.

5. *Ita tulit casus infestus*. Ita voluit adversa fortuna, quæ ei instabat.

6. *Amplissimo honore*. Id est, consulatu. MSS et edd. « amplissimo in honore ». Recte Ernest. præpositionem delevit. Sulla consul jam designatus hoc honore *eversus*, i. e. *dejectus est*.

7. *Communi ambitionis invidia*. Non propria culpa, sed communi eorum odio, qui malis artibus, ambitu præsertim, honores adipiscuntur.

8. *Singulari Autronii odio everteretur*. Id est, odio in Autronium. P. Autronius Pætus, propter improbitatem, nequitiam, et cum Catilina societatem, omnibus erat odio. Quia

his pristinæ fortunæ[9] reliquiis, miseris et afflictis, tamen haberet quosdam[10], quorum animos ne supplicio[11] quidem suo satiare posset; quamquam ex hujus incommodis magnam animo molestiam[12] capio, tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus[13], in quo viri boni lenitatem meam[14] misericordiamque, notam omnibus quondam, nunc, quasi intermissam[15], agnoscerent; improbi ac perditi[16] cives, redomiti atque victi, præcipitante[17] republica, vehementem me[18] fuisse, atque fortem; conservata, mitem ac misericordem faterentur. Et quoniam L. Torquatus[19], meus familiaris ac necessarius, judices, exi-

Sulla simul cum illo consul designatus erat, existimatus est Autronii culpæ affinis, et quum ambo eadem lege interrogarentur, æquum non visum est ut, altero damnato, alter absolveretur.

9. *Pristinæ fortunæ.* Quum esset consul.

10. *Haberet quosdam.* Torquatum filium, qui ægre ferens publicari se Sullæ consulatum eripuisse, ut illum suo patri daret, Sullam Catilinario crimine insimulavit.

11. *Ne supplicio.* Pœna consulatus amissi.

12. *Molestiam capio.* Capere detrimentum, dolorem, lætitiam, voluptatem dicere solet. — *In ceteris malis.* I. e. inter cetera mala.

13. *Patior oblatum mihi tempus.* Occasionem.

14. *Lenitatem meam.* Cicero reipsa natura fuit lenis; vere doctus non potest esse crudelis.

15. *Nunc quasi intermissam.* Quia severe contra Catilinam ejusque socios decrevit. Si ita non egisset, non lenis, sed imbecillis haberetur. — *Agnoscerent.* Id est, recognoscerent. Nova enim cognoscimus, agnoscimus vetera, quæ jam cognovimus.

16. *Improbi ac perditi cives.* Ii præsertim qui in conjuratis fuerunt, aut cum iis senserunt. — *Redomiti.* Forte, re domiti. Nonnulli scribunt, *edomiti.*

17. *Præcipitante republica.* Id est, ruente.

18. *Vehementem me.* Id est, severum; opponitur *miti*, ut « fortis misericordi ». Cicero ait, de Offic. I, « id est, viri magni, rebus agitatis, punire sontes, multitudinem conservare ».

19. *Et quoniam L. Torquatus.* Sumpsit orator hunc locum ex oratione Demosthenis pro Ctesiphonte, sub init. « Quod si Æschines ea solum, quæ in accusatione præscripsit, tractasset, ego quoque de ipso senatusconsulto statim respondissem : quoniam autem ceteris recensendis non pauciora verba fecit, et in me pleraque mentitus est, simul et necessarium et justum esse puto, ut paucis, de his primum dicam ».

stimavit, si nostram in accusatione sua necessitatem[20] familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate meæ defensionis[21] posse detrahere : cum hujus periculi propulsatione[22] conjungam defensionem officii mei. Quo quidem genere non uterer orationis, judices, hoc tempore, si mea solum interesset. Multis enim mihi locis et data facultas est, et sæpe dabitur, de mea laude dicendi. Sed, ut ille[23], judices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de hujus præsidiis[24] deminuturum[25] putavit : sic hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis, constantiamque hujus officii ac defensionis probavero[26], causam quoque me P. Sullæ probaturum.

Ac primum abs te illud, L. Torquate, quæro, cur me a ceteris clarissimis viris[27], ac principibus civitatis, in hoc officio atque in defensionis jure secernas.

20. *Necessitatem.* Necessitudinem hac in re Cicero dicit sæpius. « Necessitas, inquit A. Gell. lib. XIII, pro jure officioque observantiæ affinitatisve infrequens est ». — *Familiaritatem violasset.* Id est, si in Sulla accusando me vituperasset.

21. *De auctoritate meæ defensionis.* Illud in agendis causis præcipuum est, ut orator sit et habeatur vir bonus; proximum ut saltem habeatur. Quum igitur orator a defensore adversæ partis vituperatur, ejus auctoritas diminuitur, nec jam habetur judicibus vir bonus. Itaque solet Cicero in defensionibus, si quid ab accusatore contra auctoritatem suam dictum sit, id post prooemium, et ante causæ defensionem refutare. Id ut hoc loco, ita pro L. Murena facit.

22. *Cum hujus periculi propulsatione.* Id est, cum Sullæ defensione. — *Conjungam defensionem officii mei.* Id est, officium meum defendam, quod L. Torquatus reprehendit.

23. *Ut ille.* L. Torquatus. — *Deripuisset.* Ita codices Memm. Franc. alii ed. Lamb. Græv. etc. Olim *diripuisset.* Cujus non eadem est significatio.

24. *De hujus præsidiis.* Id est, de Sullæ defensione.

25. Abest *putavit.* Aliquot edd. *speravit.* Utrumque omittunt Gruter. Græv. etc. J. V. L.

26. *Probavero.* Id est, fecero ut approbetis.

27. *A ceteris clarissimis viris.* Cn. Hortensio, aliisque qui P. Sullam defendunt. Cum multis Cicero causam suam conjungit, ut ostendat, quod illi multi non reprehenduntur, factum suum reprehensione indignum esse. Ciceroni autem crimini dabat Torquatus, quod P. Sullam de conjuratione defenderet, quum ejus conjurationis vindex fuisset.

Quid enim est, quamobrem abs te Q. Hortensii factum[28], clarissimi viri atque ornatissimi civis, non reprehendatur, reprehendatur meum? Nam si initum est consilium a P. Sulla inflammandæ civitatis, hujus exstinguendi imperii, delendæ Urbis, mihi majorem hæ res dolorem[29], quam Q. Hortensio, mihi majus odium afferre debent? meum denique gravius esse judicium[30], qui adjuvandus in his causis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deserendus[31] esse videatur?

II. Ita, inquit: tu enim investigasti, tu patefecisti conjurationem. Quod quum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. Quare ista conjuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi. Quem quum videas, hoc honore, auctoritate, virtute, consilio præditum, non dubitasse, quin innocentem P. Sullam defenderet: quæro, cur, qui aditus ad causam Hortensio patuerit, mihi interclusus esse debuerit. Quæro illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse, quid tandem de his existimes summis viris et clarissimis civibus, quorum studio et dignitate celebrari hoc judicium[1], ornari causam, defendi hujus innocentiam vides. Non enim

28. *Q. Hortensii factum.* Id est, Sullæ defensio. — *Clarissimi viri atque ornatissimi civis.* Græv. « clariss. atque orn. viri ».

29. *Mihi majorem hæ res dolorem.* Quia consul in cives impios animadverti, et hujus puniendi criminis cura magis ad me, quam ad quemquam alium pertinet.

30. *Gravius esse judicium.* Id est, num mihi gravior impendenda est cura, ut judicem quem adjuvare debeam, quem oppugnare, quem defendere, quem deserere. — *In his causis.* De conjuratione.

31. *Deserendus.* Id est, non defendendus. Patronus enim deserit. Hæc verba non leguntur in Pith. cod.

II. 1. *Celebrari hoc judicium.* Venerant non ut patroni causam acturi, sed ut advocati, reum sua præsentia, suaque auctoritate sublevaturi.

una est[2] ratio defensionis ea, quæ posita est in oratione. Omnes, qui adsunt, qui laborant, qui salvum volunt, pro sua parte atque auctoritate defendunt. An vero, in quibus subselliis hæc ornamenta ac lumina[3] reipublicæ viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris[4], multis meis ac magnis laboribus et periculis, adscendissem? Atque, ut intelligas, Torquate, quem accuses, si te id offendit, quod ego, qui hoc genere[5] quæstionis defenderim neminem, non desim P. Sullæ: recordare de ceteris[6], quos adesse huic vides. Intelliges, et de hoc, et de ceteris judicium meum et horum par atque unum fuisse. Quis nostrum adfuit Vargunteio[7]? nemo: ne hic quidem Q. Hortensius, præsertim qui illum solus antea de ambitu defendisset. Non enim jam se ullo officio cum illo conjunctum arbitrabatur, quum ille, tanto scelere commisso, omnium officio-

2. *Una.* Sola est. Id est, defensio oratoris non est sola quæ adhiberi possit.

3. *Hæc ornamenta ac lumina.* Id est, hos viros clarissimos, etc. — *In his apparere nollem.* Id est, in his subselliis me apparere nollem, quorum opera, hoc est, defensionum laboribus, post ceteros honores, summum consulatus honorem adeptus sum. Qui pronomen *quorum* ad *ornamenta ac lumina reipubl.* referendum putarunt, non animadverterunt Ciceronem sibi nimium derogaturum fuisse, si aliorum virorum clarorum opera se ad consulatum pervenisse dixisset.

4. *In locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris.* Ad primum magistratum, ad nobilem gradum consularis.

5. *Hoc genere quæstionis.* In simili causa, conjurationis scilicet. — *Non desim P. Sullæ.* Defendam P. Sullam. — *Adesse* pro defendere, *abesse* et *deesse* pro deserere, id est, non defendere, sæpe dici invenias.

6. *De ceteris.* Qui senserunt et sentiunt idem, quod ego; neminem enim defenderunt hoc genere quæstionis, nunc tamen huic adsunt. — *De hoc.* P. Sulla.

7. *Vargunteio.* Lucius Varguntelus senator ex conjuratione fuit. Ut Sallustius ait cap. 28, cum Cornelio susceperat Ciceronem domi occidere. At Tullius ipse narrat in Catilin. I, 4, duos equites romanos hoc facinus suscepisse. Ex oratione pro Sulla, cap. 18, patet C. Cornelium unum fuisse, alterum tacuit Cicero.

rum societatem diremisset. Quis nostrum Serv. Sullam[8]? quis P.? quis M. Læcam[9]? quis[10] Cornelium defendendum putavit? quis his horum adfuit? Nemo. Quid ita? quia ceteris in causis, etiam nocentes, viri boni, si necessarii sunt, deserendos[11] esse non putant[12]: in hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam quædam contagio sceleris[13], si defendas eum, quem obstrictum esse patriæ parricidio suspicere. Quid? Autronio nonne sodales[14], non collegæ sui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes, qui sunt in republica principes, defuerunt? immo etiam testimonio plerique læserunt[15]? Statuerant, tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet.

III. Quamobrem quid est, quod mirere, si cum

8. *Servium Sullam.* Servius et Publius Sulla, ambo conjurati, proximi erant P. Sullæ quem defendit Cicero. Qui legunt « quis P. Lentulum », Servium Sullam fratrem esse Publii Ciceronis clientis contendunt. Tunc alterum altero fratre longe nocentiorem ponendum esset. Sallustius eos inter conjuratos cap. 17, P. et Serv. Sullam Servii filios, nullo discrimine nominat. Solvitur nodus, si legeris *quis P.?* Nam ille Publius non potest idem esse quem defendit Cicero; sed plurima alia incerta. Habent multi, inter quos Ernestius, « quis P. Lentulum? »

9. *Quis M. Læcam?* Al. ex al. codd. *Leccam.* M. Porcium Læcam senatorem, cujus in domum conjuratos Catilina convocavit. Vide in Catilin. orat. 1, 4.

10. *Quis Cornelium.* Ex equestri ordine. Ille est qui se Ciceronem consulem interfecturum pollicitus erat.

11. Probabiliôr nobis hæc lectio videtur, a Grutero e MSS Palat. prolata, quam quæ placuerat priscis edd. ipsique Ernest. « non defendendos ». J. V. L.

12. *Esse non putant.* Negat Cicero in libro de Offic. II, « habendum esse religioni contrarium, nocentem aliquando et nefarium impiumque defendere; vult, inquit, hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas ».

13. *Quædam contagio sceleris.* Affinis enim suspicioni est, qui alium conjurationis defendit.

14. *Autronio nonne sodales.* Apparet bis esse damnatum, de ambitu primum, deinde, quod hic significatur, de majestate.

15. *Læserunt.* I. e. contra eum testimonium dixerunt.

iisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in ceteris intelligis abfuisse[1]? Nisi vero me unum vis ferum, præter ceteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate et crudelitate præditum. Hanc mihi tu si, propter res meas gestas, imponis in omni vita mea personam, Torquate, vehementer erras: me natura misericordem, patria severum; crudelem nec patria, nec natura, esse voluit. Denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et respublica imposuit, jam voluntas et natura ipsa detraxit: illa enim ad breve tempus severitatem postulavit; hæc in omni vita misericordiam lenitatemque desiderat. Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas. Simplex officium[2] atque una est bonorum omnium causa. Nihil erit, quod admirere posthac, si in ea parte, in qua hos animadverteris, me videbis. Nulla est enim in republica causa mea propria[3]. Tempus agendi[4] fuit magis mihi proprium, quam ceteris; doloris vero, et timoris, et periculi fuit illa causa communis. Neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alii comites noluissent. Quare necesse est, quod mihi consuli præcipuum fuit præter alios, id jam privato cum ceteris esse commune. Neque ego hoc partiendæ invidiæ[5], sed

III. 1. *Abfuisse.* Veteres dicebant *afuisse.*

2. *Simplex officium.* Id est, unum ab omnibus observatum, ut, videlicet, nemo civis bonus quemquam ex conjuratis defenderit; P. Sullam et Hortensius, et multi viri clarissimi defendant, quod eum in conjuratione sciant non fuisse.

3. *Causa mea propria.* Id est, quam ego solus suscipiam.

4. *Tempus agendi.* In investiganda conjuratione.

5. *Neque ego hoc partiendæ invidiæ, sed communicandæ laudis causa loquor.* Quod dixerim, in opprimenda conjuratione me fuisse principem, et omnes bonos cives fuisse comites, id non dixi, ut mecum invidiam, odiumque malorum civium subeant, sed ut gloriæ fiant participes.

communicandæ laudis causa loquor. Oneris mei partem nemini impertio; gloriæ, bonis omnibus.

In Autronium testimonium dixisti[6], inquit: Sullam defendis. Hoc totum ejusmodi est, judices, ut, si ego sim inconstans ac levis, nec testimonio fidem[7] tribui convenerit, nec defensioni auctoritatem. Sin est in me ratio reipublicæ, religio privati officii, studium retinendæ voluntatis bonorum : nihil minus accusator debet dicere, quam a me defendi Sullam, testimonio[8] læsum esse Autronium. Videor enim non solum studium ad defendendas causas, verum opinionis aliquid et auctoritatis[9] afferre : qua et moderate ego utar, judices, et omnino non uterer, si ille me non coegisset.

IV. Duæ conjurationes abs te, Torquate, constituuntur : una, quæ Lepido et Volcatio[1] consulibus, patre tuo consule designato, facta esse dicitur; altera, quæ me consule. Harum in utraque Sullam dicis fuisse. Patris tui, fortissimi viri atque optimi consulis, scis, me consiliis[2] non interfuisse; scis, me, quum mihi summus tecum usus esset[3], tamen illorum expertem temporum et sermonum fuisse : credo, quod nondum penitus in republica versabar, quod nondum ad propositum mihi finem honoris perveneram[4], quod mea

6. *Testimonium dixisti.* Id dicendi genus ut frequens est, ita « ferre testimonium » nisi vulgo non dicitur.

7. *Fidem tribui.* A vobis scilicet.

8. *Testimonio.* Meo.

9. *Auctoritatis.* Quæ esse debet in eo, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii fuit, et timoris; hæc enim sunt ejusmodi ut ei fides habenda videatur.

IV. 1. *Lepido et Volcatio.* Al. « L. Tullo ». M. Lepido et L. Tullo Volcatio coss. circiter nonas decembris P. Autronius, L. Catilina et Cn. Piso conjuraverunt interficere in Capitolio kal. jan. L. Torquatum et L. Cottam, quum inirent consulatum, ut Autronius et Catilina per vim consules essent. Vide Sallust. Cicero prætor fuit, Volcatio et Lepido coss.

2. *Consiliis.* Quum de priore conjuratione quæreret.

3. *Usus esset.* I. e. familiaritas.

4. *Honoris perveneram.* Id est, ad

me ambitio[5] et forensis labor[6] ab omni illa[7] cogitatione abstrahebat. Quis ergo intererat vestris consiliis? Omnes hi, quos vides huic adesse, et in primis Q. Hortensius : qui quum propter honorem ac dignitatem, atque animum eximium in rempublicam, tum propter summam familiaritatem, summumque amorem in patrem tuum, tum communibus, tum præcipuis patris tui periculis commovebatur. Ergo istius conjurationis crimen defensum[8] ab eo est, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii vestri fuit, et timoris. Cujus in hoc crimine propulsando quum esset copiosissima atque ornatissima oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis. Illius igitur conjurationis, quæ facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur, ego testis esse non potui. Non modo enim nihil comperi, sed vix ad aures meas istius suspicionis fama pervenit. Qui vobiscum in consilio fuerunt, qui vobiscum illa cognorunt, quibus ipsis periculum tum conflari putabatur, qui Autronio non adfuerunt, qui in illum testimonia gravia dixerunt, hunc defendunt[9], huic adsunt, in hujus periculo declarant, se non crimine[10] conjurationis, ne adessent ceteris, sed hominum maleficio, deterritos esse. Mei consulatus autem tem-

consulatum, quem biennio post præturam se dicit adeptum in oratione in Rullum ad Quirites.

5. *Mea ambitio*. Apud Romanos honorum petitio minus ambitionis quam civium existimationis cupidum arguebant. Honores nempe et onus, et merces erant quæ vir bonus optare debebat.

6. *Forensis labor*. Quem in amicis defendendis suscipiebat.

7. *Omni illa*. Magis arridet *alia*. Sin, intelligendum « ab omni illa cogitatione illorum temporum et sermonum », quod minus placet.

8. *Crimen defensum*. Crimen hoc a Sulla removit Hortensius qui interfuit, etc.

9. *Hunc defendunt, huic adsunt*. Scilicet Sullam.

10. *Crimine*. Id est, accusatione.— *Ceteris*, qui conjurationis crimine insimulati sunt. — *Hominum*. Conjuratorum.

pus[11], et crimen maximæ conjurationis a me defendetur. Atque inter nos[12] partitio non est fortuito, judices, nec temere facta: sed, quum videremus, eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum testes esse possemus, uterque nostrum id sibi suscipiendum putavit, de quo aliquid scire ipse[13] atque existimare potuisset.

V. Et, quoniam de criminibus superioris conjurationis Hortensium diligenter audistis, de hac conjuratione, quæ, me consule, facta est, hoc primum attendite.

Multa, quum essem consul, de summis reipublicæ periculis audivi, multa quæsivi, multa cognovi. Nullus umquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullæ literæ pervenerunt, nulla suspicio. Multum hæc vox fortasse deberet valere ejus hominis, qui consul insidias reipublicæ consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset, quum ipse nihil audisse de P. Sulla, nihil suspicatum esse diceret. Sed ego nondum utor hac voce ad hunc defendendum: ad purgandum me potius utor; ut mirari Torquatus desinat, me, qui Autronio abfuerim, Sullam defendere. Quæ enim Autronii[1] fuit causa? quæ Sullæ est? Ille ambitus judicium tollere ac disturbare[2] primum conflato voluit gladiatorum

11. *Mei consulatus autem tempus.* Id est, quod egit Sulla tempore consulatus mei.

12. *Inter nos.* Inter me et Hortensium.

13. *Aliquid scire ipse.* Aberat *ipse* ab edd. Lambin. Gruter. al. Restituit e codd. Franc. et priscis edd. Grævius. J. V. L.

V. 1. *Quæ enim Autronii.* Ostendit causam, cur Sullæ adsit, cur Autronio defuerit.

2. *Judicium tollere ac disturbare.* Tollere, disturbare, rescindere, infirmare judicium, aut rem judicatam, in eadem re dicimus, pro eo quod vulgo dicunt, quassare et annihilare sententiam judicis. Autronius de ambitu damnatus, consulatu excidit: ideo cum Catilina conjuravit.

ac fugitivorum tumultu; deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu. Sulla, si sibi suus pudor ac dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit. Ille damnatus ita se gerebat, non solum consiliis et sermonibus, verum etiam adspectu atque vultu, ut inimicus esse amplissimis ordinibus[3], infestus bonis omnibus, hostis patriæ videretur. Hic se ita fractum illa calamitate[4] atque afflictum putavit, ut nihil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur, nisi quod modestia retinuisset. Hac vero in conjuratione, quid tam conjunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quæ tanta societas ullis inter se rerum optimarum, quanta ei cum illis sceleris, libidinis, audaciæ? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? Quum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque[5] non quæreret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu conjungeretur. Illum Allobroges, maximarum rerum verissimi indices, illum multorum literæ ac nuntii coarguerunt: Sullam interea nemo insimulavit, nemo nominavit. Postremo, ejecto sive emisso[6] jam ex urbe Catilina, ille arma misit, cornua, tubas, falces[7], signa, legiones; ille relictus intus, exspectatus foris, Lentuli pœna[8] compressus, convertit se aliquando ad timorem, numquam ad sanitatem. Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit[9]; ubi

3. *Amplissimis ordinibus.* Id est, senatui et equestri ordini.

4. *Calamitate.* I. e. condemnatione.

5. *Noct. solitudinemque.* In quibus consilia de conjuratione agitarent.

6. *Ejecto sive emisso.* Correctio ad vitandam invidiam.

7. Al. codd. habent *fasces*; al. *faces*. Deinde emendat Ant. Augustin. apud Urs. *signa legionis*; quas enim legiones potuisset Autronius mittere?

8. *Lentuli pœna.* Id est, supplicio. — *Ad timorem.* Cœpit tandem timere, non pœnitere.

9. *Neapoli fuerit.* Ignobile tunc erat municipium, ad voluptates, lautum

neque homines fuisse putantur hujus affines suspicionis; et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum [10] animos, quam ad consolandos accommodatus.

VI. Propter hanc igitur tantam dissimilitudinem hominum atque causarum, dissimilem me in utroque præbui. Veniebat enim ad me, et sæpe veniebat, Autronius, multis cum lacrymis, supplex, ut se defenderem; et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quæstura commemorabat fuisse; multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia. Quibus ego rebus, judices, ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat [1] insidias, deponerem; ut jam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in [2] sedibus meis, in conspectu uxoris meæ ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer. Quæ si de uno me cogitasset; qua mollitia [3] sum animi ac lenitate, numquam mehercule illius lacrymis ac precibus restitissem. Sed, quum mihi patriæ, quum ve-

accommodatum, exigua frequentia, nullisque opibus. Sulla quamquam de ambitu condemnatus, Romæ vitam degere poterat. Lege Bæbia Cornelia de ambitu, lata anno 572 (Tit. Liv. XL, 19), ei jus adeundi magistratus tantum per decem annos adimebatur. Lege Calpurnia lata anno 686, Sulla pecunia multatus est, illique perpetuo publicis muneribus interdictum. Lex Tullia, a consule ipso Cicerone lata, decem annorum addidit exsilium. Plura vide in excursu de Roman. jud. § quæstio perpetua de ambitu. Conf. etiam pro Muren. 3 et 32; pro Sext. cap. 54; in Vatin. cap. 15, et Dion. Cass. XXXVII, 29. »

10. *Calamitosorum*. Damnatorum.

VI. 1. *Quos mihi ipsi fecerat*. Prior Ven. Herv. Manut. et Lambin. « quas ipse mihi fecerat ». Cod. Barb. « quas mihi ipse fecerat ».

2. Lambin. *ædibus*.

3. *Qua mollitia*. Hic in bonam partem accipitur; quamquam ipse in partitionibus oratoriis, mollitiam animi vitium esse, quod lenitatem imitetur, dixerit: « Cernenda sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia... et liberalitatem effusio, et fortitudinem audacia imitatur, et patientiam duritia immanis, et justitiam acerbitas, et religionem superstitio, et lenitatem mollitia animi, et verecundiam temeritas, etc. »

strorum periculorum, quum hujus urbis, quum illorum delubrorum atque templorum, quum puerorum infantium, quum matronarum ac virginum veniebat in mentem; et quum illæ infestæ ac funestæ faces, universumque totius urbis incendium, quum tela, quum cædes, quum civium cruor, quum cinis patriæ versari ante oculos, atque animum memoria refricare cœperat; tum denique ei resistebam, neque solum illi hosti ac parricidæ, sed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri et filio[4], quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat; neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod maleficium in aliis vindicassem, idem in illorum socio, quum scirem, defendere. Atque idem ego neque P. Sullam supplicem ferre, neque eosdem Marcellos pro[5] hujus periculis lacrymantes adspicere, neque hujus M. Messallæ[6], hominis necessarii, preces sustinere potui. Neque enim est causa adversata[7] naturæ, nec homo, nec res misericordiæ meæ repugnavit. Nusquam nomen[8], nusquam vestigium fuerat; nullum crimen, nullum indicium, nulla suspicio. Suscepi causam[9], Torquate, suscepi, et feci libenter, ut me, quem boni constantem semper, ut spero, existimassent, eumdem ne improbi quidem crudelem dicerent.

4. *Marcellis, patri et filio.* Caius uterque cognominabatur. Putant Marcellum patrem eum esse, quem post civilem victoriam, senatu rogante, Cæsar restituit.

5. Aberant hæc verba, « pro... adspicere » : primus lacunam explevit Gruterus ex membranis Erfurt. Omnes dehinc recepere. Idem Gruterus e codd. iisdem addidit verba « nulla suspicio », antea omissa. J. V. L.

6. *M. Messalla.* M. Messalla Niger orator fuit, quem cum M. Marcello Asconius numerat inter Scauri patronos.

7. *Adversata naturæ.* Contraria meæ naturæ, indoli. — *Nec homo.* Id est, Sulla. — *Merces.* Hoc est, negotium ipsum.

8. *Nusquam nomen, nusquam vestigium.* Sullæ.

9. *Suscepi causam.* Id est, defensionem Sullæ.—*Quem boni.* Subaud. cives.

VII. Hic ait se ille, judices, regnum meum[1] ferre non posse. Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui; quo in magistratu non institutum est a me, judices, regnum, sed repressum[2]. An tum[3], in tanto imperio, tanta potestate[4], non dicis fuisse regem; nunc privatum regnare dicis? Quo tandem nomine? Quod, in quos[5] testimonia dixisti, inquit, damnati sunt; quem defendis, sperat se absolutum iri. Hic tibi ego de testimoniis meis hoc respondeo: si falsum dixerim[6]; te in eos dixisse: sin verum; non esse hoc regnare, quum verum juratus dicas[7], probare. De hujus spe tantum dico, nullas a me opes P. Sullam, nullam potentiam, nihil denique, præter fidem[8] defensionis, exspectare. Nisi tu, inquit, causam recepisses, numquam mihi restitisset, sed, indicta causa, profugisset[9].

VII. 1. *Regnum meum.* Id est, nimiam potentiam in republica et in foro. Hoc regnum, præcipue forense, sæpe objecerunt Tullio, quemadmodum ipse olim Hortensio objecerat.

2. Vulg. « sed non permissum », quod Ernest. servavit. Unus MS apud Lallem. « sed repulsum ». J. V. L.

3. Cod. Ambros. *tu.*

4. *Tanta potestate.* Nempe senatus decrevit, « darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet ». Ea potestas per senatum, more romano, magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives; domi militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter, sine populi jussu, nullius earum rerum consuli jus est. Sallust. Catil. cap. 29.

5. *In quos.* Id est, conjurati. *In quos... damnati sunt.* Ut Autronius. Catilinæ conjuratione compressa, de malis civibus quæsitum est, et plurimi condemnati sunt.

6. *Si falsum dixerim; te in eos dixisse.* Id est, respondeo te etiam in eos dixisse. Ambo igitur falsum diximus.

7. *Quum verum juratus dicas. Dicas* non refertur ad Torquatum, ut illud superius, « te in eos dixisse »; sed est modus loquendi, et pro tertia persona hic ponitur, ut sæpissime. Respondeo: Non regnat is qui quum verum juratus dicat, id persuadet hominibus, quod a se dictum est. — *Probare.* Id est, persuadere. Male Grævius *probare* delendum judicat. — *De hujus.* Id est, Sullæ.

8. *Præter fidem defensionis.* Quam clienti patronus præstare debet.

9. *Profugisset.* Id est, patriam reliquisset.

Si jam hoc tibi concedam, Q. Hortensium, tanta gravitate hominem, si, hos tales viros non suo stare judicio, sed meo; si hoc tibi dem, quod credi non potest, nisi ego huic adessem, hos adfuturos non fuisse: uter tandem rex est; isne, cui innocentes [10] homines non resistunt, an is, qui calamitosos [11] non deserit? At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti, quum Tarquinium [12], et Numam, et me tertium peregrinum [13] regem, esse dixisti. Mitto jam de rege quærere: illud quæro, peregrinum cur me esse dixeris. Nam, si ita sum, non tam est admirandum, regem esse me, quia, ut tu vis, etiam peregrini reges Romæ fuerunt, quam consulem [14] Romæ fuisse peregrinum.

Hoc dico, inquit, te esse ex municipio. Fateor, et addo etiam, ex eo municipio [15], unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est. Sed scire ex te pervelim, quamobrem, qui ex municipiis [16] veniant, peregrini tibi esse videantur. Nemo enim istuc M. illi

10. *Cui innocentes.* In adversarium retorquet, quod is io se conjecerat.

11. *Calamitosos non deserit.* Id est, infelicibos opitulatur; illos spoote defendit.

12. *Tarquinium et Numam.* Nomam Pompilium Sabinom, et Tarquioinm Priscum Etruscum Corinthio patre natom.

13. *Peregrinum.* Id est, qui non est civis.

14. *Consulem Romæ.* Nullus enim adhuc consul fuit, qui civis oon esset, nullus peregrinus est; ego igitur primus et solos fui consul peregrinus.

15. *Ex eo municipio.* Id est, Arpioate. — *Unde iterum.* A C. Mario primum, deinde ab ipso Cicerooc liberata fuit Roma. Magna cum gloria Cicero amplectitur municipii sui Arpinatis egregiam nobilitatem, uode et C. Marius exstiterit, bellorum maximorum strenuissimos victor, et ipse, cujos coosulatus ad opprimeodam Catilinæ conjurationem salutaris illuxerit.

16. *Ex municipiis veniant.* Cicero in lib. II de Legibus: « Ego mehercule, inquit, omuibos municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis. Ut ille Cato quom esset Tusculi natus, in populi romani civitatem susceptus est. Itaque quum ortu Tusculaous esset, civitate Romanos, habuit alteram loci patriam, alteram juris ». Municipes proprie dicebantur qui in civitatem romanam recepti, munerum participes fiebaot.

Catoni seni, quum plurimos haberet[17] inimicos, nemo Tib. Coruncanio, nemo M'.[18] Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, quum ei multi[19] inviderent, objecit umquam[20]. Equidem vehementer lætor, eum esse me, in quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non ad maximam partem civium conveniret.

VIII. Sed tamen te a me, pro magnis causis nostræ necessitudinis[1], monendum esse etiam atque etiam puto. Non possunt omnes esse patricii. Si[2] verum quæris, ne curant quidem: nec se æquales tui, propter istam causam, abs te anteiri putant. Ac, si tibi nos peregrini videmur, quorum jam et nomen et honos inveteravit et huic urbi[3], et hominum famæ ac sermonibus: quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse erit, qui jam ex tota Italia delecti, tecum de honore et de omni dignitate contendunt? Quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum[4] suffragiis obruare. Qui, si

17. *Quum plurimos hab. inimicos.* Nam quater et quadragies causam dixit, nec sæpius quisquam postulatus est, ut ait Plin. lib. VII.

18. Addimus nos *M'.* e codice Ambrosiano. Vide Ang. Maium, p. 134, ubi plene « Tiberio Coruncanio ». Al. *T.* Male. J. V. L.

19. *Quum ei multi inviderent.* Præcipue nobiles, quia homo novus erat. Ejus inimici fuerunt L. Crassus, M. Scaurus, omnes Metelli, ut ait Cicero in libro de provinciis consularibus: quis plenior inimicorum fuit C. Mario?

20. *Objecit umquam.* Hi omnes virtute et meritis clari, ex municipiis in urbem venerunt, honoresque summos, quamquam plebeii generis adepti sunt.

VIII. 1. *Pro magnis causis nostræ necessitudinis.* Pro nostra intima amicitia. Illi blanditur, ut gravius mordeat.

2. *Si verum.* Veritatem. — *Nec se æquales tui.* Scilicet plebeii, ætate æquales, non *curant* se esse patricios, quia tum patricii nihil admodum præcipui juris habebant, quum honores etiam plebeiis paterent. — *Propter istam causam.* Quia tu patricius es. — *Abs te anteiri putant.* Gloria et meritis.

3. *Inveteravit et huic urbi.* In hac urbe tamquam plantatus est, et altas egit radices, ut non facile evelli possit.

4. *Peregrinorum.* Municipum, quos appellas peregrinos. — *Suffragiis.* Tibi adversis.

attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum jactationem, et te ex somno sæpe excitabunt[5]; nec patientur, se abs te, nisi virtute vincentur, honore superari. Ac si, judices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium sileretur[6]. Est enim ipse a materno genere municipalis, honestissimi ac nobilissimi generis, sed tamen Asculani[7]. Aut igitur doceat Picentes solos non esse peregrinos, aut gaudeat suo generi me meum ante non ponere. Quare neque me peregrinum posthac dixeris, ne gravius refutere; neque regem, ne derideare. Nisi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias[8]; contemnere omnes libidines; non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere; in senatu sentire libere[9]; populi utilitati magis consulere, quam voluntati; nemini cedere, multis obsistere: si hoc putas esse regium[10], me regem esse confiteor. Sin te potentia mea, si dominatio, si denique aliquod dictum arrogans, aut superbum movet; quin tu id potius profers, quam verbi invidiam, contumeliamque maledicti?

IX. Ego, tantis a me beneficiis in republica positis[1],

5. *Ex somno sæpe excitabunt.* Quia tibi metum incutient ne a se superere.

6. *Hoc vitium sileretur.* Gulielmius, Rubenius lib. I Electorum, cap. 3, inclinant legere *convicium.*—*Sileretur.* Id est, sileri deberet.

7. *Asculani.* Asculum Piceni colonia populo romano invisa, quod initio belli Italici Q. Servilius proconsul cum omnibus romanis civibus, qui in eo oppido erant, occisus est. Vid. Liv. lib. LXXII.

8. *Ulli servias.* Hæc magnanimi viri officia esse, Cicero in libro I de Offic. scribit.

9. *Sentire libere.* Id est, sententiam dicere libere.

10. *Si hoc putas esse regium.* Is enim vere rex est qui cupiditatibus et libidinibus imperat. Horat. od. II, 2, ait: « Latius regnes avidum domando Spiritum, etc. »

IX. 1. *Positis.* Id est, collocatis. Scholiastes ab Ang. Maio editus, huic loco periodum pulcherrimam ex C. Gracchi oratione de legibus promul-

si nullum aliud mihi præmium a senatu populoque romano, nisi honestum otium[2], postularem, quis non concederet? sibi haberent honores[3], sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos, sibi alia præclaræ laudis insignia; mihi liceret ejus urbis, quam conservassem, conspectu, tranquillo animo et quieto frui? Quid? si hoc non postulo; si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operæ, si vigiliæ deserviunt amicis, præsto sunt omnibus; si neque amici in foro requirunt[4] studium meum, neque respublica in curia; si me non modo rerum gestarum vacatio[5], sed neque honoris, neque ætatis excusatio[6] vindicat a labore; si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus; si mihi ne ad ea quidem, quæ pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis; tamen hoc regnum appellabitur? Cujus vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest. Longe abest[7] a me regni

gatis sumptam scribit. Ut pauciora sunt Gracchorum fragmenta, operæ pretium est hocce publicare : « Si vellem apud vos verba facere, et a vobis postulare, quum genere summo ortus essem, et quum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tib. Gracchi familia, nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset; haud scio an lubentius a vobis impetrassem ». Mirum est quidem quanto labore et industria Cicero veteres oratores sit imitatus.

2. *Nisi honestum otium.* Id est, senatus decreto sancitum otiandi privilegium.

3. *Sibi haberent honores.* Eodem modo et in libro de Senectute loquutus est : « Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam, nobis relinquant, etc. » Et in oratione pro Flacco : « Sibi habeant potentiam, sibi honores, sibi ceterorum commodorum summas facultates... liceat iis, etc. »

4. *Requirunt.* Id est, studio meo destituuntur.

5. *Rerum gestarum vacatio.* Id est, vacatio a labore, quam rebus gestis meritus sum.

6. *Ætatis excusatio.* XLV annis duntaxat natus erat. — *Vindicat.* Al. *vendicat.*

7. Deerat *a me* in quibusdam codd. Lambinus censuit legendum esse, « nemo potest, longe abest ab eo regni suspicio ». J. V. L.

suspicio. Si quæris, qui sint Romæ regnum occupare conati, ut ne replices[8] annalium memoriam[9], ex domesticis imaginibus invenies[10].

Res enim gestæ, credo, meæ me nimis extulerunt, ac mihi nescio quos spiritus[11] attulerunt. Quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, judices, hoc possum dicere, me, qui e summis eripuerim periculis urbem hanc et vitam omnium civium, satis adeptum fore[12], si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit. Etenim, in qua civitate res tantas gesserim, memini; et in qua urbe verser, intelligo. Plenum forum est eorum hominum, quos ego a vestris cervicibus depuli, judices, a meis non removi. Nisi vero paucos[13] fuisse arbitramini, qui conari, aut sperare possent, se tantum imperium posse delere. Horum ego faces eripere de manibus, et gladios extorquere potui, sicut feci : voluntates vero conseleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, quum mihi uni cum omnibus improbis æternum videam bellum esse susceptum.

X. Quod si illis meis præsidiis[1] forte invides; et,

8. *Ut ne replices.* Id est, revolvas. Translatio ex more veterum, qui in corticibus scribebant, illosque ordine dispositos volvebant aut plicabant; quum vero legere vellent, evolvebant aut replicabant.

9. *Annalium memoriam.* Id est, libros Annalium.

10. *Ex domesticis imaginibus invenies.* Amarulentum scomma. In adversarii familia probat fuisse, quod sibi ab adversario objectum sit. Nempe M. Manlius, quum in suspicionem regni venisset, de rupe Tarpeia in Tiberim deturbatus est. Unus erat ex Torquati majoribus. Neminem fugit Romanos avorum suorum cereas imagines domi conservare.

11. *Spiritus.* Id est, superbiam et animi elationem.

12. *Adeptum fore.* Hoc dicendi genus Ciceroni non omnino infrequens; tamen sunt qui *adeptum esse* dicendum velint.

13. *Nisi vero paucos.* Res tanta a paucis confici non potuisset.

X. 1. *Meis præsidiis.* Bonorum omnium studiis.

si ea tibi regia videntur, quod omnes boni omnium generum atque ordinum suam salutem cum mea conjungunt[2]; consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensæ et adversæ. Qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios et furorem consceleratum repressi; sed eo etiam magis, quod nihil jam se simile, me vivo, conari posse arbitrantur. At vero quid ego miror, si quid ab improbis de me improbe dicitur: quum L. Torquatus[3] ipse, primum, his fundamentis adolescentiæ jactis, ea spe proposita amplissimæ dignitatis, deinde L. Torquati, fortissimi consulis[4], constantissimi senatoris, semper optimi civis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? Qui, quum suppressa voce[5] de scelere P. Lentuli, de audacia conjuratorum omnium dixisset, tantummodo ut vos, qui ea probatis[6], exaudire possetis, de supplicio P. Lentuli, de carcere[7], magna et queribunda voce dicebat. In quo primum illud erat absurdum, quod, quum ea, quæ leniter[8] dixerat, vobis probare volebat, eos autem, qui circum judicium stabant, audire nolebat; non intelligebat, ea, quæ clare

2. *Suam salutem cum mea conjungunt.* Id est, salvos se non fore putant, nisi salvus ego.

3. *Quum L. Torquatus.* A minore ad majorem ostendit nihil mirandum esse, si de se improbi obloquantur, quum etiam L. Torquatus probus adolescens de eo improbe loquatur.

4. *Consulis.* Id est, qui fortissimus anno suo consul fuit.

5. *Suppressa voce.* Id est, leniter. Carpit Torquatum, ita de conjuratis agentem, ut eorum causæ favere videretur; quum tamen Sullam conjurationis accusaret.

6. *Qui ea probatis.* Quæ de scelere diceret.

7. *De supplicio... de carcere.* Videbatur queri et ægre ferre Lentulum in carcere strangulatum fuisse. Illas querimonias non probare judices debebant, sed malis, qui circum judicium stabant, non erant ingrata.

8. *Leniter.* Sic duo codd. reg. pro vulg. *leviter.* Cicero ipse lib. I de Offic. dixit: « In voce duo sequamur, ut clara sit et suavis. Utrumque omnino a natura petendum est; verum alterum exercitatio augebit; alterum imitatio presse loquentium et leniter ».

diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat[9], ut vos quoque audiretis, qui id non probabatis. Deinde alterum jam oratoris vitium[10], non videre, quid quæque causa postulet. Nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum conjurationis accuset, quam videri conjuratorum pœnam mortemque lugere. Quod quum is tribunus plebis[11] facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos conjuratos relictus, non mirum est: difficile est enim tacere, quum doleas. Te, si quid ejusmodi facis, non modo talem adolescentem, sed in ea causa, in qua te vindicem conjurationis velis esse, vehementer admiror. Sed reprehendo tamen illud maxime, quod, isto ingenio et prudentia præditus, causam reipublicæ non tenes[12], qui arbitrere, plebi romanæ res eas non probari, quas, me consule, omnes boni pro salute communi gesserunt.

XI. Ecquem[1] tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas, aut tam sceleratum statuis fuisse, ut hæc omnia perire voluerit, aut tam miserum, ut et se perire cuperet, et nihil

9. *Quibus se venditabat.* Vituperans eas, quæ malis displicebant, partes eorum sequi videbatur. — *Probabatis.* Probatis.

10. *Alterum jam oratoris vitium.* Ut cavendum oratori est ne adversarii causam imprudenter adjuvet; ita multo magis, ne quid dicat, quod suam causam lædat. Quod igitur conjuratorum pœnam mortemque luget, conjurationem probare videtur, quod accusationi contrarium est; P. enim Sullam, quod in conjuratione fuerit, accusat.

11. *Is tribunus plebis.* Non liquet quis fuerit ille tribunus. Alii putant Metellum Nepotem eum esse, qui Ciceronem consulatu abeuntem concionis habendæ privaverit potestate, clamans, qui in alios animadvertisset, indicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. Alii L. Calpurnium Bestiam existimant; nempe inter conjuratos a Sallustio numeratur, et eodem tempore tribunus plebis fuit. Quidquid id est, Cicero tanta fuit benignitate, ut illius causam defenderit anno 697.

12. *Causam reipublicæ non tenes.* Id est, ignoras quid postulet reipublicæ ratio et utilitas. Cicero de Legg. III, 10, ait: « senator causam populi teneto ».

XI. 1. Sic optime Oliv. Lall. Beck.

haberet, quod salvum esse vellet? An vero clarissimum virum [2] generis vestri ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in [3] ceteris firmaret imperium : tu rempublicam reprehendis, quæ domesticos hostes, ne ab iis ipsa necaretur, necavit? Itaque attende jam, Torquate, quam ego [4] defugiam auctoritatem consulatus mei. Maxima voce, ut omnes exaudiri possint, dico, semperque dicam [5] : adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor; erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus [6], ut ille putat, dicentem attendite. Ego consul, quum exercitus perditorum civium, clandestino scelere conflatus, crudelissimum et luctuosissimum exitium patriæ comparasset; quum ad occasum interitumque reipublicæ Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu [7], sine de-

al. Vulg. « Et quem », errore solemni. J. V. L.

2. *Clarissimum virum*. T. Manlium Torquatum, qui tertium consul, latino bello filium, quamquam victorem, necari jussit, quia contra edictum suum pugnaverat.

3. Ambros. cod. « in ceteros ». Vide Ang. Maium, p. 141. J. V. L.

4. *Quam ego defugiam*. Ironice. Significare vult se numquam denegaturum, quia inde summam adeptus gloriam, etc.

5. *Dico, semperque dicam*. Qui Ciceronem vituperant, quod multus in iis versetur quæ reipublicæ contulit beneficia, oppressa scilicet Catilinæ conjuratione, ii non attendunt ad id adductum eum, ut suspiciones depelleret quibus eum involvere novissimi ejusdem conjurationis fautores, et sic odio ac iræ populi romani designare studebant. Cicero, ut viri fortes qui populi jura defendere solent, non adeo ingratas civium mentes, quam eorumdem errores formidabat : et quid a Catilinæ studiosis illi metuendum esset, satis ostenderunt Clodii factiones et postea exsilium.

6. *De invidiosis rebus*. Id est, de nece conjuratorum, quæ in me improborum omnium odia concitaverunt.— *Ut ille putat*. Nempe me in invidiam Torquatus adducere conatus est.

7. *Sine tumultu*. Bellum Gallicum, aut Italicum appellari tumultum, quod in eo timor multus esset, scribit Cicero in Philipp. VIII : quibus in bellis ne sacerdotibus quidem et sexagenariis vacatio erat. Quum igitur

lectu[8], sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis atque confossis[9], incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi : ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi. An me existimasti hæc injuratum in judicio non esse dicturum, quæ juratus[10] in maxima concione dixissem?

XII. Atque etiam illud addam, ne qui[1] forte incipiat improbus subito te amare[2], Torquate, et aliquid sperare de te; atque, ut idem omnes exaudiant, clarissima voce dicam. Harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute communi suscepi et gessi, L. ille Torquatus[3], quum esset meus contubernalis in consulatu[4], atque etiam in prætura fuisset, auctor,

bellum hujusmodi impendebat, tumultum esse decernebat senatus, ut vacationes tollerentur.

8. *Sine delectu.* Id est, nullo militum delectu habito, nullis militibus congregatis.

9. *Quinque... comprehensis atque confossis.* Plures fuerunt comprehensi, sed de quinque duntaxat in Tulliano carcere sumptum supplicium, videlicet, Lentulo, Cethego senatoribus, Statilio, Gabinio equitibus, Cepario Terracinense. — *Confossis.* Alii, *confessis.* Et cum Sallustio congruunt qui, cap. 55 scribit: « vindices rerum capitalium laqueo gulam fregere ». Non igitur confossi sunt. Plurimi alii capitali pœna affecti sunt; nam Cicero in oratione tertia in Catilin. addit L. Cassium, P. Furium, Q. Magium Chilonem, P. Umbrenum.

10. *Juratus.* Supra vidimus tribunum plebis obstitisse ne Cicero, consulatu exiens, concionem haberet; at ille exclamavit: Juro me salvam fecisse rempublicam.

XII. 1. Sic Ambros. cod. cit. ab Ang. Maio, p. 140, ne putes legendum esse, *ne quis.* J. V. L.

2. *Te amare.* Tamquam sui similem. — *Et aliquid sperare de te.* Futurum ut tu improborum partibus faveas.

3. *L. ille Torquatus.* Hic digitis monstrat Torquatum in hac causa Sullæ accusatorem.

4. *Contubernalis in consulatu.* Ita tunc mos erat, ut clarissimorum virorum filii adolescentes cum consulibus in provinciam proficiscerentur, aut cum iisdem Romæ manerent, et administrandæ reipublicæ scientiam per-

adjutor, particeps exstitit, quum princeps[5] [quum auctor[6]], quum signifer esset juventutis[7]; parens[8] ejus, homo amantissimus patriæ, maximi animi, summi consilii, singularis constantiæ, quum esset æger, tamen omnibus rebus illis interfuit[9]; numquam est a me digressus; studio, consilio, auctoritate unus adjuvit plurimum, quum infirmitatem corporis[10] animi virtute superaret. Videsne, ut eripiam te ex improborum subita gratia, et reconciliem bonis omnibus? qui te et diligunt, et retinent, retinebuntque semper; nec, si a me forte desciveris, idcirco te a se, et a republica, et a tua dignitate deficere patientur.

Sed jam redeo ad causam; atque hoc vos, judices, testor: mihi de memet ipso tam multa dicendi necessitas quædam imposita est ab illo. Nam, si Torquatus Sullam solum accusasset[11], ego quoque hoc tempore

ciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in consulatu contubernalis fuit, ut in Bruto. Sic M. Cœlius Q. Pompeio proconsuli contubernalis in Africam est profectus; ut in orat. pro ipso. Quum igitur L. Torquatus contubernalis esset consulis, fuit adjutor et particeps omnium rerum quas egit Cicero per consulatum. — *Auctor.* Nimium tribuere videtur Torquato. Flaccum certe socium tantum et adjutorem consiliorum suorum dixerat orat. pro Flacco, cap. 1.

5. *Quum princeps.* Principes in quocumque ordine dicuntur primarii. — *Princeps juventutis* a censoribus eligebatur inter locupletissimos, gratiosissimos, meritisque præstantissimos juvenes.

6. Ignorant verba hæc plerique codd. e superiore versu repetita.

7. *Signifer... juventutis.* Qui vexillum ordinis præferebat. Torquatus erat una princeps et signifer juventutis.

8. *Parens ejus.* L. Manlius Torquatus consul ann. 688 cum L. Aurelio Cotta.

9. *Omnibus rebus illis interfuit.* Quum Macedonia revertisset; primis enim mensibus consulatus Ciceronis Torquatum abfuisse, illa orat. in Pisonem verba declarant: « ex qua provincia modo vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus magnis rebus gestis, me referente, absens imperator est appellatus ».

10. *Quum infirmitatem corporis.* Non dissimile illud de Hirtio Phil. VIII: « Animi vires corporis infirmitas non retardavit ».

11. *Nam si Torquatus solum Sullam accusasset.* Sumpsisse videtur a Demosthene ex oratione pro Corona: « Nam si Æschines solum ea, quæ in accusatione perscripsit, accusasset, ego quoque de ipso senatusconsulto

nihil aliud agerem, nisi eum, qui accusatus esset, defenderem: sed quum ille tota illa oratione in me esset invectus, et quum initio, ut dixi, defensionem meam auctoritate spoliare voluisset, etiamsi dolor meus [12] respondere non cogeret, tamen ipsa causa hanc a me orationem flagitasset.

XIII. Allobrogibus [1] nominatum Sullam esse dicis. Quis negat? Sed lege indicium [2], et vide, quemadmodum nominatus sit. L. Cassium [3] dixerunt commemorasse, cum ceteris Autronium secum facere [4]. Quæro, num Sullam dixerit Cassius? Nusquam [5]. Sese aiunt quæsisse de Cassio, quid Sulla sentiret. Videte diligentiam Gallorum: qui vitam hominum naturamque non nossent, ac tantum audissent, eos pari calamitate esse [6]; quæsiverunt, essentne eadem voluntate? Quid tum? Cassius si respondisset, idem sentire et secum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. Quid ita? Quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat minuere [7] illorum suspicionem, et purgare eos, de

statim respondissem; quoniam vero ad alia digressus non pauciora verba insumpsit, et plura in me mentitus est, etc. »

12. *Dolor meus.* Ex injuria Torquati.

XIII. 1. *Allobrogibus.* Cod. Ambr. luculenter *ab Allobrogibus.*

2. *Lege indicium.* Indicium hic sumitur pro delatione Allobrogum. Relatum erat in publicas tabulas.

3. *L. Cassium.* Longinum, unum ex conjuratis, senatorii ordinis; Ciceronis competitor fuerat in consulatu. Quum ille legatos Allobrogum in conjurationem impellere vellet, multos nobiles viros ex conjuratione nominavit. Autronium quum indicasset, Allobroges de P. Sulla quæsierunt. L. Cassius nescire se dixit. Ille Cassius nihil Allobrogibus manu sua scriptum commisit, et Roma exiit, antequam proficiscerentur.

4. *Secum facere.* Agere.

5. Olim perperam, « Numquam sese », et post, « eos, pari calamitate qui fuerant, esse in eadem voluntate ». Primus e MSS Grut. constituit hujus periodi sententiam. J. V. L.

6. *Eos pari calamitate esse.* Id est, simul de ambitu damnatos.

7. *Non debebat minuere.* Sallustius narrat Umbrenum, præsente Gabinio, Allobrogibus conjurationem aperuisse,

quibus illi aliquid[8] suspicarentur. Non respondit tamen, una facere Sullam. Etenim esset absurdum, quum ceteros sua sponte nominasset, mentionem Sullæ facere nullam[9], nisi admonitum et interrogatum. Nisi forte verisimile est, P. Sullæ nomen in memoria Cassio non fuisse. Si nobilitas hominis, si afflicta fortuna[10], si reliquiæ pristinæ dignitatis non tam illustres fuissent, tamen Autronii commemoratio memoriam Sullæ retulisset. Etiam, ut arbitror, quum auctoritates principum conjurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Cassius, et quum sciret, exteras nationes maxime nobilitate moveri, non prius Autronium, quam Sullam nominasset[11]. Jam vero illud probari minime potest, Gallos, Autronio nominato, putasse, propter calamitatis similitudinem, sibi aliquid de Sulla esse quærendum; Cassio, si hic esset in eodem scelere, ne quum appellasset quidem Autronium, hujus in mentem venire potuisse.

Sed tamen quid respondit de Sulla Cassius? Se nescire certum[12]. Non purgat, inquit. Dixi antea: ne si argueret quidem tum denique, quum esset interrogatus, id mihi criminosum videretur. Sed ego in indiciis[13] et in quæstionibus non hoc quærendum ar-

socios nominasse: « Præterea multos cujusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset ». Illorum enim intererat multos esse conjuratos; Cassius igitur non debebat eximere, quos Galli in eorum numero esse putarent.

8. Græv. e cod. Erfurt. « suspicari viderentur ». Quod forte accedit aliquanto magis ad oratoris sententiam. J. V. L.

9. *Mentionem Sullæ facere nullam.* Si reipsa Sulla conjurasset.

10. *Afflicta fortuna.* Condemnatione in judicio de ambitu.

11. *Nominasset.* Quia Sulla, longe nobilior Autronio, si ex conjuratis fuisset, prior nominari debuisset.

12. *Se nescire certum.* Certe scio, certo et certum; itemque certum habeo et pro certo, in eadem re dicitur.

13. Sic Lambinus ex uno cod. et conjectura Stephani; et sic Ambros. cod. ab Ang. Maio laudatus, p. 143. Vulg. *judiciis*. J. V. L.

bitror, num purgetur aliquis; sed num arguatur. Etenim quum negat se scire Cassius, utrum sublevat Sullam, an satis probat se nescire? Sublevat[14] apud Gallos. Quid ita? ne indicent? Quid? si periculum esse putasset, ne illi[15] umquam indicarent; de se ipso confessus esset? Nescivit. Credo, judices, celatum esse Cassium de Sulla uno[16]: nam de ceteris certe sciebat; et ea domi ejus pleraque conflata esse constabat. Qui negare noluit esse in eo numero Sullam, quo plus spei Gallis daret, dicere autem falsum non ausus est, nescire[17] dixit. Atqui hoc perspicuum est, quum is, qui de omnibus scierit, de Sulla se scire negarit; eamdem vim esse negationis hujus, quam si extra conjurationem[18] hunc esse, se scire dixisset. Nam, cujus scientiam de omnibus constat fuisse, ejus ignoratio de aliquo, purgatio debet videri. Sed jam non quæro, purgetne Cassius Sullam: illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in indicio.

XIV. Exclusus hac criminatione Torquatus, rursus in me irruit, me accusat. Ait, me aliter[1], ac dictum est, in tabulas publicas[2] retulisse. O dii immortales (vobis enim tribuam, quæ vestra sunt; nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reipublicæ, mea sponte dispexerim[3])!

14. *Sublevat.* Minuit, infirmat, excusat culpam. — *Ne indicent.* I. e. ad senatum Sullam deferant.

15. Apud alios, *ulli.* J. V. L.

16. *Celatum... de Sulla uno.* Ironice. Nempe si Sulla in numero conjuratorum fuisset, incredibile esset de eo uno Cassium esse celatum.

17. Lamb. *nescire se.* J. V. L.

18. *Extra conjurationem.* Jamjam dixerat orator Catilin. 1: « Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe possit retinere, in qua nemo est extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit ».

XIV. 1. *Ait me aliter.* Prior Venet. omittit *me.*—*Ac dictum est.* Subaud. ab Allobrogibus.

2. *In t. publ.* Quum essem consul.

3. *Dispexerim.* Non modo animadverterim, sed providerim.

vos profecto animum meum tum conservandæ patriæ cupiditate[4] incendistis; vos me ab omnibus ceteris cogitationibus[5] ad unam salutem reipublicæ convertistis[6]; vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiæ clarissimum lumen prætulistis menti meæ. Vidi ego hoc, judices, nisi, recenti memoria senatus, auctoritatem hujus indicii[7] monumentis publicis testatus essem, fore, ut aliquando non Torquatus, neque Torquati quispiam similis (nam id me multum fefellit[8]); sed ut aliquis patrimonio naufragus[9], inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata hæc esse diceret, quo facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato[10], posset in malis reipublicæ portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros? non solum summa virtute et fide; cujus generis in senatu facultas maxima[11]: sed etiam, quos sciebam memoria, scientia, consuetu-

4. *Cupiditate.* Hic in bonam partem accipitur, in malam dicitur sæpius.

5. *Ceteris cogitationibus.* Nam pluribus intentus minor est ad singula sensus. Et ut ait Cicero pro L. Cornelio Balbo: « assiduus usus uni rei deditus, et ingenium, et artem sæpe vincit ».

6. Edd. vett. et codd. Palat. plerique, *contulistis.* J. V. L.

7. *Indicii.* Id est, delationis Allobrogum, de Catilinæ sociis cum eorum nominibus.

8. *Id me multum fefellit.* Numquam enim putaram fore, ut viri boni, qualis Torquatus est, dicerent aliter indicata hæc esse, ac in literas publicas relata essent.

9. *Patrimonio naufragus.* Ernest. conjic. « patrimonii naufragus ». Id est, patrimonii decoctor, cui ex toto patrimonio nihilo magis relictum est, quam illi qui ex naufragio nudus evadit. — *Inimicus otii.* Id est, pacis, quia nulla illi spes fortunæ reficiendæ, nisi in tumultu, in dissensionibus civilibus.

10. *Vento... in optimum quemque excitato.* Ventum in aliquem excitare, est alicui negotium facessere, periculum creare. Sententia est, quo facilius bonis qui recte de republica sentirent, eamque salvam esse vellent, in invidiam et discrimen adductis bellum civile oriretur, ubi rapiendi et inopiam sublevandi ex aliorum opibus facultas esset.

11. *In senatu facultas maxima.* Id

dine et celeritate scribendi[12], facillime, quæ dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat prætor; M. Messallam, qui tum præturam petebat; P. Nigidium, App. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus, ad vere referendum[13], aut fidem putet, aut ingenium defuisse.

XV. Quid deinde, quid feci? quum scirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illæ tabulæ privata tamen custodia[1], more majorum, continerentur: non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis[2], dividi passim, et pervulgari[3], atque edi populo romano imperavi. Divisi toti Italiæ, emisi[4] in omnes provincias: ejus indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem[5] volui. Itaque dico, locum in orbe terrarum esse nullum, quo in loco populi romani nomen sit, quin eodem perscriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam subito, et exiguo, et turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non mea sponte, providi: primum, ne qui posset tantum aut de reipublicæ, aut de alicujus periculo meminisse, quantum

est, cujus generis multi in senatu reperiebantur. — *Sed etiam quos.* Illi pauciores erant.

12. *Celeritate scribendi.* Qui scientiam consuetudine adepti erant, celeriter scribendo persequendi quæ dicerentur. Plutarchus in vita Catonis scribit: « Consul Cicero velocissimos scriptores disposuit, atque docuit, ut singula dicta per quasdam parvas brevesque notas, multarum literarum vim habentes colligerent ». Nondum enim reperti erant ii, qui notarii appellantur, sed tum demum ejus « rei vestigium exstitisse ferunt ». Idem Catonis sententiam hoc modo excerptam fuisse, atque servatam putat.

13. Alii, « aut etiam scribendum, aut f. » Hæc verba, quæ absunt non immerito ab optimis MSS, Ern. resecuit; Lallem. servavit. J.V. L.

XV. 1. *Privata tamen custodia.* In domo mea custodirentur usque ad finem consulatus mei. — *Describi.* Id est, in exempla multa transcribi.

2. *Librariis.* Scilicet publicis senatus et consulum scribis.

3. Libri quidam, *divulgari,* ut inf. est. J. V. L.

4. Edd. pr. *divisi;* Lambin. e Memmii conjectura, *dimisi.* J. V. L.

5. *Indicii.....expertem esse neminem.* Scilicet, omnes penitus cognoscerent.

vellet[6]; deinde, ne cui liceret umquam reprehendere illud indicium, aut temere[7] creditum criminari; postremo, ne quid jam a me, ne quid ex meis commentariis quæreretur; ne aut oblivio mea, aut memoria, videretur nimia; ne denique aut negligentia, turpis; aut diligentia, crudelis putaretur. Sed tamen abs te, Torquate, quæro, quum indicatus tuus inimicus[8] esset, et esset ejus rei frequens senatus et recens memoria testis, tibi, meo familiari et contubernali, prius etiam edituri fuerint indicium scribæ mei, si voluisses, quam in codicem retulissent; quum videres aliter fieri[9], cur tacuisti? passus es? non mecum[10], aut cum familiari meo questus es? aut, quoniam tam facile inveheris in amicos, iracundius ac[11] vehementius expostulasti? Tu, quum tua vox numquam sit audita[12]; quum, indicio lecto, descripto, divulgato, quieveris, tacueris: repente tantam rem enuntiare audeas? et in eum locum te deducas, ut ante, quam me commutati indicii coargueris, te summæ negligentiæ[13], tuo judicio[14], convictum esse fateare?

6. *Quantum vellet.* Quantum ei liberet; ne forte præ studio veram rei gestæ memoriam obliteraret.

7. *Temere.* Leviter, re non bene examinata.

8. *Tuus inimicus.* P. Sulla.

9. *Aliter fieri.* I. e. nomen Sullæ non relatum esse in codicem.

10. Al. emendant, « non eum familiari tuo ». J. V. L.

11. Alii, *aut.*

12. *Quum tua vox numquam sit audita.* Manifesta est complexio argumenti; nihil igitur, Torquate, dixisti quum Sullæ nomen videres omitti, quod certe sciebas, eum non fuisse vel ab Allobrogibus, vel a Volturcio nominatum. Sunt qui putant significari vocem Torquati numquam in foro auditam causis agendis fuisse; quod veritati et Ciceronis sententiæ repugnat, qui huic ipsi Torquato dicit, de Finib. II, 19: « Te ipsum dignissimum majoribus tuis, voluptasne induxit, ut adolescentulus eriperes P. Sullæ consulatum; quem quum ad patrem tuum retulisses, fortissimum virum, etc. »

13. *Summæ negligentiæ.* Quod de commutato indicio tacueris.

14. *Tuo judicio.* Id est, vel te ipso judice. Male Grævius et Lallem. anti-

XVI. Mihi cujusquam salus[1] tanti fuisset, ut meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego juvarem, a quo et crudeles insidias in rempublicam factas, et in me potissimum consulem constitutas, putarem? Quod si jam essem oblitus severitatis et constantiæ meæ, tamne amens eram, ut, quum literæ posteritatis causa repertæ sint, quæ subsidio oblivioni[2] esse possent, ego recentem putarem memoriam cuncti senatus commentario meo posse superari[3]?

Fero[4] ego te, Torquate, jamdudum, fero, et nonnumquam animum, incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco ipse et reflecto. Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo[5] amicitiæ, tribuo parenti. Sed, nisi tibi aliquem modum tute[6] constitueris, coges oblitum me nostræ amicitiæ, habere rationem meæ dignitatis. Nemo umquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non præverterim[7]. Sed mihi hoc credas velim: non iis libentissime soleo respondere, quos mihi videor facillime posse superare. Tu, quoniam minime ignoras consuetudinem dicendi meam, noli hac nova[8] lenitate abuti mea; noli aculeos orationis meæ, qui reconditi

quam lectionem *indicio* revocaverunt.

XVI. 1. *Salus* I. e. decus.

2. *Subsidio oblivioni*. Quæ facta revocarent et ætatibus integra mandarent.

3. *Commentario superari*. Id est, commentario meo majorem habendam fidem quam cuncti senatus memoriæ.

4. *Fero...te*. I. e. convicia tua.

5. Ernest. suspicatur legendum esse *concedo*. J. V. L.

6. Sic Gruter. e MSS pro vulg. *vitæ*, probantibus omnibus præter J. Gronovium. J. V. L.

7. Alii codd. « præverterim ac perfregerim ». Male Lambin. « perverterem ». J. V. L. — *Quem non præverterim*. Id est, quem non superarim. Ut optime explicat Ernest. quum multi in h. l. hæreant. Translatum a palæstræ exercitationibus. Sic infra: « ut ego tecum luctari et congredi debeam ».

8. *Hac nova lenitate*. Cicero, ut

sunt, excussos arbitrari; noli id putare omnino a me esse amissum, si quid est tibi remissum atque concessum. Quum illæ valent apud me excusationes injuriæ tuæ, iratus animus tuus, ætas, amicitia nostra; tum nondum statuo te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. Quod si esses usu atque ætate robustior, essem idem, qui soleo, quum sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius injuriam, quam retulisse gratiam[9] videar.

XVII. Neque vero, quid mihi irascare, intelligere possum. Si, quod eum defendo, quem tu accusas: cur tibi[1] quoque ipse non succenseo, qui[2] accuses eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum. Et amicum ego defendo meum. Non debes tamen[3] quemquam in conjurationis quæstione defendere. Immo nemo magis[4] eum, de quo nihil est umquam suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit[5]. Cur dixisti testimonium in alios? Quia coactus[6]. Cur damnati sunt? Quia creditum est[7]. Regnum

veteres tum Græci, tum Romani, laudi vertebant obruere quicumque illos læserat. — *Aculeos ... excussos.* Translatio ab apibus.

9. *Retulisse gratiam.* Id est, par pari, injuriam pro injuria; nempe bonam et malam gratiam distinguunt. Senec. de Clementia, I, 7, ait, « non retulisse lædentibus gratiam infirmitas videtur, non clementia ». Nos longe aliter sentimus.

XVII. 1. *Cur tibi.* Codd. Franc. uterque Dresd. *quid tibi.*

2. *Qui accuses.* Vulgo. Sed prorsus hic nihil est, quod conjunctivum requirat. Immo sicut antea dixerat *defendo*, ita hic ei respondere debet *accusas.*

3. *Non debes tamen.* Locus hic altercationi similis est, sed utramque personam sustinet Cicero. — *Quæstione.* Causa.

4. *Immo nemo magis.* Id est, immo nemo magis debet defendere eum de quo nihil, etc. quam is qui de aliis multa *cogitavit.*

5. Lamb. divinat *cognovit*, Gronov. probante; idque Grævius reperit in margine cod. Dresd. Recte Ernest. Lallem. al. repugnant; Cicero enim non de iis solum loquitur, quos certe cognoverat Catilinæ socios esse, sed etiam de his de quibus tantum suspicatus erat, i. e. cogitaverat.

6. *Quia coactus.* Scilicet periculo reipublicæ.

7. *Quia creditum est.* Meo testimonio.

est, dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Immo servitus est, non dicere in quem velis, ac defendere[8] quem velis. Ac, si considerare cœperis, utrum magis mihi hoc necesse fuerit facere, an istud tibi: intelliges, honestius te inimicitiarum modum[9] statuere potuisse, quam me humanitatis. At vero quum honos agebatur amplissimus[10] familiæ vestræ, hoc est, consulatus parentis tui, sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit pater tuus, quum Sullam et defenderent, et laudarent. Intelligebat, hanc nobis a majoribus esse traditam disciplinam, ut nullius amicitia ad propulsanda pericula[11] impediremur.

Et erat huic judicio longe dissimilis illa contentio. Tum, afflicto[12] P. Sulla, consulatus vobis pariebatur, sicuti partus est; honoris erat certamen; ereptum[13] repetere vos clamitabatis, ut victi in campo[14], in foro vinceretis. Tum qui contra vos pro hujus salute pugnabant, amicissimi vestri, quibus non irascebamini, consulatum vobis eripiebant[15], honori vestro repugnabant, et tamen id inviolata vestra amicitia[16], integro officio, veteri exemplo, atque instituto optimi cujusque faciebant. Ego vero quibus ornamentis adversor tuis? aut cui dignitati vestræ repugno? Quid est, quod jam ab hoc[17] expetas? Honor ad patrem,

8. *Ac defendere.* Vulgo. Sed sensus poscit *nec defendere.* Sic Lambin. et Græv. e cod. Franc.

9. *Modum.* Finem.

10. *Quum honos agebatur amplissimus.* Quum tu et pater tuus Sullam de ambitu insimulabatis, ut illi consulatum eriperetis.

11. *Ad propulsanda pericula.* Ad reos defendendos.

12. *Afflicto.* I. e. damnato.

13. *Ereptum.* Consulatum Sullæ largitionibus.

14. *In campo.* Martio, suffragiorum multitudine.

15. *Consulatum vobis eripiebant.* Id est, conabantur probare Sullam consulem jure factum esse.

16. *Inviolata vestra amicitia.* Vulgare semper fuit amicitiæ nomen, et rara fides.

17. *Hoc.* Alii, *eo.*

insignia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus exuviis [18] hujus, venis ad eum lacerandum, quem interemisti [19]: ego jacentem et spoliatum defendo et protego. Atque hic tu et reprehendis me, quia defendam, et irasceris. Ego autem non modo tibi non irascor, sed ne reprehendo quidem factum tuum. Te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, et satis idoneum officii judicem potuisse [20].

XVIII. At accusat C. Cornelii filius [1], idemque valere debet, ac si pater indicaret. O patrem Cornelium sapientem! qui, quod præmii solet esse [2] in indicio, reliquerit; quod turpitudinis in confessione, id per accusationem filii susceperit. Sed quid est tandem, quod indicat per istum puerum Cornelius? Si est causa mihi ignota, cum Hortensio communicata; respondeat Hortensius. Sin tu ais [3] illum comitatum Autronii et Catilinæ, quum in campo, consularibus

18. *Tu ornatus exuviis.* Translatio a romanis militibus: si quem hostem armis insignem et ornamentis occidissent, exuviis sese adornabant.

19. *Interemisti.* Civili morte ceciderat Sulla, nempe nulla publica officia jam poterat assequi.

20. Lambinus emendat *posui te;* Gulielmius, *fuisse.* Habet Erfurt. liber *officii tui.* J. V. L.

XVIII. 1. *C. Cornelii filius.* Qui subscriptor fuit accusatori Torquato. Duo Cornelii in conjuratione fuerunt, unus P. Cornelius Lentulus senator, qui tum prætor erat, de quo sumptum supplicium est; alter C. Cornelius, eques romanus, de quo, hujusque filio hoc loco Cicero. — *O patrem... sapientem!* Ironice.

2. *Quod præmii solet esse in indicio.* Senatus indicibus præmium decreverat, libero impunitatem ejus rei et sestertium ducenta millia. Cornelius damnationem effugere quam conjurationis nomine subierat, ut dictum est supra, cap. 2, ac præterea pecuniam recipere potuisset, si Sullam ipse indicasset. Sed senatus beneficio non potitus est, et per accusationem a filio suo conflatam, turpitudinem confessione inustam sibi suscepit.

3. *Sin tu ais.* Schütz. mallet: « sin dicis illum comitatum Autronii et Catilinæ ». P. Faber Tolosanus sic emendabat: « si tu ais Sullam comitatum Autronium et Catilinam ». Lambinus: « sin tu ais Sullam in illo comitatu Autr. et Catil. fuisse ». Manut. vero sic: « sin tu ais illo comitati Autronius et Catilina ». Quod evenit discrimen, quia nolunt alii verbum *ais* cum accusativo construi. Tamen

comitiis[4], quæ a me habita sunt, cædem facere voluerunt; Autronium tum in campo vidimus: et, quid dixi vidisse nos? Ego vidi. Vos enim tum, judices, nihil laborabatis, neque suspicabamini. Ego tectus præsidio firmo amicorum, Catilinæ tum et Autronii copias et conatum repressi. Num quis est igitur, qui tum dicat in campum adspirasse Sullam? Atqui si tum se cum Catilina[5] societate sceleris conjunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in pari causa non paria signa reperiuntur criminis? Sed quoniam Cornelius ipse etiam nunc de indicando dubitat, ut dicitis, informat adhuc[6] adumbratum indicium filii: quid tandem de illa nocte dicit, quum inter falcarios[7] ad M. Læcam, nocte ea, quæ consequuta est posterum diem nonarum novembr. me consule, Catilinæ denuntiatione convenit? Quæ nox om-

Cicero dixit, de Fin. II, 70: «quasi ego id curem, quid ille aiat aut neget». Et Acad. IV, 104: «Ut neque neget aliquid, neque aiat». Alii *comitatum* ut substantivum respuunt. Cicero ad Q. Fratr. 3: «Ille ignarus sui comitatus, repente aperuit lecticam». Pro Milone, 28: «Muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu». De Senect. 29: «Mihi vero illi comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur».

4. *Consularibus comitiis.* Id est, quibus creabantur consules et prætores; hi enim auspiciis iisdem et comitiis fiebant. Consul, qui in urbe erat, comitia consularia habebat. Si autem uterque consulum gerendis bellis ita essent occupati, ut neutri eorum Romam comitiorum habendorum causa venire liceret, tum ipsi, aut unus duntaxat dictatorem comitiorum causa dicebat; qui consulibus et prætoribus declaratis, abibat magistratu. Quum Cic. comitia consularia haberet, L. Catilina in campum Martium magno improborum hominum comitatu descendit, ut ipse fieret consul. Cicero vero lorica armatus et magna juventutis romanæ caterva stipatus, Catilinæ conatus repressit, fecitque ut consulatu Catilina dejiceretur.

5. *Si tum se cum Catilina societate sceleris.* Argumentum est a consequentibus.

6. *Informat adhuc.* Lallem. *ad hoc*, antique dictum, ut putat. — *Adumbratum indicium filii.* Id est, in filii illo ficto indicio instruendo et componendo adhuc laborat. Utrumque vocabulum *informatum* et *adumbratum* est a pictorum arte petitum.

7. *Inter falcarios.* Nempe dicit vicum Romæ ubi habitabant falcarii, videlicet, fabri qui falces et conficiebant, et vendebant.

nium temporum conjurationis acerrima fuit, atque acerbissima[8]. Tum Catilinæ dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per urbem cædis atque incendiorum constituta est; tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur[9], illam sibi officiosam[10] provinciam depoposcit, ut, quum prima luce consulem salutatum[11] veniret, intromissus meo more et jure amicitiæ, me in meo lectulo trucidaret.

XIX. Hoc tempore, quum arderet acerrime conjuratio; quum Catilina egrederetur ad exercitum; Lentulus in urbe relinqueretur; Cassius incendiis, Cethegus cædi præponeretur; Autronio, ut occuparet Etruriam, præscriberetur; quum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur: ubi fuit Sulla, Corneli? Num Romæ? immo longe abfuit. Num in iis regionibus[1], quo se Catilina inferebat? multo etiam longius. Num in agro Camerti[2], Piceno, Gallico; quas oras[3] maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat? nihil vero minus: fuit enim, ut jam ante dixi, Neapoli[4]; fuit in ea parte Italiæ, quæ maxime

8. *Acerbissima.* Quia suæ cuique conjuratorum partes constitutæ sunt, ut sequitur.

9. *Id quod tandem aliquando confitetur.* Negaverat primo, sed quum in judicium vocatus est, indicibus convictus, fateri coactus est.

10. *Officiosum.* Ironice. Quia species quædam officii in eo esse videbatur, quum prima luce, ut mos erat familiaribus, consulem salutatum veniret.

11. *Salutatum veniret.* Ernest. *venisset.* J. V. L.

XIX. 1. Alii codd. *legionibus*, et post, aliquot edd. *referebat.* Male. J. V. L.

2. *Camerti.* Circa oppidum Camerinum, in montibus qui Picenum ab Umbria dirimunt. De variationibus, quæ in hoc nomine occurrunt apud veteres, vide Goesii Ind. Geograph. in scr. R. R.

3. *Quas oras.* In Gallia ulteriore et citeriore, item in agro Piceno, Brutio, in Apulia metus excitatus fuerat a Catilinæ sociis; ideo ex senatusconsulto Q. Metellum Celerem in agrum Picenum, Q. Metellum Creticum in Apuliam, quum in Gallia legatus C. Murena esset, missos, scribit Sallustius.

4. *Neapoli.* Campaniæ oppido, Vesuvio proximo.

ea suspicione caruit[5]. Quid ergo indicat, aut quid affert, aut ipse Cornelius, aut vos, qui ab eo hæc mandata defertis? Gladiatores emptos esse, Fausti simulatione[6], ad cædem ac tumultum. — Ita prorsus: interpositi sunt gladiatores[7], quos testamento patris videmus deberi. — Arrepta est familia[8]; quæ si esset prætermissa[9], posset alia familia Fausti munus præbere. — Utinam quidem hæc ipsa[10] non modo iniquorum invidiæ, sed et æquorum exspectationi satisfacere posset! — Properatum vehementer[11], quum longe tempus muneris[12] abesset. — Quasi vero tempus[13] dandi muneris non valde appropinquaret. —

5. *Ea suspicione caruit.* Capua tamen, quæ Neapoli vicina est, non caruit; itaque Q. Pompeius Rufus a senatu eo missus est.

6. *Fausti simulatione.* Id est, simulando Faustum Sullam dictatoris filium, scripsisse ut gladiatores P. Sulla emeret quos ipse Faustus sui testamento patris deberet. Mos erat ut in honorem virorum clarissimorum funebres ludi celebrarentur, iisque gladiatores adhiberentur. Funebres ludi Fausti Sullæ celebrati sunt paullo post hanc causam dictam, ann. 693, Metello et Afranio coss. Hic incipit dialogus, cujus utrasque partes agit Cicero. Accusatores Sullam insimulabant, quod sub specie funerum gladiatores Catilinæ causa coegisset. Orator objectiones singulas repetit et illico refutat.

7. *Interpositi sunt gladiatores.* Ironice. Nonne illos gladiatores patris deberi testamento videmus?

8. *Arrepta est familia.* Lambinus *at empta,* invitis libris. *Arrepta*, id est, tanta celeritate empta est ut arripi videretur. Hinc inferunt accusatores illam emptam fuisse familiam ad cædem et tumultum; nam ludorum tempus non instabat. *Familia* significat servos; servi enim erant gladiatores isti, ideoque emi poterant. — *Quæ si esset prætermissa.* Id est, quæ si non empta fuisset, tam cito, «alia familia» empta serius, posset statuta die Fausti munus præbere. *Alia familia*, quam Faustus aluerat. Male.

9. Schütz. frustra excogitat, «posset alita familia Faustus munus præbere».

10. *Utinam quidem hæc ipsa.* Subaud. familia, quæ est causa accusationis vestræ. — *Non modo iniquorum invidiæ.* Qui divitibus omnibus invident. — *Et æquorum exspectationi satisfacere posset.* Quia gladiatorum minor erat numerus quam ut responderet exspectationi vel bonorum civium qui de pietate Fausti ex ludorum magnificentia judicaturi essent.

11. *Properatum vehementer.* Scilic. emptionem gladiat.

12. *Muneris.* Non enim ludis solum, sed et lautis conviviis aliisque muneribus populum recreare mos erat.

13. *Quasi vero tempus dandi mu-*

Nec opinante[14] Fausto, quum is neque sciret, neque vellet, familia est comparata.—At literæ sunt[15] Fausti, per quas ille precibus a P. Sulla petit, ut emat gladiatores, et ut hos ipsos emat[16]; neque solum ad Sullam missæ, sed ad L. Cæsarem[17], Q. Pompeium[18], C. Memmium: quorum de sententia tota res gesta est. — At præfuit familiæ Cornelius[19]. — Jam si in comparanda familia suspicio est nulla; quod præfuit, nihil ad rem pertinet[20]. Sed tamen munere servili obtulit se ad ferramenta[21] prospicienda; præfuit vero numquam; eaque res per Balbum, Fausti libertum, omni tempore administrata est.

XX. At enim[1] Cincius est ab hoc in ulteriorem Hispaniam missus, ut eam provinciam perturbaret. Primum Cincius, judices, L. Julio, C. Figulo[2], consulibus, profectus est aliquanto ante furorem Catilinæ, et ante suspicionem hujus conjurationis; deinde est profectus non tum primum, sed quum in iisdem locis aliquanto ante eadem de causa aliquot annos fuisset. Ac profectus est non modo ob causam[3], sed

neris non, etc. Refutat objectum.

14. *Nec opinante Fausto, quum*, etc. Objectio alia.

15. *At literæ sunt Fausti*. Refutatio.

16. *Et ut hos ipsos emat*. Quos emit.

17. *Ad L. Cæsarem*. M. Antonii, qui postea triumvir fuit, avunculum.

18. *Q. Pompeium*. Sullæ nepotem ex filia. — *C. Memmium*. P. Sullæ privignum, ut epist. 3, lib. III, ad Q. fratrem.

19. *At præfuit familiæ Cornelius*. Id est, gladiatorum. Objectio. Delent nomen *Cornelius* Lallem. Schütz. alii. Sub judice lis est.

20. *Nihil ad r. pertinet*. Refutatio.

21. *Ferramenta*. Quibus gladiatores in pugna uterentur.

XX. 1. *At enim*. Objectio. — *Cincius*. Cortius ad Sallust. Catilin. 21, docet legendum esse *P. Sittius*. Cincius in Hispaniam transiit, et deinde in civili periit bello, ab Arabione, regis Manassis filio, per proditionem. Cicero epist. ad Atticum, XV, 17, ait: « Arabioni de Sittio nihil irascor ».

2. *L. Julio, C. Figulo*. L. Julius Cæsar, et C. Martius Figulus consules fuerunt, anno proximo post L. Torquatum et L. Cottam. Iisdem consulibus Ciceronem consulem designatum fuisse Asconius significat.

3. *Ob causam*. Non sub specie ali-

etiam necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniæ rege contracta. Tum autem, illo profecto, Sulla procurante[4] ejus rem et gerente, plurimis et pulcherrimis P. Cincii prædiis venditis, æs alienum ejusdem dissolutum est : ut, quæ causa ceteros ad facinus impulit[5], cupiditas retinendæ possessionis, ea Cincio non fuerit, prædiis deminutis. Jam vero illud quam incredibile? quam absurdum[6]? qui Romæ cædem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiarissimum suum dimittere ab se, et mandare in ultimas terras? utrum quo facilius[7] Romæ ea, quæ conabatur, efficeret, si in Hispania turbatum esset? At hæc ipsa[8] per se, sine ulla conjunctione, agebantur. An in tantis rebus, tam novis consiliis, tam periculosis, tam turbulentis, hominem amantissimum sui, familiarissimum, conjunctissimum officiis, usu, consuetudine, dimittendum esse arbitraretur? Verisimile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper habuisset, hunc in adversis, et in eo tumultu, quem ipse comparabat[9], ab se dimit-

qua, sed ob causam certam.—*Magna ratione.* Alii, « magna pecuniæ ratione ». Lambinus, « magnæ pecuniæ ratione ». — *Cum Mauritaniæ rege.* Hiempsale. Mauritania Africæ regio est extrema, versus Gaditanum mare. Hodie Barbaria.

4. *Sulla procurante.* Quum P. Sulla ejus procurator esset. — *Rem.* I. e. possessiones. — *Æs alienum.* Solvit Sulla quodcumque debebat Cincius.

5. *Ad facinus impulit.* Id est, ad conjurationem. Ita ut cupiditas suæ retinendæ possessionis, quæ causa impulit ceteros ad conjurationem.

6. *Quam absurdum.* Id est, quam absurdum est credere eum qui vellet facere cædem Romæ, etc. dimittere ab se et mandare suum familiarissimum.

7. *Utrum quo facilius Romæ ea*, etc. An ut efficeret facilius Romæ ea quæ conabatur. — *Si in Hispania turbatum esset.* Al. « si in Hispaniam turbatum isset ».

8. *At hæc ipsa.* Id est, at conjuratio, quæ Romæ fiebat, nullum connexum cum Hispanorum discordiis habere poterat. Ergo absurdum fuisset amicum suum tam procul a se dimittere. Lallem. conjicit, « an hæc ipsa... agebantur ? »

9. *Quem ipse comparabat.* Quem ab ipso comparari dicitis.

teret. Ipse autem Cincius[10] (non enim mihi deserenda est causa amici veteris atque hospitis) is homo est, aut ea familia ac disciplina, ut hoc credi possit, eum bellum reipublicæ facere voluisse? ut, cujus pater, quum ceteri deficerent[11] finitimi ac vicini, singulari exstiterit in rempublicam nostram officio et fide, is sibi nefarium bellum contra patriam suscipiendum putaret? cujus æs alienum videmus, judices, non libidine, sed negotii gerendi[12] studio esse contractum; qui ita Romæ debuit, ut in provinciis et in regnis maximæ ei pecuniæ deberentur; quas quum peteret, non commisit, ut sui procuratores quidquam oneris[13], absente se, sustinerent; venire omnes suas possessiones, et patrimonio se ornatissimo spoliari maluit, quam ullam moram cuiquam fieri creditorum suorum. A quo quidem genere[14], judices, ego numquam timui, quum in illa reipublicæ tempestate versarer. Illud erat genus hominum horribile et pertimescendum, qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. Cincius numquam sibi cognationem[15] cum prædiis esse existimavit suis. Itaque se non modo ex suspicione tanti sceleris, verum etiam ex omni hominum sermone, non armis, sed patrimonio suo vindicavit.

XXI. Jam vero, quod subjicit[1], Pompeianos esse

10. *Ipse autem Cincius.* Si Cincium a conjurationis suspicione liberat, hac parte accusationis absolvitur Sulla.

11. *Quum ceteri deficerent.* Aut in Italico, aut Marsico bello.

12. *Negotii gerendi.* Aut in mercatura exercenda, aut in pecunia fenori locanda, aut in redemptione qualibet.

13. *Quidquam oneris, absente se.* Id est, molestiarum a creditoribus.

14. *A quo quidem genere.* Bonorum civium, qui æri alieno solvendo sua omnia remittere non dubitant.

15. *Sibi cognationem.* Id est, se conjungi cum prædiis suis, quasi cognatione quadam, numquam existimavit.

XXI. 1. *Subjicit.* Id est, Torqua-

a Sulla impulsos, ut ad istam conjurationem et ad hoc nefarium facinus accederent : id cujusmodi sit, intelligere non possum. An tibi[2] Pompeiani conjurasse videntur? quis hoc umquam dixit? aut quæ fuit istius rei vel minima suspicio? Disjunxit, inquit, eos a colonis, ut, hoc dissidio[3] ac dissensione facta, oppidum in sua potestate posset et Pompeianos habere. Primum omnis Pompeianorum colonorumque dissensio delata ad patronos[4] est, quum jam inveterasset, ac multos annos esset exagitata; deinde ita a patronis res cognita[5] est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sulla dissenserit[6]; postremo coloni ipsi sic intelligunt[7], non Pompeianos a Sulla magis, quam sese esse defensos.

Atque hoc, judices, ex hac frequentia[8] colonorum, honestissimorum hominum, intelligere potestis; qui adsunt, laborant; hunc patronum, defensorem, custodem illius coloniæ, si in omni fortuna, atque in omni honore[9] incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus jacet, per vos tutari

tus. Alii codices et editiones, *objicit.* — *Pompeianos.* Pompeii oppidum fuit in Campania prope Neapolim. Pompeiani a Sullanis devicti, parte agri multati sunt. Eo colonia deducta est a triumviris, ex quibus erat P. Sulla. Inter Pompeianos et colonos exorta est seditio, quod nollent Pompeiani colonis tantum jus suffragii ferendi ac magistratus gerendi esse, quantum sibi. Hanc seditionem a Sulla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in sua potestate haberet, eorumque opera ad hanc conjurationem uteretur.

2. *An tibi.* Scilicet, Torquate.

3. *Dissidio.* Alii, *discidio.*

4. *Ad patronos.* Subaudiendum, Pompeianorum.

5. *Res cognita.* Id est, dijudicata est.

6. *Sulla dissenserit.* Qui et ipse patronorum unus erat.

7. *Sic intelligunt.* Persuasum habent.

8. *Ex hac frequentia colonorum.* Id est, multitudine. Colonos publice missos ad hoc judicium cum P. Sullæ laudatione significat.

9. *Si in omni fortuna atque in omni honore incolumem habere non potuerunt*, etc. Propter Sullæ de ambitu damnationem. — *Atque in.* Abest *in.*

conservarique[10] cupiunt. Adsunt pari studio Pompeiani, qui ab illis[11] etiam in crimen vocantur; qui ita de ambulatione[12] et de suffragiis suis cum colonis disseruerunt, ut idem de communi salute sentirent. Ac ne hæc quidem P. Sullæ mihi videtur silentio prætereunda esse virtus[13], quod, quum ab hoc[14] illa colonia deducta sit, et quum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum reipublicæ fortuna[15] disjunxerit, ita carus utrisque est atque jucundus, ut non alteros demovisse, sed utrosque constituisse videatur.

XXII. At enim et gladiatores, et omnis ista vis, rogationis Cæciliæ[1] causa comparabantur. Atque in hoc loco in L. Cæcilium, pudentissimum atque ornatissimum virum, vehementer invectus est: cujus ego de virtute et constantia, judices, tantum dico; talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consultum esse[2] voluerit fratri, cum republica

10. *Conservarique*. Ald. dedit *conservareque*, quod multi editores, ut Lallem. etiam nunc habent in textu, quamvis multi MSS stent pro altera lectione, et ipsi grammatici non reclamitent. J. V. L.

11. *Qui ab illis*. Scil. accusatoribus. — *In cr. vocantur*. I. e. accusantur.

12. *De ambulatione*. Subaud. in porticu. Emendant quidam *ambitione*, sine MSS. Discordia exorta erat de usu porticus, ubi ambulabant Pompeiani, et de suffragiis in magistratuum electione.

13. *Virtus*. I. e. solertia, consilium.

14. *Ab hoc deducta sit*. Dominante L. Sulla.

15. *Reipublicæ fortuna*. Id est, civilis discordia. — *Disjunxerit*. Alii, *dijunxerit*; al. *diviserit*. Mira quidem arte Tullius calamitatem describit Pompeianorum, quibus partem bonorum dictator eripuerat, ut suos milites divitiis augeret.

XXII. 1. *Rogationis Cæciliæ*. L. Cæcilius Cæciliæ Metellæ filius, quam dictator uxorem duxerat. Quum lex Calpurnia de ambitu et ordinem senatorium et jus petendorum magistratuum iis, qui damnati essent, adimeret; L. Cæcilius tribunus plebis ann. 690, Cicerone cos. promulgaverat legem, quam tamen non pertulit, ut damnatis de ambitu liceret iterum petere magistratus, idque in gratiam P. Sullæ, fratris sui, triennio ante damnati. Hoc Torquatus objecerat, et diluit ingeniose Tullius.

2. *Ut consultum esse*. Id est, consulere voluerit. Sic MS Franc. ed. pr.

pugnare noluerit; promulgarit[3] impulsus amore fraterno, destiterit fratris auctoritate deductus. Atque in ea re per L. Cæcilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus. Primum Cæcilius, qui id promulgarit, in quo[4] res judicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur: Sulla recte reprehendit. Status enim reipublicæ maxime judicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. Nihil de judicio ferebat: sed pœnam ambitus eam ferebat, quæ fuerat [nuper] superioribus legibus constituta. Itaque hac rogatione, non judicum sententiam, sed legis vitium corrigebat. Nemo judicium reprehendit, quum de pœna queritur, sed legem. Damnatio enim est judicum, quæ manebat; pœna, legis, quæ levabatur. Noli igitur animos eorum ordinum[5], qui præsunt judiciis summa cum gravitate et dignitate, alienare a causa. Nemo labefactare judicium est conatus. Nihil est ejusmodi promulgatum. Semper Cæcilius in calamitate fratris sui judicum potestatem perpetuandam[6], legis acerbitatem mitigandam putavit.

XXIII. Sed quid. ego de hoc plura disputem? Dicerem fortasse, et facile, et libenter dicerem: si paullo

Græv. — *Cum republica*. Edit. ante Grut. « tamen cum rep. »

3. *Promulgarit impulsus amore fraterno*. Id est, aliquot dies proposuerit. — *Destiterit*. De lege ferenda. — *Deductus*. Dissuasus.

4. *Qui id promulgarit, in quo*. Mendosus hic locus. Sic restituit Henr. Stephanus ex MSS: «Primum Cæcilius, qui id promulgarit, quo fratris casum levare posset, quem, quia res judicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, recte Sulla reprehendit». Alii alio modo hunc locum voluerunt emendare.

5. *Eorum ordinum*. Id est, senatus et equitum. — *A causa*. Subaud. nostra.

6. *Perpetuandam*. Id est, perpetuo servandam. *Perpetuare* quamvis raro dicatur, eo tamen verbo Cic. usus est in lib. III de Orat. 45: « Si cujusquam sit infinitus spiritus, tamen eum *perpetuare* verba nolimus ».

etiam longius, quam finis quotidiani officii postulat, pietas et fraternus amor L. Cæcilium protulisset[1]; implorarem sensus vestros; uniuscujusque indulgentiam in suos testarer; peterem errato veniam L. Cæcilii ex intimis vestris cogitationibus, atque ex humanitate communi. Lex dies fuit proposita paucos; ferri cœpta numquam: posita[2] est in senatu; populum romanum latuit[3]. Quum in Capitolium nos senatum convocassemus, nihil est actum prius[4]; et id mandato Sullæ Q. Metellus[5] prætor se loqui dixit, Sullam istam rogationem de se nolle ferri. Ex illo tempore L. Cæcilius multa de republica egit; agrariæ legi[6], quæ tota a me reprehensa et abjecta est, intercessorem fore[7] professus est; improbis largitionibus restitit; senatus auctoritatem numquam impedivit; ita se gessit in tribunatu, ut, onere deposito domestici officii[8], nihil postea nisi de reipublicæ commodis cogitarit. Atque in ipsa rogatione, ne per vim quid ageretur, quis tum[9] nostrum Sullam aut Cæcilium verebatur? Nonne omnis ille terror, omnis seditionis timor atque opinio, ex Autronii improbitate pendebat? Ejus voces, ejus minæ ferebantur[10]; ejus

XXIII. 1. *Si paullo etiam longius... protulisset.* Id est, si pietas et fraternus amor L. Cæcilium ultra metas legibus positas protulisset. — *Sensus vestros.* Corda vestra. Quid sentiretis, si in loco Cæcilii essetis. — *Errato.* Pro errore.

2. Verba, « posita... latuit », spuria Grævio. J. V. L.

3. *Populum romanum latuit.* Senatus acta populum latebant, donec publicarentur.

4. *Nihil est actum prius.* Quam illi legi animum impenderet senatus, quam de illa consultaret.

5. *Q. Metellus.* Celer, qui post biennium legitimo intervallo, cum Afranio consul fuit.

6. *Agrariæ legi.* A tribuno Rullo promulgatæ; contra quem exstant Ciceronis orationes.

7. *Se intercessorem fore.* Se legi obstiturum, quia tum unus e tribunis plebis erat.

8. *Onere deposito domestici officii.* Omisso consilio ferendæ legis, quam promulgaverat impulsus amore fraterno.

9. *Tum.* Alii, *tamen.*

10. *Ferebantur.* Divulgabantur.

adspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum, metum nobis seditionesque afferebant. Itaque P. Sulla, hoc importunissimo tum honoris, tum etiam calamitatis socio[11] atque comite, et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.

XXIV. Hic tu epistolam meam sæpe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium[1] de meis rebus gestis et de summa reipublicæ[2] misi; et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quæris; et, si furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sullam in illa fuisse superiore conjuratione. Scilicet is sum, qui existimem, Cn. Pisonem, et Catilinam, et Vargunteium, et Autronium nihil scelerate, nihil audacter ipsos per sese sine P. Sulla facere potuisse. De quo[3] etiam si quis dubitasset antea, num, id quod tu arguis, cogitasset, interfecto patre tuo, consule, descendere kalendis januariis cum lictoribus; sustulisti hanc suspicionem, quum dixisti, hunc, ut Catilinam consulem[4] efficeret,

11. *Tum honoris, tum etiam calamitatis socio.* Quia simul consules designati erant et simul de ambitu damnati. Odium, pravitate Autronii conflatum, Sullam tetigit, quod ejus collega esset.

XXIV. 1. *Epistolam meam ... ad Cn. Pompeium.* Cicero Catilinæ conjuratione oppressa, ad Cn. Pompeium in Asia bellum Mithridaticum gerentem scripsit de utraque conjuratione Catilinæ. L. Torquatus ex his literis collegit P. Sullam fuisse ex conjuratione, idque Ciceronem significasse arguit, quamvis Sullam in ea epistola Cicero non nominaverit. Id negat Cicero.

2. Lallem. jubet legere, « de summa republica ».

3. *De quo.* P. Sulla. — *Si quis dubitasset.* Ostendit L. Torquatum dixisse quæ non conveniant. Nam si P. Sulla conjuravit L. Torquati patrem IIX kalendis januariis interficere, ut consulatum judicio amissum per vim recuperaret; non est verisimile eum, postquam damnatus est, operas et manum comparasse, ut Catilinæ contra Torquatum suffragaretur. — *Descendere.* Scilicet, in forum. Sic enim loquebantur, quia nobiliores in collibus habitabant. — *Cum lictoribus.* Id est, arrepto consulatu.

4. *Ut Catilinam consulem efficeret.*

contra patrem tuum operas[5] et manum comparasse. Quod si tibi ego confiteor, tu mihi concedas necesse est, hunc, quum Catilinæ suffragaretur, nihil de suo consulatu, quem judicio amiserat, per vim recuperando cogitavisse. Neque enim istorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen, judices, P. Sullæ persona suscipit[6].

Jam enim faciam, criminibus omnibus fere dissolutis[7], contra atque in ceteris causis fieri solet, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim de principio[8] studuit animus occurrere magnitudini criminis[9], satisfacere exspectationi hominum; de me aliquid ipso, qui accusatus eram, dicere. Nunc jam revocandi estis eo, quo vos ipsa causa, etiam tacente me, cogit animos mentesque convertere.

XXV. Omnibus in rebus, judices, quæ graviores majoresque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit[1], non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum. Neque enim potest quisquam nostrum subito fingi, neque cujusquam repente vita mutari, aut natura converti. Circumspicite paullisper mentibus vestris, ut alia omittamus, hosce

Comitiis habitis post Sullæ damnationem.

5. *Operas.* Apud Ciceronem sæpe invenire licet *operas* dici pro *operariis*, quos conducere solebant, qui vim aliquam moliebantur, ut in Vatinium. An erit hæc optio, et potestas tua, ut quum Clodianas operas, et facinorosorum hominum manum videris, Milonem dicas gladiatoribus et bestiariis obsedisse remp.

6. *Sullæ persona suscipit.* Probaturus est Cicero ex Sullæ vita anteacta crimen, de quo quæstio est, coargui et refutari.

7. *Dissolutis.* I. e. refutatis.

8. *De principio.* Scilicet causæ. Schütz. rescripsit *a principio.* — *Animus.* Meus.

9. *Occurrere magnitudini criminis.* Id est, dissolvere crimen, adversario refutato.

XXV. 1. *Voluerit, cogitarit, admiserit.* Primum enim volumus, deinde cogitamus qua ratione assequi possimus, postremo admittimus. — *Ex*

ipsos homines, qui huic affines sceleri[2] fuerunt. Catilina contra rempublicam conjuravit. Cujus aures umquam hoc respuerunt conatum esse[3] hominem usque a pueritia non solum intemperantia et scelere, sed etiam consuetudine et studio[4] in omni flagitio, stupro, cæde versatum[5]? Quis eum contra patriam pugnantem periisse miratur, quem semper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Lentuli societates cum indicibus[6], quis insaniam libidinum, quis perversam atque impiam religionem[7] recordatur, qui illum aut nefarie cogitasse, aut stulte sperasse miretur? Quis de C. Cethego, atque ejus in Hispaniam profectione[8], ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius pœnam carcer ædificatus esse videatur? Omitto ceteros, ne sit infinitum. Tantum a vobis peto, ut taciti de omnibus, quos conjurasse cognitum est, cogitetis. Intelligetis, unumquemque illorum prius a sua vita[9], quam nostra suspicione esse damnatum. Ipsum illum Autronium (quoniam ejus nomen finitimum maxime est hujus[10] periculo et crimini) non sua hæc vita convincit? Semper audax, petulans, libidinosus: quem in stuprorum de-

moribus. Vide orationem pro Cluentio, cap. 25.

2. *Huic affines sceleri.* Conjurationis.

3. *Conatum esse hominem.* Quis non sponte crediderit hominem versatum a pueritia in omni flagitio, etc. conatum esse hoc crimen.

4. *Studio.* Id est, peccandi cupiditate. Ut C. Cæsarem Cicero in libro II de Offic. vituperat, quod tanta in eo peccandi libido fuerit, ut hoc ipsum eum delectaret peccare, etiamsi causa non esset.

5. Cord. Erf. *grassatum.* J. V. L.

6. *Cum indicibus.* Id est, cum perditis hominibus, qui delatoriis artibus vivebant, et innocentibus insidias moliebantur.

7. *Impiam religionem.* Vide orat. in Catil. III, 4.

8. *In Hispaniam profectione.* Non liquet quare in Hispaniam sit profectus.

9. *A sua vita.* Subaudiendum, damnatum esse.

10. *Hujus.* P. Sullæ. — *Crimini.* Accusationi.

fensionibus[11] non solum verbis uti improbissimis solitum esse scimus, verum etiam pugnis et calcibus; quem exturbare[12] homines e possessionibus, cædem facere vicinorum, spoliare fana sociorum, vi [conatum] et armis disturbare judicia[13], in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipublicæ cedere[14], non fortunæ ipsi succumbere: hujus si causa non manifestissimis rebus teneretur[15], tamen eum mores ipsius ac vita convincerent.

XXVI. Agedum[1], conferte nunc cum illis vitam[2] P. Sullæ, vobis populoque romano notissimam, judices, et eam ante oculos vestros proponite. Ecquod hujus factum aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquam paullo minus consideratum videretur? Factum quæro? verbum ecquod umquam ex ore hujus excidit, unde quisquam posset offendi? At vero in illa gravi L. Sullæ victoria turbulentaque, quis P. Sulla mitior[3]? quis misericordior inventus est?

11. *Quem in stuprorum defensionibus.* Id est, quum in foro stupra aliena aut sua defenderet; eum enim oratorem fuisse significat. — *Pugnis et calcibus.* Proverbium. Id est, omni contumeliæ genere.

12. *Exturbare.* Id est, vi ejicere. — *Spoliare fana sociorum.* Significat Autronium in prætura spoliasse templa ejus provinciæ cui præerat, ac repetundarum accusatum fuisse.

13. *Disturbare judicia.* Ne condemnaretur.

14. *Non reipublicæ cedere.* Obtemperare. — *Non fortunæ..... succumbere.* Id est, de ambitu damnatum non quiescere, sed conjurare. In libro de Officiis primo, « succumbere fortunæ » dixit, a fortuna vinci, jacere, atque abjectum habere animum.

15. *Rebus teneretur.* Evidentia. Cicero dixit pro Milone: « Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ notæ omnibus, quæ tenentur? »

XXVI. 1. *Agedum.* Lambin. *agitedum*, præter libros. Propertius ipse: « Eia agedum, dominæ mentem convertite nostræ ».

2. Alii, « illius vita vitam P. S. » Nos sequimur Græv. Ernest. Lallem. Beck. etc. » J. V. L.

3. *Quis P. Sulla mitior?* Orator sic causæ suæ gratia loquitur; aliter enim scribit in libro de Officiis secundo: « Nec, inquit, umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam meminerint et sperabunt, quam

quam multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus? quam multi sunt summi homines et ornatissimi, et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullæ obligavit[4]? quos ego nominarem; neque enim ipsi nolunt[5], et huic, animo gratissimo, adsunt: sed quia majus est beneficium[6], quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut, quod potuit[7], tempori tribuatis; quod fecit, ipsi.

Quid reliquam constantiam vitæ commemorem? dignitatem? liberalitatem? moderationem in privatis rebus[8]? splendorem in publicis? quæ ita a[9] fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant[10]. Quæ domus? quæ celebratio[11] quotidiana?

P. Sulla quum vibrasset dictatore propinquo suo, idem sexto et tricesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit». Vide quæ ad illum locum notavit Langius, de Offic. II, c. 8.

4. *Hic Sullæ obligavit. Hic*, id est, P. Sulla obligavit se L. Sullæ dictatori. Solebant veteres se pro aliis obligare: Cicero ipse hujus obligationis pœnitere se scripsit ad Brutum: «Maximo, inquit, quum hæc scribebam, afficiebar dolore, quod quum me pro adolescentulo ac pæne puero respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram præstare posse. Est autem gravior et difficilior animi et sententiæ, maximis præsertim in rebus, pro altero, quam pecuniæ obligatio. Hæc enim solvi potest, et est rei familiaris jactura tolerabilis. Reipublicæ, quod spoponderis, quemadmodum solvas, nisi is dependi facile patitur, pro quo spoponderis?»

5. *Neque enim ipsi nolunt*. Ipsi libenter volunt. Hoc adjunxit Cicero; nam pro Sex. Roscio dixit: «Homines notos sumere odiosum est, quum illud incertum sit, velintne hi sese nominari».—*Et huic*. Id est, P. Sullæ.

6. *Sed quia majus est beneficium*. P. Sullæ. Quam civis debet posse dare civi. Id est, vitam dare civi est beneficium quod debet superare facultatem civis; quia, salvis legibus, nullus civis in cives potestatem vitæ ac necis habere debet.

7. *Quod potuit*. Illam quam habuit potestatem. — *Quod fecit*. I. e. beneficia quæ præstitit.

8. *Moderationem in privatis rebus*. Nam, ut ait pro L. Murena: «Odit populus romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit».

9. *A fortuna*. Propter damnationem de ambitu.

10. *A natura inchoata compareant*. Id est, naturæ quædam vestigia remaneant.

11. *Quæ celebratio quotidiana*. Id est, quæ frequentatio, priusquam Sulla damnaretur. — *Familiaris*. I. e. familiarium dignitas.

quæ familiaris dignitas? quæ studia amicorum? quæ ex quoque ordine multitudo? Hæc diu multumque, et multo labore quæsita, una eripuit hora[12]. Accepit P. Sulla, judices, vehemens vulnus et mortiferum: verumtamen ejusmodi, quod videretur ejus vita et natura accipere potuisse[13]. Honestatis et dignitatis habuisse nimis magnam judicatus est[14] cupiditatem: quam si nemo alius habuit in consulatu petendo, cupidior judicatus est[15] hic fuisse, quam ceteri; sin etiam in aliis nonnullis fuit iste consulatus amor, fortuna in hoc fuit fortasse gravior[16], quam in ceteris. Postea vero quis P. Sullam, nisi mœrentem, demissum, afflictumque vidit? quis umquam est suspicatus, hunc magis odio, quam pudore hominum adspectum lucemque vitare? Qui quum multa haberet invitamenta urbis et fori, propter summa studia amicorum, quæ tamen ei sola in malis restiterunt, abfuit ab oculis vestris; et, quum lege retineretur[17], ipse se exsilio pæne multavit.

XXVII. In hoc vos pudore[1], judices, et in hac vita, tanto sceleri[2] locum fuisse creditis? Adspicite

12. *Una eripuit hora.* Qua damnatus est.

13. *Videretur ejus vita et natura accipere potuisse.* Quia vita ejus beneficiis plena nihil prodebat cujus eum puderet, et natura erat tam constanti, ut calamitatem suam fortiter tolerare posset.

14. *Honestatis ... judicatus est cupiditatem.* Id est, nimis cupide ambiisse consulatum.

15. *Judicatus est hic fuisse.* Sine causa Ernest. reponere voluerat « judicetur ». J. V. L.

16. *Fortuna in hoc...gravior, quam in ceteris.* Quia, quum in pari culpa alii fuerint, solus tamen Sulla damnatus est.

17. *Quum lege retineretur.* Lege Calpurnia, quæ de ambitu damnatis exsilium non irrogabat. Postea decem annorum exsilium addidit Tullia lex, a consule Cicerone lata, quia timebat ne quis Catilinæ amicus furtim in consulatum irreperet.

XXVII. 1. *Pudore, judices, et in hac via.* Alii, « pudore judicii, et in h. v. » J. V. L.

2. *Tanto sceleri.* Id est, conjurationi.

ipsum ; contuemini os; conferte [3] crimen cum vita; vitam, ab initio ad hoc tempus explicatam, cum crimine recognoscite. Mitto [4] rempublicam, quæ fuit semper Sullæ carissima : hosne amicos, tales viros, tam cupidos sui [5], per quos res ejus secundæ quondam erant ornatæ, nunc sublevantur [6] adversæ, crudelissime perire voluit, ut cum Lentulo, et Catilina, et Cethego fœdissimam vitam ac miserrimam, turpissima [7] morte proposita, degeret ? Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores [8], non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio.

Nova quædam illa immanitas exorta est; incredibilis fuit ac singularis furor; ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vitiis repente tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. Nolite, judices, arbitrari, hominum illum impetum [9] et conatum fuisse. Neque enim ulla gens tam barbara, aut tam immanis umquam fuit, in qua non modo tot, sed unus tam crudelis hostis patriæ sit inventus. Belluæ quædam illæ ex portentis immanes [10] ac feræ, forma hominum indutæ, exstiterunt. Perspicite etiam atque etiam, judices : nihil enim est, quod in hac causa dici possit vehementius. Penitus introspicite Catilinæ, Autronii,

3. Schütz. delevit hæc, « conferte ... vita ». J. V. L.

4. *Mitto*. Id est, non loquor de rep. cujus amor Sullam a conjuratione revocasset. — *Hosne amicos*. Qui aderant.

5. *Tam cupidos sui*. Illius, Sullæ.

6. *Sublevantur*. Per quos adversæ leniuntur.

7. *Turpissima morte*. Turpis ea mors dicitur quam improbi dant legibus, aut quam sibi consciscunt furentes. Auctore Servio, in libris pontificalibus cautum fuerat ut qui laqueo finisset vitam, is insepultus abjiceretur.

8. *In hos mores*. Sullæ.

9. *Illum impetum*. Opus hominum.

10. *Ex portentis immanes*. In prodigiis, in monstris habentur animalia ea, quæ ceteris sui generis similia non sunt. Ut T. Livius libro XXVII inter prodigia enumerat infantem quemdam cum elephanti capite natum. Hujusmodi animalia ex portentis immania sunt. Idem fit ex moribus depravatis.

Cethegi, Lentuli, ceterorumque mentes : quas vos in his libidines, quæ flagitia, quas turpitudines, quantas audacias[11], quam incredibiles furores, quas notas scelerum, quæ indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis? Ex magnis, et diuturnis, et jam desperatis reipublicæ morbis ista repente vis erupit, ut, ea confecta et ejecta, convalescere aliquando et sanari civitas possit[12]. Neque enim est quisquam, qui arbitretur, illis inclusis in republica pestibus[13], diutius hæc stare potuisse. Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reipublicæ pœnas, furiæ quædam incitaverunt[14].

XXVIII. In hunc igitur gregem[1] vos nunc P. Sullam, judices, ex his, qui cum hoc vivunt atque vixerunt, honestissimorum hominum gregibus, rejicietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem, atque in parricidarum cœtum ac numerum transferetis? Ubi erit igitur illud fortissimum[2] præsidium pudoris[3]? quo in loco nobis vita ante acta proderit? quod ad tempus existimationis partæ fructus reservabitur, si in extremo discrimine

11. *Quantas audacias.* In numero plurali dixit quoque in Verrem V : *Vultis autem ipsorum audacias.... resecare?* Et libro epistol. ad Atticum 9 : « noli putare tolerabiles horum *insanias*, nec unius modi fore. Ea si quid te horum fugit, legibus, judiciis, senatu sublato, libidines, *audacias*, sumptus, *egestates* tot egentissimorum hominum, nec privatas posse res, nec rempublicam sustinere ».

12. *Civitas possit.* Ernest. *civitas posset.* J. V. L.

13. *Pestibus.* Sic de resp. harusp. « Cum his furiis et facibus, cum his inquam exitiosis prodigiis, ac pæne hujus imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum ». Et pro P. Sextio : « luce, palam, a nefariis pestibus in deorum, hominumque conspectu esset occisus ». — *Diutius hæc.* Id est, urbem ipsam, et quodcumque continet.

14. *Furiæ quædam incitaverunt.* Pœnas improborum divina voluntate pendi sæpe significat Cicero.

XXVIII. 1. *In hunc igitur gregem.* Eorum quos furiæ incitaverunt. — *Cum hoc.* Sulla.

2. *Illud fortissimum.* Lamb. *firmissimum.* J. V. L.

3. *Pudoris.* Hic honorem significat.

ac dimicatione fortunæ deseret[4]? si non aderit? si nihil adjuvabit?

Quæstiones nobis servorum ac tormenta accusator minitatur : in quibus quamquam nihil periculi suspicamur; tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujusque[5] tum animi, tum corporis; regit quæsitor[6], flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Sullæ[7] torqueatur; ex ea quæratur, num quæ occultetur libido, num quod lateat facinus, num quæ crudelitas, num quæ audacia : nihil erroris[8] erit in causa, nec obscuritatis, judices, si a vobis vitæ perpetuæ vox ea[9], quæ gravissima debet esse, audietur. Nullum in hac causa testem timemus : nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur. Sed tamen, si nihil vos P. Sullæ fortuna movet, judices, vestra moveat. Vestra enim, qui cum summa

4. Ern. *deseruerit*. J. V. L.

5. *Moderatur natura cujusque*. Ulpianus libro Digestorum XLVIII, de quæstionibus : « Quæstioni, inquit, fidem non semper, nec tamen numquam habendam constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis et periculosa, et quæ veritatem fallat; nam plerique patientia sive duritia ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab iis veritas nullo modo possit; alii tanta impatientia, ut in quovis potius mentiri, quam pati tormenta velint. Itaque fit, ut vario modo mentiantur, et non tantum se verum etiam alios criminentur ». Quod verum optime in versiculo uno complexus est V. C. *Raynouard* in nobilissima tragœdia, *les Templiers* : « La torture interroge, et la douleur répond ».

6. *Regit quæsitor*. Quæsitor, is qui præerat quæstioni, ex quærendi ratione multum valebat, ut hoc vel illud retorqueretur. — *Flectit libido*. Id est, cupiditas quæsitoris. Qui enim cruciabatur, liberatum iri se putabat, si responderet, quod quæsitor cuperet. — *Corrumpit spes*. Scilicet, libertatis. — *Infirmat metus*. Subaud. supplicii, ut pro Milone : « age vero, quæ erat, aut qualis quæstio? Heus, ubi Roscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit : sperata libertas ». Roscio et Casca accusatoris servi erant, qui spe et metu inducti, aliud atque aliud responderunt.

7. Oratorie; codd. quod tamen Palatini, « Vita P. Sullæ, Torquate, ex ea, etc. » errore nescio cujus emendatoris. J. V. L.

8. *Nihil erroris*. Quia ex anteacta vita veritas elucebit.

9. *Vitæ perpetuæ vox ea*. Id est, totius vitæ anteactæ.

elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest, non ex libidine, aut simultate, aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari, sed in magnis disquisitionibus, repentinisque periculis, vitam uniuscujusque esse testem [10]. Quam vos, judices, nolite armis suis spoliatam [11] atque nudatam objicere invidiæ, dedere suspicioni. Munite communem arcem bonorum [12], obstruite perfugia improborum. Valeat ad pœnam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici; subito flecti fingique non posse.

XXIX. Quid vero? hæc auctoritas [1] (semper enim de ea dicendum est; quamquam a me timide modiceque dicetur), quid, inquam, hæc auctoritas nostra, qui a ceteris conjurationis [2] causis abstinuimus, P. Sullam defendimus : nihil hunc tandem juvabit? Grave [3] est hoc dictum fortasse, judices, si appetimus [4] aliquid: si, quum ceteri de nobis silent, non etiam nosmet ipsi tacemus, grave. Sed, si lædimur, si accusamur, si in invidiam vocamur; profecto conceditis [5], judices, ut nobis libertatem retinere liceat, si minus liceat dignitatem.

10. *Vitam uniuscujusque esse testem.* Id est, maxime interest vitam uniuscujusque esse testem, et causas honestorum non ponderari ex libidine testium, etc.

11. *Armis suis spoliatam.* Id est, vitam Sullæ spoliatam suis virtutibus, meritis, etc. quibus muniri debet adversus invidorum vel improborum hominum falsas accusationes.

12. *Communem arcem bonorum.* Id est, vitam anteactam, quæ est quasi arx communis. — *Obstruite perfugia improborum.* Qui falsis testibus bonorum salutem oppugnant. Male Lambinus *perfugio.* — *Valeat.* Scilicet vita. — *Non posse.* Subaud. quam vitam videtis non posse subito flecti et fingi.

XXIX. 1. *Hæc auctoritas.* Quam Torquatus diminuere conatus est.

2. *Qui a ceteris conjurationis.* Id est, qui ex conjuratis omnibus alium nullum defendimus.

3. *Grave.* Id est, superbiam sapit. — Verba, *est... judices*, Gruter. e cod. Erf. supplevit; Vict. Manut. Lamb. non agnoscunt. J. V. L.

4. *Si appetimus aliquid.* Laudis ex nostra auctoritate.

5. *Conceditis.* F. Urs. Lamb. Græv.

Accusati sunt uno nomine[6] consulares : ut jam videatur honoris amplissimi nomen[7] plus invidiæ, quam dignitatis afferre. Adfuerunt[8], inquit, Catilinæ, illumque laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat cognita conjuratio : defendebant amicum, aderant supplici, vitæ ejus turpitudinem in summis ejus periculis non insequebantur. Quin etiam parens tuus, Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit advocatus: improbo homini, at supplici; fortasse audaci, at aliquando amico. Cui quum adfuit post delatam ad eum primam illam conjurationem[9]; indicavit se audisse aliquid[10], non credidisse. At idem non adfuit alio in judicio[11], quum adessent ceteri. Si postea cognorat ipse aliquid, quod in consulatu ignorasset; ignoscendum est iis, qui postea nihil audierunt. Sin illa res prima[12] valuit; non inveterata, quam recens, debuit esse gravior. Sed, si tuus parens etiam in illa suspicione periculi sui, tamen humanitate ad-

e cod. Fr. 1. Lallem. — *Conceditis... libertatem*. Dicendi. — *Si minus liceat.* Retinere dignitatem.

6. *Accusati sunt uno nomine.* Id est, Torquatus omoes consulares una accusavit.

7. *Honoris amplissimi nomen.* Id est, nomen coosulatus, dignitatis amplissimæ.

8. *Adfuerunt... Catilinæ.* Id est, coosulares. L. Catilina bis causam dixit, oam Cicero io L. Pisonem ait Catilinam bis absolotum fuisse, sed injuste. L. Catilina prætor Africam provinciam obtinoit. Eam quum graviter vexasset, legati Afri in senatu, jam tom absente illo, questi suot. Multæ gravesque sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. Isqoe L. Torquato et L. Cotta coss. a P. Clodio repetundarum accusatus est.

9. *Post delatam... conjurationem.* Scilicet, delatam uoi Torquato consuli, sed oondum in senatu de illa conjuratione cognitum erat.

10. *Se audisse aliquid.* De conjuratione.

11. *Alio in judicio.* Post effecta comitia coosularia Cæsare et Figulo coss. quum repulsam Catilina passos esset, accusatus est inter sicarios fuisse.

12. *Res de pecuniis repetundis p. v.* Sic habebant olim edd. noooullæ; recte autem, Lambin. et Mannt. auctoribus, sublatum est glossema, quod abest a pl. MSS. J. V. L. — *Illa res prima valuit.* Prima coojoratio qoæ illi uni delata fuerat. — *Non inveterata.* Id est, delatio illa inveterata non debuit esse gravior illi, id est, aoimum ejus magis movere, quæ eum recens non moverat.

ductus advocationem [13] hominis improbissimi sella curuli, atque ornamentis et suis, et consulatus honestavit : quid est, quamobrem consulares, qui Catilinæ adfuerunt, reprehendantur [14] ? At iidem [15] iis, qui ante hunc causam de conjuratione dixerunt, non adfuerunt. Tanto scelere adstrictis hominibus, statuerunt [16], nihil a se adjumenti, nihil opis, nihil auxilii ferri oportere. Atque, ut de eorum [17] constantia atque animo in rempublicam dicam, quorum tacita gravitas et fides de unoquoque loquitur, neque cujusquam ornamenta orationis desiderat [18] : potest quisquam dicere umquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse, quam iis temporibus et periculis, quibus pæne oppressa est respublica? Quis [19] non de communi salute apertissime, quis non fortissime, quis non constantissime sensit? Neque ego præcipue de consularibus disputo. Nam hæc et hominum ornatissimorum, qui prætores fuerunt, et universi senatus, communis est laus : ut constet, post hominum memoriam numquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rempublicam, plus gravitatis fuisse. Sed quia sunt descripti [20] consulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod satis esset, attestante [21] memoria

13. *Advocationem.* Id est, præsidium. — *Ornamentis et suis.* Propria dignitate.

14. *Reprehendantur.* Si quidem reprehensione essent digni, a fortiori pater ipse tuus esset dignior, quia de conjuratione delatum illi erat.

15. *At iidem.* Consulares conjuratis non adfuerunt. — *Ante hunc.* Scilicet, P. Sullam.

16. *Statuerunt.* Scilicet, consulares nihil auxilii ferendum esse hominibus.

17. *Eorum.* Consularium. — *De unoquoque.* Ipsorum.

18. *Neque cujusquam ornamenta orationis desiderat.* Id est, et cui ornamentis cujusquam orationis opus non est.

19. *Quis.* Illorum. — *Sensit.* Id est, sententiam dixit.

20. *Descripti.* Id est, a Torquato designati.

21. *Attestantem memoriam* habent codd. Palat. et S. Vict. et Grut. edidit. Gulielm. conjiciebat *antestantem.* Utrumque durum nimis. Lamb. felicius, *ad testandam memoriam* o. J. V. L.

omnium [22], neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate, incubuerit ad rempublicam conservandam.

XXX. Sed quid? ego, qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinæ consul non adfui [1], qui testimonium de conjuratione dixi in alios [2], adeone vobis alienus a sanitate, adeo oblitus constantiæ meæ, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor, ut, quum consul bellum gesserim cum conjuratis, nunc eorum ducem [3] servare [4] cupiam, et in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim, ejusdem nunc causam vitamque defendere? Si medius fidius [5], judices, non me ipsa respublica, meis laboribus et periculis conservata, ad gravitatem animi et constantiam sua dignitate revocaret; tamen hoc natura est insitum, ut, quem timueris, quicum [6] de vita fortunisque contenderis, cujus ex insidiis evaseris, hunc semper oderis [7]. Sed, quum agatur honos meus amplissimus, gloria rerum gestarum singularis; quum, quoties quisquam est in [8] hoc scelere convictus, toties renovetur memoria per me inventæ salutis: ego sim tam demens; ego committam, ut ea, quæ pro salute omnium gessi, casu magis et felici-

22. *Omnium.* Civium. — *Honoris gradu.* Ex consularibus. Reddidit rationem quare satis dixerit; nempe, quia omnium memoria testatur, vera esse, quæ dixit.

XXX, 1. *Catilinæ consul non adfui.* Ut Torquati pater.

2. *De conjuratione dixi in alios.* Oppressa Catilinæ conjuratione, Cicero plurimos ejusdem sceleris conscios in judicium vocavit, qui condemnati sunt.

3. *Ducem.* P. Sullam, qui eorum dux fuisset, si in conjuratione fuisset.

4. Sic Lallem. Beck. al. e plerisque MSS. Alii, inter quos Ernest. *conservare.* J. V. L.

5. *Medius fidius.* Id est, deus fidei me adjuvet. *Medius* non vox una, sed duæ.

6. *Quicum.* Pro, *cum quo.*

7. *Hunc semper oderis.* Ferarum est semper odisse, hominis parcere; quia hodie mihi, cras tibi.

8. Abest *in* ab edd. Lambinianis. J. V. L.

tate[9] a me, quam virtute et consilio gesta esse videantur?

Quid ergo? hoc tibi sumis[10], dicet fortasse quispiam, ut, quia tu defenderis, innocens judicetur? Ego vero, judices, non modo nihil mihi assumo, in quo quispiam repugnet[11]; sed etiam, si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. Non in ea republica versor, non iis temporibus caput meum obtuli pro patria periculis omnibus, non aut ita sunt exstincti, quos vici, aut ita grati, quos servavi, ut ego mihi plus appetere coner, quam quantum omnes inimici invidique patiantur[12]. Grave esse videretur[13], eum, qui investigarit conjurationem, qui patefecerit, qui oppresserit, cui senatus singularibus verbis gratias egerit[14], cui uni togato supplicationem[15] decreverit, dicere in judicio : Non defenderem, si conjurasset. Non dico id, quod grave est; dico illud, quod in his causis conjurationis non auctoritati assumam, sed pudori meo[16] : Ego ille conjurationis investigator atque ultor, certe non defenderem Sullam, si conjurasse arbitrarer. Ego, judices, de tantis omnium periculis quum quærerem omnia, multa audirem, non crede-

9. *Casu magis et felicitate.* Eadem sententia in epistola ad Metellum lib. V : « Hujus ego temeritati si virtute atque animo non restitissem, quis esset qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse ».

10. *Hoc tibi sumis.* Id est, arrogas; hoc de te præsumis.

11. *In quo quispiam repugnet.* Id est, quod mihi negaretur.

12. *Quam quantum... patiantur.* Id est, mihi concedi.

13. *Grave esse videretur.* Id est, molestum aliis.

14. *Senatus singularibus verbis gratias egerit.* In æde Concordiæ, quum Allobroges, et Umbrenus ad pontem Milvium deprehensi, Romam reducti sunt.

15. *Togato supplicationem.* De hac supplicatione loquitur in epistol. ad Catonem lib. XIV, Philipp. 14, et in Pisonem his verbis : « mihi togato senatus, non ut multis, bene gesta, sed, ut nemini, conservata republica, singulari genere supplicationis, deorum immortalium templa patefecit ».

16. *Pudori meo.* Id est, *honori meo.*

rem omnia, caverem[17] omnia; dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius suspicione, nullius[18] literis de republica P. Sullæ rem ullam ad me esse delatam.

XXXI. Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic imperio præsidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque romanum, qui hæc tecta atque templa, me consule, vestro numine auxilioque servastis, testor, integro me animo ac libero[1], P. Sullæ causam defendere; nullum a me sciente facinus occultari, nullum scelus susceptum contra salutem omnium defendi ac tegi. Nihil de hoc consul comperi, nihil suspicatus sum, nihil audivi. Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum (persolvi patriæ, quod debui; reliqua jam a me meæ perpetuæ consuetudini naturæque debentur) : tam sum misericors, judices, quam vos; tam mitis, quam qui lenissimus. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci, nisi coactus[2]; reipublicæ præcipitanti subveni; patriam demersam extuli[3]; misericordia civium adducti[4], tunc fuimus tam vehementes, quam necesse fuit : salus esset omnium amissa una nocte, nisi esset severitas illa suscepta. Sed, ut ad sceleratorum pœnam amore rei-

17. *Caverem.* Id est, suspecta haberem.

18. Ernest. *nullius.* Deinde habent Olivet. et Lallem. *de re P. Sullæ.* Alii aliter mutant. J. V. L.

XXXI. 1. *Integro me animo ac libero.* Cæsar apud Sallust. « Omnes homines, inquit, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt ».

2. *Nisi coactus.* Periculo patriæ. — *Præcipitanti.* Id est, cadenti, perituræ.

3. *Patriam demersam extuli.* Translatio ab homine imis aquis extracto.

4. *Misericordia civium adducti.* Cicero, ut in causa Verris, se potius Siculos defendere, quam Verrem accusare, dicit; ita hoc loco se misericordia adductum ait, ut de conjuratis supplicium sumeret, ut in hoc naturam, in illo morem suum retineret.

publicæ sum adductus, sic ad salutem innocentium voluntate deducor.

Nihil video esse in hoc P. Sulla, judices, odio dignum, misericordia digna[5] multa. Neque enim nunc propulsandæ calamitatis suæ causa[6] supplex ad vos, judices, confugit; sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariæ turpitudinis inuratur. Nam ipse quidem, si erit vestro judicio liberatus, quæ habet[7] ornamenta, quæ solatia reliquæ vitæ, quibus lætari et perfrui possit? Domus erit, credo, exornata; aperientur majorum imagines[8]; ipse ornatum ac vestitum recuperabit. Omnia, judices, hæc amissa sunt; omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius judicii calamitate[9] occiderunt. Sed ne exstinctor patriæ, ne proditor, ne hostis appelletur, ne hanc labem tanti sceleris[10] in familia relinquat, id laborat, id metuit; ne denique hic miser, conjurati, et conscelerati, et proditoris filius nominetur: huic puero, qui est ei vita sua multo carior, metuit, cui honoris integros fructus[11] non sit traditurus, ne æternam memoriam dedecoris relinquat. Hic vos orat[12], judices,

5. *Misericordia digna.* Subaud. video. Quintilianus libro VI ait: « Plurimum valet miseratio, quæ judicem flecti non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri. Hæc petentur aut ex iis quæ passus est reus, aut ex iis quæ tum maxime patitur, aut ex iis quæ damnatum manent; quæ et ipsa duplicantur, quum dicimus, ex qua illi fortuna, et in quam recidendum sit ». His modis majore ex parte misericordiam hic Cicero movet.

6. *Propulsandæ calamitatis suæ causa.* Id est, condemnationis de ambitu. — *Generi.* Id est, genti suæ.

7. Ernest. conj. *habebit.* J. V. L.

8. *Aperientur majorum imagines.* Cereas majorum imagines conservabant, quas velabant calamitoso et luctuoso tempore.

9. *Unius judicii calamitate.* Sullæ condemnatio illi jura civis pulcherrima ademerat.

10. *Generis.* Emendavit Lambin. e MSS H. Steph. et Pithœi. Retinuit Lallem. priscam lectionem. J. V. L.

11. *Honoris integros fructus.* Id est, insignia consulatus, quæ nisi Sulla damnatus esset, ad filium pervenissent. Dixit supra: « Honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt ».

12. *Hic vos orat.* Liberi tantum

parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta, patri suo gratulari sinatis[13]: huic misero notiora sunt judiciorum itinera et fori, quam campi et disciplinarum[14]. Non jam de vita P. Sullæ, judices, sed de sepultura contenditur: vita erepta est[15] superiore judicio; nunc, ne corpus ejiciatur[16], laboramus. Quid enim est huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut quid est, quamobrem hæc cuiquam vita videatur?

XXXII. Nuper[1] is homo fuit in civitate P. Sulla, ut nemo ei se neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret: nunc, spoliatus omni dignitate, quæ erepta sunt, non repetit; quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his necessariis[2] lugere suam calamitatem liceat, id sibi ne eripiatis, judices, vos obtestatur. Te ipsum jam, Torquate, expletum[3] esse hujus miseriis, par erat. Etsi nihil aliud Sullæ nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat: honoris enim contentio[4] vos ad causam, non inimicitiæ deduxerunt. Sed quum huic omnia cum honore[5] de-

possunt ad movendos affectos, ut Sergius Galba ad populum romanum causam dicens, quum periclitaretur, parvulos filios suos et Sulpicii Galli sanguine conjunctum filium populo romano flens commendaverit; quo concionem ita mitigavit, ut, qui omnium consensu periturus erat, pæne nullum triste suffragium habuerit. Valer. lib. VIII, tit. infames rei quibus ex causis absoluti aut damnati sint.

13. *Gratulari sinatis.* Quod dedecoris memoriam non relinquat.

14. *Quam campi et disciplinarum.* Suband. itinera. In campo Martio corpus equitando, arma tractando, natando; in disciplinis, id est, in scholis, animus exercebatur.

15. *Vita erepta est.* Id est, vita civilis, quod Calpurnia lex vetabat, ne de ambitu damnati umquam publicis fungi possent muneribus.

16. *Ne corpus ejiciatur.* Ne damnatus Sulla exsilio multetur.

XXXII. 1. *Nuper.* Antequam de ambitu damnatus esset.

2. *Cum his necessariis.* Id est, amicis, qui aderant.

3. *Expletum.* Id est, saturatum.

4. *Honoris... contentio.* Ambitio. — *Ad causam.* Suband. primam.

5. *Cum honore.* Id est, consulatu.

tracta sint, quum in hac fortuna misera[6] ac luctuosissima destitutus sit: quid est, quod expetas amplius? Lucisne hanc usuram[7] eripere vis plenam lacrymarum atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinetur? Libenter reddiderit[8], adempta ignominia fœdissimi criminis. An vero inimicum ut expellas[9]? cujus ex miseriis, si esses crudelissimus, videndo fructum caperes majorem, quam audiendo.

O miserum et infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus est! o falsam spem! o volucrem fortunam! o cæcam cupiditatem! o præposteram[10] gratulationem! quam cito illa omnia ex lætitia et voluptate ad luctum et lacrymas reciderunt, ut, qui paullo ante consul designatus fuisset, retineret repente nullum vestigium pristinæ dignitatis! Quid enim erat mali, quod huic, spoliato[11] honore, fama, fortunis, deesse videretur? aut cui novæ calamitati locus ullus relictus esset[12]? Urget eadem fortuna[13], quæ cœpit; reperit novum mœrorem; non patitur, hominem calamitosum uno modo afflictum, uno in luctu perire.

XXXIII. Sed jam impedior egomet, judices, dolore animi[1], ne de hujus miseria plura dicam. Vestræ jam

6. Lambin. *miserrima*. J. V. L.

7. *Lucis... usuram*. Id est, vitam.

8. *Libenter reddiderit*. Subaud. usuram. Id est, libenter morietur. — *Fœdissimi criminis*. Conjurationis.

9. *Inimicum ut expellas*. Id est, ut in exsilium ejicias. — *Si esses*. Id est, quando quidem esses. — *Fructum caperes majorem*. Multo magis fruereris miseriis hujus.

10. *Præposteram*. Id est, nimium cito factam.

11. *Huic, spoliato honore*. Quod videretur huic, qui spoliatus erat honore deesse fama, fortunis.

12. Ernest. conjicit scribendum esse *relictus erat?* J. V. L.

13. *Urget eadem fortuna*. Id est, fortuna quæ cœpit persequi illum, eadem *urget*, persequitur adhuc. — *Novum mœrorem*. Id est, novam causam mœroris.

XXXIII. 1. *Impedior.... dolore animi*. Quintilianus docet oratorem vere affectum esse debere, si aliis affectus movere velit.

sunt partes[2], judices : in vestra mansuetudine atque humanitate causam totam repono. Vos rejectione interposita[3], nihil suspicantibus nobis, repentini in nos judices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis[4], a fortuna nobis ad præsidium innocentiæ[5] constituti. Ut ego, quid de me populus romanus existimaret, quia severus in improbos fueram, laboravi[6], et, quæ prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi : sic vos severitatem judiciorum, quæ per hos menses[7] in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate. Hoc quum impetrare a vobis ipsa causa debet : tum est vestri animi atque virtutis declarare, non esse eos vos, ad quos potissimum, interposita rejectione, devenire[8] convenerit. In quo ego, judices, vos, quantum meus amor in vos postulat, tantum hortor, ut communi studio, quoniam in republica[9] conjuncti sumus, mansuetudine et misericordia vestra falsam a nobis crudelitatis famam repellamus.

2. *Vestræ jam sunt partes.* Id est, nunc vestrum est *partibus*, scilicet officiis, muneribus vestris fungi.

3. *Vos rejectione interposita.* Olim, *et rejectione.* Facta judicum sortitione, licebat accusatori et reo ex eo numero rejicere, quos sibi inimicos, aut aliqua ex re incommodos fore putarent. Sed in crimine conjurationis ad unum accusatorem judicum rejectio pertinebat. L. Torquatum artibus usum esse suspicatur vetus scholiastes non prorsus laudandis. Conjicit enim aliam tum causam *de vi, lege Plautia*, dicendam in alio tribunali eodem tempore quo Ciceronis, et Torquatum ita fecisse aut gratia aut aliis modis ut judex quæstionis *de vi*, subsortitionum via, ad tribunal suum traxerit omnes Sullæ judices quos illi gratiosos fore existimaret; qui etiam sensus capitis fine confirmari videtur. Mira quidem industria judices, tum quum suffragia laturi essent, monet Cicero, caveant ne his doli et odii artibus favisse videantur, si Sullam injuste condemnent.

4. *Ad spem acerbitatis.* In Sullam.

5. *Ad præsidium innocentiæ.* Quod integritate et justitia innotescerent. Blanditur, ut sibi eorum conciliet gratiam.

6. *Laboravi.* Id est, quemadmodum ego, quia severus in improbos fueram, notum facere volui quid de me populus rom. existimare deberet, et suscepi quæ prima, etc.

7. *Per hos menses.* Qui Ciceronis consulatum proxime sunt sequuti. Vide supra, cap. 30.

8. *Devenire convenerit.* Ad quos se dirigere debuerint accusatores iniqui.

9. Al. *rebus.* J. V. L.

IN ORATIONEM SULLANAM*

SCHOLIASTÆ AMBROSIANI

COMMENTARIUS **.

III. 1....... videatur adsciscere; ait se non periculum communicare, sed laudem, nec ut plures periclitentur, sed ut multi æqualiter glorientur.

2. In Autronium testimonium dixisti, inquit, Sullam defendis. Et (1) reliquum.

Acutissimum torquet *argumentum* (2) prope ad vim dialecticorum, ut adversarii propositio utrimque conclusa teneatur. Dixisti, inquit, in Autronium testimonium, et quodammodo nunc deficis a constantia tua, qui P. Sullæ patrocinaris. Huic ita factæ propositioni (3) opponitur, ut animadvertis, acuta responsio. Si minus integre, inquid (4), testimonium dixi; nec defensioni meæ, quam nunc aggredior, inesse debet auctoritas: si vero fides constitit mihi testimonium dicenti, cur non ab eadem fide etiam defensionis hujus æquitas descendat? Et hic jam se animis judicum latenter insinuat, ut præsens defensio in testimonii vicem cedat.

* Cellarius Orthograph. (ed. Patav. 1724, pag. 7) ait: « Sulla, viri nomen, quod Græci Σύλλα scribunt, latinum est, ideoque ubique fere *u* servatum ». Codex tamen antiquissimus Ambrosianus semper habet *Sylla*. A. M.

** Operæ pretium facturos nos arbitrati sumus, si notas hujus, quicumque est, vetustissimi certe scholiastæ in unum collectas exhiberemus; quippe quæ in nulla ad hunc diem Ciceronis editione comparuerint. Non nostrum est quærere quis harum auctor exstiterit; scribendi genus, quamquam latine satis excultum, Asconium non refert, et sat multi hac de re disputavere, ut jam non dubitare liceat.

(1) Cod. *ed.* A. M.

(2) Spatium in codice relictum explevi vocabulo *argumentum*. A. M.

(3) Codex « Huic ita facta propositione ». A. M.

(4) Ita cod. *inquid*. A. M.

3. Videor enim jam non solum studium ad defendendum causas, verum etiam opinionis aliquid et auctoritatis afferre.

Cavet(1) valde ne odium quoddam nimiæ hujus asseverationis(2) incurrat. Facit enim periculum impudentiæ, qui quum patronus sit, velit testis videri.

IV. 1. Duæ conjurationes abs te, Torquate, constituuntur.

Conjuratio diversi generis infertur geminata propositione : et fit a M. Tullio consultissima et non incuriósis lectoribus admiranda discretio, ut solum tempus ipse defendat conjurationis ejus, quæ, se consule, deprehensa sit; illud vero superius Hortensio patrocinante fateatur dilucide peroratum. Ita nec fit ulla jactura defensionis, quod illud superius tempus omittat, quoniam defendit Hortensius : et quum hoc sibi potissimum velut privatim et peculiariter vindicet ad diluendum, magis existimetur testimonió niti quam probatione, defendens ea scilicet quibus ipse consul interfuit.

2. Ergo istius conjurationis crimen defensum ab eo est qui interfuit.

Non contentus sibi uni vindicare testis auctoritatem, etiam in illo præcedentis conjurationis tempore, quoniam se non potest, vel ipsum testem constituit Hortensium. Sic contra injuriam temporis utriusque non defensiones duorum, sed testimonia videntur opponi.

3. Non modo animo nihil comperi, sed ad auris meas istius suspicionis fama non pervenit.

Obnixe negando de illa superiore conjuratione nihil se comperisse, hoc persuadere connititur, omnia sibi in consulatu suo fuisse manifesta.

(1) Spatium ant lituram codicis opplevi verbo *cavet*. A. M.
(2) Codex *adservationis*. A. M.

V. 1. Multa quum essem consul de summis reip. periculis audivi, multa quæsivi, multa cognovi : nullus umquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullæ literæ pervenerunt, nulla suspicio.

Hæc vero non patroni magis quam testis oratio est. Quibus enim verbis, præterquam his, uti posset testimonium rogaretur? mire(1) *sibi* optinens *ut fides adhibeatur,* quasi exspectandum jam non sit ut probet, quoniam credi debeat reip. conservatori.

2. Sed ego nondum utor hac(2) voce ad hunc defendendum.

Moderate et consulte facit, quo magis mereatur obtinere (3) testis auctoritatem, quam sibi ipse non vindicet.

3. Quæ enim fuit Autronii causa? quæ Sullæ est?

Dissimilitudinem duorum P. Sullæ et Autronii facta comparatione prosequitur, ne hujus prædamnatio sit illa sententia, quæ in Autronium dicta est necessario. Igitur ostendit numquam similes fuisse, ut per hoc facilius Sullam persuadeat innocentem.

4. Illum Allobroges maximarum rerum verissimi indices.

Oratoria subtilitate adserit hic et confitetur Allobrogum fidem, quos verissimos indices dicit, a quibus Sullam nominatum non esse constabat.

5. Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit.

Quoniam videri poterat P. Sulla damnatus conscientia detecti criminis sui ab oculis omnium secessisse, et urbem Romam reli-

(1) Cod. « miræ... optinens... quasi, etc. » relictis spatiis, ita ut sensus loci hiaret. A. M.

(2) Verba « utor hac » desunt in codice, quæ supplevi ex editis. A. M.

(3) Nota hic *obtinere*, at superius *optinens*. Sæpe enim in codice scriptio ejusdem vocabuli varia est. A. M.

quisse, trahit orator ad verecundiæ argumentum, dicens, ea propter sub oculis esse civium noluisse, quod erubesceret in aliquo vitæ suæ *articulo* honorem defloratum dignitatemque mutilatam. Nec moverit nos quod ita loquatur de Sulla Cicero, quasi damnatus crimine ambitus habuerit Romæ demorandi facultatem. Habuit enim secundum legem Calpurniam. Nam superioribus *temporibus* damnati lege Cornelia (1) hoc genus pœnæ ferebant, ut magistratuum (2) petitione per decem annos abstinerent. Aliquanto postea severior lex Calpurnia (3) et pecunia multa fuit (4), et in perpetuum honoribus jussit carere damnatos (5). Habebant tamen licentiam Romæ morandi. Postea jam damnatis Sulla et Autronio, pœnam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero sanxerunt, ut præter hæc veteribus legibus constituta, etiam exsilio multarentur (6).

6. Et locus est ipse non tam ad inflammandos ca-

(1) Hæc lex dicitur Bæbia Cornelia, quia lata est a P. Cornelio Cethego et M. Bæbio Tamphilo, qui consulatum gesserunt anno Urbis 573. Ejus legis meminit Livius, XL, 19; sed pœnam reticuit, quam noster interpres expressit. A. M.

(2) Cod. *magistratum*. A. M.

(3) De hac lege ad orat. I pro Cornel. scribit Asconius: « Tulerat eam ante biennium (nempe anno Urbis 687) C. Calpurnius Piso consul, in qua, præter alias pœnas, pecuniaria quoque pœna erat adjecta ». Legem hanc Calpurniam memorat idem Asconius etiam ad orat. in Toga candida. A. M.

(4) Ita perspicue codex « multa fuit », quod idcirco noto, quia clarissimus Garatonius in suis Animadversionibus, p. 138, ad nostrum scholiastem (de quibus mox in Planciana loquemur) legendum censebat *multavit*. A. M.

(5) Consonat plane Dio, XXXVI, 21, pœnas ab hac lege inflictas recensens: μήτ' ἄρχειν, μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν· « ut neque magistratum gerere, neque senatoribus esse liceret, et pecuniaria insuper pœna irrogaretur ». A. M.

(6) Suam legem de ambitu commemorat Tullius pro Murena, cap. 3 et 32; pro Sextio, cap. 64; in Vatin. cap. 15. Eadem memoratur etiam a nostro interprete ad Orat. pro Plancio, 34, 1, et a Dione, XXXVII, 29, ad annum Urbis 691, his verbis: Ἔδοξε τῇ βουλῇ δέκα ἐτῶν φυγὴν, τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος, τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι· « Statutum est a senatu, Cicerone (consule) præsertim auctore, ut ambitus crimen, præter constitutas jam multas, decennali insuper exsilio plecteretur ». A. M.

lamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus.

Dicit Neapolitanam civitatem procul fuisse ab omni contagio illius conjurationis, ac propterea delectam P. Sullæ, ut ibi non sceleratus lateret, sed miser conquiesceret.

VI. Veniebat ad me, et sæpe veniebat, Autronius.

Salubriter instituit huic parti. Multis et impensis precibus auxilium defensionis, commemoratis amicitiæ veteris officiis, Autronium postulasse, multosque alios ad hoc impetrandum pro se deprecatores adhibuisse, nec tamen extorsisse ut patronus et defensor adsisteret. Nec hoc dicere adversarius posset : idcirco Autronium non defendisti, quod non satis egerit, ut a te defenderetur. Sed si hoc impensissime deprecatus est, nec impetravit, videri jam potest idcirco ad defendendum Sullam venire, quod de ejus innocentia certus sit.

VII. 1. Quod tandem, Torquate, regnum? Consulatus, credo, mei, in quo ego imperavi nihil.

Cumulaturus invidiam Torquatus in personam M. Tullii, et hoc dixerat : quodam illum spiritu velut regiæ potestatis exposcere, ut Sulla innocens judicetur. Itaque (1).... statim.... *addit*.... consulatum suum talia edidisse moderationis et continentiæ et virtutis exempla, ut non ipse rex, sed aliis regnum affectantibus esset inimicus. Qua executione simul et invidia liberat auctoritatem suam, et impetrabilius facit quod ad Sullæ victoriam (2) loquuturus est.

2. An tu(3) in tanto imperio tantaque potestate non dices me fuisse regem; nunc privatum regnare dicis?

A majore ad minus. Ut quod nunc privatus in defendendo reo innocentissimo faciat, non sit regiæ superbiæ, sed fidei religiosæ,

(1) In his spatiis evanuerunt prorsus literæ. A. M.

(2) Codex « ad Sullam victoriæ ». A. M.

(3) Sic cod. *tu*. At in edd. *tum*. A. M.

qua non putet innocentes esse damnandos. Nec cadat suspicio regiæ cupiditatis in privatum senatorem, quæ non ceciderit in consulem.

3. Si falsum dixerim, te in eosdem dixisse; si verum, non esse hoc regnare, quum verum juratus dicas, probare.

In altero *accusatio adversarii* est, in altero *sui defensio* (1). Aut invidiæ mecum particeps, inquit, videberis, siquid (2) in eo regaliter feci, quod in sceleratos homines testimonium dixi, quoniam et te in eosdem dixisse manifestum est; aut si fides et religio incorrupta in illis omnibus testimoniis fuit, non potest rex videri qui testimonio adserit veritatem. In parte igitur percussit Torquati verecundiam, in parte diluit regalis animi proprietatem.

4. Uter tandem rex est, isne cui innocentes homines non resistunt, an is qui calamitosos non deserit?

Præmiserat enim Torquati propositionem valde insolentissimam, et liberæ civitatis odio dignam: nisi tu defendisses P. Sullam, nemo defenderet. Cui statim in forma concessiva occurrit (3). Ut, inquit, alios concedam patrocinium denegaturos fuisse, in quem justius derivabitur animi regalis cupiditas, in me qui protego innocentes, an in te qui subveniendum non putas innocentibus? Non tantum ergo se liberavit, sed Torquatum multo acerbius proscidit.

5. At hic etiam facetus esse voluisti, quum Tarquinium et Numam et me tertium peregrinum regem esse dixisti.

Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt (4), ut Catilina et Clodius (5), et ipse, quamvis

(1) Cod. sic : « in altero... est in altero... aut, etc. » quæ spatia replenda videbantur, ut fecimus. Porro noster interpres satis bene declarat hunc locum, qui recentiores criticos non parum torsit. A. M.

(2) Cod. *siquit*. A. M.

(3) Cod. « in formam concessiva currit ». A. M.

(4) Cod. *voluerint*. A. M.

(5) Magnam de sua nobilitate opinionem et superbiam Claudiæ familiæ

collega fuerit, C. Antonius (1). *Nam quia* virtutibus obtrectare non poterant, ejus humilitatem natalium maledica insectatione carpebant. Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione Vulscum, Arpino municipio, unde illi quædam peregrinitatis ab invisoribus concinnabatur infamia. Nec in præsentis causæ judicio Torquatus pepercerat, facta mentione regum peregrinorum Tarquinii et Numæ. Fuerat enim Popilius Curibus Sabinis ortus; Tarquinius vero Priscus Demarthi Corinthi filius, qui fugiens dominationem Cypseli, in Italiam se Tarquinios contulerat, ibique liberos procreaverat. Animadvertamus tamen quantis aculeis asperitatis tallionem M. Tullius referat hic Torquato, quem partim despiciendo plus abicit et humillimum facit, partim majore insectatur invidia, quod in exemplis majorum illius hereat (2) invidia tyrannidis (3).

6. Hoc dico, inquit (4), te esse e municipio. Fateor: et addo etiam ex eo municipio, unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est.

Magna cum gloria subdidit consensionem, amplectens municipii sui Arpinatis egregiam nobilitatem, unde et C. Marius exstiterit bellorum maximorum strenuissimus victor, et ipse cujus consulatus ad opprimendam Catilinæ conjurationem salutaris illuxerit.

7. Nemo istuc M. Catoni seni, nemo Tiberio Coruncanio, nemo Manio (5) Curio.

insitam testatur Tacitus Annal. I, 4: « Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bellis; sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia ». Eamdem in Appio Pulchro P. Clodii fratre exagitat Cicero ad Div. III, 7. Et P. quidem Clodius quum per lusum dixisset Ciceronem non *regem*, sed *Jovem*, mordacissimam ab eo responsionem retulit, quam vide in oratione pro Domo, cap. 34. A. M.

(1) De Catilina et Antonio confirmat Asconius ad orat. in Toga candida, sub fine: « Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem ejus ». A. M.

(2) Sic cod. *hereat* sine diphthongo. A. M.

(3) Intellige Manlium Capitolinum. A. M.

(4) Cod. *inquid*. A. M.

(5) Cod. *Mario*, at inferius *Manius*, quod verum Curii prænomen bis usurpat Plutarchus in Pyrrho, et diserte adserunt interpretes Aurelii Victoris ad

M. Cato ille censorius et Tib. Coruncanius (1) fuerunt e municipio Tusculano. Manius porro Curius, qui de Samnitibus triumphavit, Sabinis oriundus videtur, ubi etiam foculo assidens aurum quod sibi hostes obtulerunt repudiavit, confessus votum sibi esse præcipuum, non ut ipse opibus afflueret, sed ut pecuniosis hostibus imperaret (2).

VIII. 1. Est enim ipse materno genere municipalis.

Quo sin totum destruere non potuit, ex parte destruxit. Nam familiæ Manliæ veteris egregia nobilitas eminebat, sed maternum genus humilitare (3) conatus est : quasi non sit illi ad originem parentis utriusque dignitas vetustatis æqualis.

2. Honestissimi generis, sed tamen Asculani.

Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis arserunt (4).

3. Nisi forte regium tibi videtur ita vivere. Et reliquum.

Decore et hoc eum sublimitate maximæ (5) laudis impletur : ea ostendens inesse moribus suis, quæ non congruentia, sed contraria sint regiæ cupiditati.

IX. 1. Ego tantis a me beneficiis in rep. positis, si nullum aliud mihi præmium ab senatu populoque

caput 33 de Viris illustr. Porro hoc Curii Dentati prænomen non in nostro tantum codice, sed in aliis multis veterum scriptis aut corruptum, aut varium est. Vide ad Aurelii Victoris locum citatum. A. M.

(1) Cod. « Teb. Conuncanius ». Sed mendum corrigitur a textu superiore. Catonis autem censorii et Tib. Coruncanii res gestæ passim celebrantur apud romanæ historiæ scriptores. A. M.

(2) Idem de Curio narrant Cicero de Senect. cap. 16; Valer. Max. IV, 3, 5; Aurel. Vict. de Viris illustr. cap. 33. A. M.

(3) Nota vocabulum *humilitare*. A. M.

(4) Rem narrat Appianus, Bell. civ. I, 38. A. M.

(5) Cod. *maxime*. A. M.

rom. nisi honestum otium postularem, quis(1) concederet?

Gloriose in hunc locum decurrit orator laudibus suis plurimis demeritis erga rempublicam tribuens, quod tantis jam perfunctus periculis honeste posset ab omni labore requiescere, nisi animus nullo posset otio consenescere. Et hic, quantum mea opinio est, imitatus est C. Gracchum (2). Sic enim et ille DE LEGIBVS PROMVLGATIS (3), ut ipsius etiam verborum faciam mentionem.

SI VELLEM, inquit, APVD VOS VERBA FACERE, ET A VOBIS POSTULARE, QVVM GENERE SVMMO ORTVS ESSEM, ET QVVM FRATREM PROPTER VOS AMISISSEM, NEC QVISQVAM DE P. AFRICANI ET TIBERII GRACCHI FAMILIA, NISI EGO ET PVER RESTAREMUS (4), VT PATEREMINI HOC TEMPORE ME QVIESCERE, NE A STIRPE GENVS NOSTRVM INTERIRET, ET VTI ALIQVA PROPAGO GENERIS

(1) Edd. « quis non concederet? » Sed τὸ *non* abest a codice. Et clausula quidem fragmenti Gracchani, quod comparationis gratia affertur infra, favet codicis lectioni. A. M.

(2) Hujus oratoris laudes magnifice persequitur Cicero in Bruto, cap. 33: « Sed ecce in manibus vir, et præstantissimo ingenio et flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse..... Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis ». Hujus eloquentiam mire laudant etiam Dio fragment. Peiresc. 90, et Plutarchus in Gracchis. Tum C. Gracchum pleniorem uberioremque Catone sene dicit auctor dialogi de Causis corruptæ eloquentiæ, cap. 18, a quo tamen dissentit Gellius, X, 3. A. M.

(3) Leges C. Gracchi agrariæ, frumentariæ, et de judiciis notiores sunt, quam ut descriptione egeant. Vide tamen certe Livii Epitomen libri LX. Orationem autem Gracchi de legibus promulgatis memorat Gellius, IX, 14, et X, 3, aliquot ejus fragmentis prolatis. Citat eamdem orationem etiam Festus voc. *ostentum*. Hæc tamen particula, quod sciam, adhuc erat inedita. A. M.

(4) Tiberius Sempronius Gracchus de Cornelia P. Africani majoris filia duodecim suscepit liberos: sed tanta soboles mature cum patre vita functa est, excepta filia, quam Scipio Africanus minor uxorem duxit, et filiis duobus Tiberio et Caio. Occiso in tribunatu Tiberio, solus e masculis superfuit frater Caius cum Tiberii filiolo, de quo Gellius, II, 3, in fine. Atque hunc puerum fortasse hic commemorat Caius. Ceterum Plutarchus in Gracchis narrat, ipsi etiam Caio fuisse filiolum, quem nimirum uxor Licinia manu tenebat, quum viro occurrit ad eam dimicationem prodeunti, in qua miserrime periit. A. M.

NOSTRI RELIQVA ESSET; HAVD *SCIO*(1) AN LVBENTIBUS A VOBIS IMPETRASSEM.

2. Etenim in qua civitate rem tantam gesserim memini, in qua urbe verser, intelligo. Plenum forum est eorum hominum, quos ego a vestris cervicibus depuli, judices, a meis non removi.

Figura(2) quidem in orationibus plurimis frequentata Ciceroni, qua velut divino quodam mentis instinctu imminentem sibi providebat invidiam, et ex ea periculum quod evenit. Verum mihi altius consideranti hanc omnem quam localiter intulit *figuram* (3) occurrit vehemens, et ad causam P. Sullæ salubriter pertinens virtus. Nam quum in præsenti exsecutione testetur, exstinctis jam plurimis hostibus patriæ, superesse tamen innumerabiles qui sibi nocere votis ardentibus cupiant, hoc sine dubio relinquit judicum tacitis cogitationibus, numquam se ad defendendum Sullam processurum fuisse, si eum vel tenui aliquo argumento sensisse cum hostibus reip. suspicaretur, cui minuendus esset illius conjurationis numerus, ne plures in posterum sibi reservaret(4) inimicos.

X. Quod quum is tribunos(5) pl. facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos conjuratos relictus, nemini mirum est: difficile est enim tacere quum doleas.

Insectatur invidia majore Torquatum: et quum sit ab illo ipse reprehensus, quasi mutato proposito voluntatis, qui Catilinæ oppresserit conjurationem, reis tamen ejusdem criminis patrocinetur; versa quodammodo vice ipsum Torquatum quasi defensorem conjurationis insimulat, et dicit imitari eum tribunum pl. qui moleste pœnas hominum publicorum (6) ferat. Significat videlicet

(1) *Scio* ipse supplevi. A. M.

(2) Spatium in codice, quod replevi verbo *figura*. A. M.

(3) Iterum spatium, quod replevi ut supra. A. M.

(4) Cod. *reseret*. A. M.

(5) Archaismus pro *tribunus*. A. M.

(6) Nempe reorum crimine majestatis. Confer Digest. lib. XLVIII, tit. 1, leg. 1. A. M.

L. Calpurinum Bestiam (1), sive (nam et hoc suspicari possumus) Q. Metellum Nepotem (2). Post quod exemplum in fine sententiam posuit, quod genus in Tullianis orationibus rarum est. *Difficile est*, inquit, *tacere quum doleas :* dolor enim quibusdam tormentis animi laborantis effusus ad impatientiam vocis erumpit.

XI. Qui filium suum vita privavit, ut in ceteros (3) firmaret imperium.

De familia Torquati mutuatur exemplum, quo validius ad consensum adigeretur, puniendos a rep. fuisse hostes intra mœnia deprehensos, quum per contextum sui generis recordetur (4) exstitisse qui filium capite puniret. Et hoc in loco Manlium significat qui cum P. Decio functus est consulatum. *Hic* ex virtute cognomen Torquati habuit, quod uno de Gallis hostibus interfecto, torquem sibi velut spolium superati hostis induerat. Ab hoc comperimus filium non ob aliquod criminosum, sed gloriosum et militare facinus interemptum, quod contra patris imperium cum hoste, quamvis feliciter, dimicasset (5).

XII. Atque etiam illud addam, nequi (6) forte incipiat improbus subito te amare, Torquate.

(1) L. Calpurnius Bestia recensetur a Sallustio inter conjuratos cum Catilina. Huic Bestiæ tribuno plebis mandatum erat a Lentulo item conjurato, ut Romæ concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis. Vide Sallust. Bell. Catil. cap. 17 et 44. A. M.

(2) Q. item Metellum Nepotem de conjuratorum pœna conquestum refert Dio, XXXVII, 42. Immo idem Metellus tribunus Ciceronem consulatu abeuntem concionem habere prohibuit, atque ei tantum ut juraret vetere more permisit. Vide Plutarchum in Cicerone, et Dionem lib. cit. cap. 38, tum Asconium ad orat. in Pison. III. Contra Metelli concionem, qui Ciceronem apud populum maledictis prosciderat, exstant ipsius Tullii fragmenta orationis, quæ vide sis in orationibus. A. M.

(3) Edd. *in ceteris*. A. M.

(4) Cod. *recordatur*. A. M.

(5) Conf. Livium, VIII, 7. A. M.

(6) *Nequi* pro *nequis* evidenter habet noster codex. Sic paullo infra, XIII, 4, *aliqui* pro *aliquis* semel Cicero et semel interpres. Itidem ad orationem

Ista dicit insidiosa quadam benignitate perstringens adversarium.

XIII. 1. Ab (1) Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis. Quis negat? sed lege indicium et vide quemadmodum nominatus sit.

Facta ab indicio Allobrogum et... illata propositio, ne (2) sensio (3) in contrarium vergeret vigilantissime... ipsius indicii modum tractare aggressus est, et ostendere (4) quæsisse Gallos de L. Cassio Longino quemadmodum Sulla esset animatus. Et hoc eos fecisse, non quo de ejus moribus et proposito voluntatis aliquid audissent, sed quod facta mentione P. Antronii, quem consortem fuisse præcedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de conjuratione quærendum. Deinde vincenter (5) subjicit responsum Cassi illud unum respondentis, nihil se de P. Sulla scire pro certo. Ibidemque statim, quod nos a pari dicimus, defensionem complectitur, dicens hujusmodi responsum Cassi (6) pro eo habendum atque si negasset P. Sullam sceleris hujus esse participem : quoniam is qui de omnibus instructissimus fuerit, de hoc ideo nihil scripserit (7), quod Sulla innocens esset.

pro Plancio, 28, 2, *siqui* pro *siquis* scribit interpres. Hujusmodi autem terminationes pluribus exemplis ex Plauto, Cicerone, Gellio, Paulo, Apuleio, Tertulliano propugnat Vossius, de Grammat. lib. VI, cap. 8, concluditque : « Multa hujus generis in antiquis sunt codicibus, quæ imperiti librarii mutarunt : quemadmodum inter alios testantur Petrus Victorius, Castigat. in Cœlii epistolas ad Ciceronem, et Obertus Victorius Ind. Lucret. voc. *qui* ». Noster etiam codex antiquissimus rem luculenter confirmat. Quare haud scio quo jure Forcellinus ad voc. *aliqui*, locorum omnium, qui pro hac sententia afferuntur, incertam lectionem pronuntiet. A. M.

(1) Recte in codice additur præpositio *ab*, quæ deest in editionibus, saltem aliquot, Ciceronis. A. M.

(2) Nisi mavis legere « propositione sensio », aut putare omissum alterum *ne*, ita ut esset « propositione ne sensio ». A. M.

(3) Nota nomen *sensio* pro *sententia*, ut in Isidori glossario. A. M.

(4) Cod. *et ostendens*. A. M.

(5) Nota adverbium *vincenter*. A. M.

(6) Codex *eassum*, quod fortasse retineri poterat. A. M.

(7) Ita cod. *scripserit*, sed ex præcedd. videtur corrigendum *sciverit*. A. M.

2. Si respondisset idem sentire et secum facere Sullam.

Ad formam concessivam revocans argumentationem, etiam*si*(1) quærentibus Gallis respondisset L. Cassius P. Sullam hujus initi (2) contra remp. sceleris esse participem, valere non debuisse pro crimine, quando facile crederetur illum, quo spem robustiorem Gallis daret, de nobilissimo viro non dubitasse mentiri. Quæ *concessio*(3) multum proficiet ad illud quod negaverat Cassius se comperisse quid animi Sulla haberet, ut tale genus responsionis absolute purgaverit innocentiam.

3. Nisi forte verisimile est P. Sullæ nomen in memoria Cassio non fuisse.

Verisimilia contrahit argumenta per qualitatem personæ, quam generis nobilitas illustrabat, ut se etiam non quærenti Cassio potuerit efferre, nec tamen aliquid ille se dixerit comperisse.

4. Sed ego in quæstionibus et indiciis (4) non hoc quærendum arbitror num purgetur aliqui, sed num arguatur.

Et perquam exercitata respondendi facultate propositioni accusatoris occurrit, non illud exspectandum in indiciis an defensus sit aliqui (5), sed an nominatus, quoniam videri possit etiam stulta defensio id quod non accusetur velle purgare.

XIV. 1. Exclusus hac criminatione Torquatus rursus in me irruit, me accusat, ait me aliter ac dictum

(1) Codex *etiam*. A. M.

(2) Codex *initii*. Conf. pro Plancio, 9, 1.

(3) In codice vel spatium est, vel obliteratio. Supplevi *concessio* ex præcedentibus. A. M.

(4) Sic *indiciis* hic et infra, non vero *judiciis*, quam nostram lectionem alii etiam codd. confirmant. A. M.

(5) Cod. *aliquid*, sed deleta ab ipso amanuense litera *d*. Quare remanet *aliqui* pro *aliquis*, ut paullo ante. A. M.

sit in tabulas publicas retulisse. O dii immortales! Et reliquum.

Juxta (1) dignitatem personæ in excessum locus totus effunditur cum indignatione vehementi. Fit enim conjectura incidens an P. Sullæ nomen subtraxerit Cicero, et id egerit ne in tabulas publicas referretur. Non debuit ergo humiliter et timide hanc defensionem, sed cum impetu flagrantissimæ indignationis implere, quasi monstri simile sit, in tanto consule aliquid potuisse fraudis exsistere (2). Hæ sunt defensiones quæ in personis illustribus quemdam spiritum laudis imitantur.

2. Institui senatores qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros? non solum summa fide, sed etiam quos sciebam memoria, scientia, celeritate scribendi facillime quæ dicerentur persequi posse.

Ad diluendam quæstionem, quæ, ut diximus, incidens nata est, an falsum consul in tabulas publicas retulerit, inferuntur hæc exempla validissima, quod ad scribendum omne, quod indices pronuntiarent, idoneos admoverit senatores. Et vigilanter duo illis præcipua, et quæ ad strumentum fidei necessaria sunt, adscribit, animi integritatem et velocitatem scribendi, ut fides non deceperit veri*tatem*..
....conversus

XXXII. 1. O miserum infelicem illum diem!

Oratorie deplorat etiam illud tempus, quo damnatus est ambitus crimine (3), ut in eo desinat invidiosus esse, in quo miserandus existimetur.

(1) Codex *justa*. A. M.

(2) Falsum senatusconsultum a Cicerone fuisse relatum calumniatus est etiam Clodius. Vide pro Domo, 19. Item eumdem Ciceronem mentitum esse in senatusconsultum, vide de ære alieno Milonis, III, 1, pag. 95, cum nota 1. A. M.

(3) De Sulla crimine ambitus damnato, vide Asconium ad orat. I pro Cornelio, et in Toga candida. A. M.

2. Vos rejectione interposita nihil suspicantibus nobis repentini in nos judices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis. Et reliquum.

Sensus quidem multæ obscuritatis est, cujus intellectus sic aperietur. Per illud tempus quum esset alius præter Sullam reus, qui causam de vi lege Plautia (1) diceret, omni labore conisus est L. Torquatus, ut ante judicum rejectio (2) fieret ad eam cognitionem, quæ de illo quoque futura erat, qui hujusmodi reatu petebatur. Et hoc nimirum eo consilio et ea calliditate peregit, ut melioribus et justioribus ad illam causam judicibus electis, qui superessent immitiores et asperi judices, quique ab illorum numero fuissent rejecti, de P. Sulla judicarent, pro naturæ suæ videlicet asperitate hunc vel innocentem damnaturi. De reo metuens orator in orationis exitu præcavet (3) et invigilat, ut judicibus, quorum asperitatem metuit, incutiat verecundiam priusquam ad ferendas sententias eant: ut metuentes invidiam nimiæ duritiæ, si reum pœnæ addixerint, jam pro illo sentire cogantur. Et ne hoc ipso tamen animos eorum læderet, communicavit fortunam temporis sui et consulatus, in quo et ipse contraxerat quasi nimis acerbæ severitatis invidiam (4): dicitque in commune omnibus consulendum, ut severitatem nimiam, quam temporis necessitate susceperint, præsenti humanitate mitificent.

Explicit oratio.

(1) De hac lege sic Julianus Digest. lib. XLI, tit. 3, leg. 33, ff. 2: « Lex Plautia et Julia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent; non etiam ex quibus vi quis dejectus fuisset ». A. M.

(2) De judicum rejectione loquitur Asconius ad Act. I in Verr. 6. Iterum in Verr. de præt. urb. II. Et in argumento Milonianæ. A. M.

(3) Codex *præcadet*. A. M.

(4) Invidiam et pericula in quæ incurrerat ob severum judicium de conjuratis exercitum, commemoravit ipse Cicero superius in hac oratione, IX, 2. A. M.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO A. LICINIO ARCHIA

POETA

ARGUMENTUM.

« Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversus tutores suos composuit: nec Ciceronem, magnum oratorem, P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina, et Milo, et Verres, et Antonius, hanc illi formam circumdederunt ». Quæ quum in libro de Oratoribus (cap. 37) proferuntur, intelligendum est tantum habitam pro Archia orationem cum absolutissimis his scriptis non posse conferri: attamen quamquam pro rei magnitudine et difficultate nulla est habenda collatio, fatendum est sublime cogitata et exquisitissimum dicendi genus maximum prodere oratorem, et uni Tullio fuisse concessum in re forensi Platonis vim omnem et magnificentiam explicare. Itaque nullam sæpius orationem juvenes ac docti viri manibus versare.

Tullius, quem natura scriptorum principem et oratorum una procrearat, non hanc certe labi sivisset occasionem, qua literatum virum defendere, et palam doctrinæ patrocinium suscipere dabatur, ex qua laus tanta, nomenque clarissimum effloruerat. Multa quoque huc confluebant, quæ eum pro Archia moverent. Pronum est hac ipsa ex oratione quis ille Tullii fuerit cliens colligere.

Ab Antiochia ortum duxerat, quæ a Romanis in servitutem redacta, literis et liberalibus artibus amissum Orientis reparabat imperium. Anno circiter ab Urb. C. 633 natus, Asia Græciaque peragrata ac Italiam petiit, et civitate Neapoli, Tarento est donatus. Brevi Romam advectus clarissimos cives patronos habuit; quos inter Lucullus, Metellus, Drusus, Q. Catulus, Catoque Uticensis pater præcipue eminent. Mox cum L. Lucullo in Asiam profectus est; quo ex die usque ad illud judicium nihil ex ejus vita clarum monumentis commissum; forsan tempus illud carmini dedit, quo Luculli laudes cecinit.

(1) Argumentum illud verbo pæne ad verbum ex nobilissimi viri J. V. *Leclerc* excursu expressimus; excusatos autem nos vir doctissimus habeat precamur, si præclaras ejus gallice scriptas sententias culpa sæpius ingenii invertimus.

Etenim quamvis tempore deleta fuerint pleraque poetæ hujus opera, certum est duo eum carmina scripsisse, unum de bello Cimbrico, alterum de Mithridatico bello, ubi Luculli laudes celebrantur. Versibus etiam narravit quid Roscio puero advenerit, quum serpens corpus involvit, infantemque tactu molli lambens, ne minime vulneratum quidem reliquit. Denique paullo ante judicium Tullii consulatum carmine celebrare cœperat.

Nunc apparet certe, quare tam studiose Cicero, vir ille consularis clarissimus, Græculum hunc Antiochenum carminibus tantum et adulatione notum defenderit. Supervacaneum est etiam fingere, ut nonnulli, ab eo fuisse institutum Tullium; Archiam tantum a pueritia Tullius noverat, et uno eodemque literarum studio moti, amicitiam una firmam conjunxerant; procul dubio caritas illa annis crescentibus invaluit, nam Tullii amici omnes Archiæ quoque fuere dediti. Et laus inde maxima Archiæ venit, quod Tullius græcis ita literis deditus, et tam acri laudis studio abreptus, consulatus sui patrocinium, ut ita dicam, Archiæ commiserit, ut ab eo nomen ad gloriæ consecraretur æternitatem. Ipsa Græci poetæ mora, qui patronos alios celebrabat, clarius apparuit quanti eum Tullius æstimaret; his enim verbis ad Atticum scribit: « Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, præsertim quum et Chilius nos reliquerit, et Archias nihil de me scripserit; ac vereor ne Lucullis quoniam græcum poema condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam spectet ». Ad Att. I, 16. Attamen poetam impulere verba viri consularis tam acriter carmen petentis; et inceptum opus erat quum in judicium fuit vocatus. Nec mirum esset Archiam, cujus ex facili vena carmina profluebant, aliquid derepente scripsisse, quo acrius eum Tullius defenderet.

Lis ex Papia lege ortum habuerat. C. Papius, tribunus plebis, lege sanxerat ut omnes extranei Roma exirent, nisi civitate fuissent donati. M. Pupio Pisone et M. Valerio Messalla coss. Gratius quidam vel Gracchus Archiam poetam civitate donatum numquam fuisse contendit. Hujus causam suscepit Tullius.

Multi de prætoris nomine qui judicio præerat, disseruere. Sed clarissimus vir Angelus Maius, edito Ambrosiani scholiastæ commentario, deprehendit hunc prætorem esse Q. Ciceronem ora-

toris fratrem;tum forte conjicere possumus rem Silano et Murena coss. fuisse actam, potius quam illis quos supra nominavi. Inde clarissima lux huic actioni venit; orator coram fratre agebat; et inde in promptu verba illa apparent, quibus orationem concludit Cicero: «Quæ loquutus sum, ea, judices, a vobis spero in bonam partem esse accepta; ab eo, qui judicium exercet, certo scio ».

Novum illud actionis genus, ab eruditis semper celebratum, nos ad id impulit, ut omnibus in partibus quid sit exponeremus: analysis illa, quæ certe non longa erit, quoniam hæc actio brevissima est, satis erit ut plane appareat quonam modo propositum sit oratoria arte tractandum. Hoc tantum labore deprehendere licet, et quid orator materiæ, et quid oratori materia debuerit. Et illud hoc ipso mirum in modum hic congruit, quod nihil per se materia, et omnia fuere ex ingenio expromenda.

Exordium — Archiæ defensor judices sibi devincit grato in Archiam animo, cujus consiliis literas romanas græcasque fuerit edoctus. Quamvis autem ipse magis oratoriæ facultati, ille poeticæ studuerit, nemini mirum illud videatur, quum omnes artes mutuo inter se fœdere jungantur. Orat judices uti ignoscant, si tali in oratione a causa nonnumquam longius literarum studio abripiatur. Dictum est, nec immerito, illud mirum in modum reo prodesse, quia orator causam suam ita bonam justamque esse arbitratur, ut minus Archiam defendat, quam dotes ejus meritis laudibus ad admirationem commendare videatur. Cap. 1, 2.

Propositio et divisio. — Archias civis est romanus, aut certe dignus est romana civitate. Cap. 2.

Narratio. — Clarum Archiæ nomen in patria exponitur. Romam venit, et a Lucullis, et clarissimis hujus ætatis viris adscitus et benignissime acceptus. Lucullum in Siciliam comitatur, qui eum Heracleensibus ut civitate donent commendat. Lex Silvani et Carbonis memoratur, quæ civitate romana fœderatarum urbium cives donat, dummodo quasdam adimpleant conditiones. Quas omnes Archias implevit. Cap. 3.

Confirmationis pars prima.—Omnia hæc probantur et auctoritate M. Luculli, et Heracleensium testimonio, quod satis in hoc videtur esse, quum omnia incendio deleta fueriut rei hujus mo-

numenta. Rhegium, Neapolis, Tarentum, Archiam civitate donavere; et certe memorare potuisset jus illud ab istis urbibus concessum; nisi satis fuit illi si se Heracleensem civem profiteretur, ut jure merito romanam urbem incoleret. Quamvis absens esset quum census fieret, non desiit tamen toto jure frui romanis civibus concesso. Cap. 4, 5.

Pars altera confirmationis. — Archias dignus est qui romana civitate donetur, quæ certe conferenda, nisi haberet. Unde mira literarum laudatio sequitur, ex ipsius oratoris testimonio. Hæ animum virtutemque extulere, quum ante oculos præstantissima exempla veterum subjicerent. Felicissima indoles institutione tantum perfici potest. Exemplo sunt Africanus, Cato, Lælius, multique alii. Utilitas delectatioque ex literis percepta. Archias igitur a Romanis et æstimari et remunerari debet: 1° ob præclaras animi dotes; 2° quia vates quodam numine afflantur, et ab ipso deo accenduntur; 3° omni ex ætate honores præclarissimi ingenio fuere tributi: testis Homerus; 4° postremo Archias poeta Romæ magnitudinem celebravit, quum cecinit mansuro carmine Marium Lucullumque. Haud aliter Scipionem Ennius posteris commendavit. Alexander, Pompeius, Sulla, Metellus Pius, Drusus Fulviusque, omnes laudis studio acriter movebantur: se ipsum gloriæ amore teneri fatetur. Archias carmen inchoavit, quo consulatus facta celebrautur. Gloria est magnorum virorum incitamentum; unum hoc iis est studium scilicet, ut nomen ad æternitatem memoriæ commendent. Cap. 6-12.

Peroratio. — Orator paucis verbis quæ exposuerat recolligit, 1° ea quæ in priore parte continentur, id est, testimonium Luculli et Heracleensium; 2° quæ in posteriori, id est, fructum et utilitatem literarum; ingenium Archiæ, nominique romano utiliora poemata. Excusat iterum se, quod in causa non semper steterit. Cap. 12.

Nihil magis comprobat quantum intersit inter præstantissimum hoc opus et defensionum usurpatam consuetudinem. Hic præsertim magnificentissima poeseos laus celebratur. Orator Ennium loquentem inducit, qui vates sacros vocat, et ipse Archias in uno ex iis quæ supersunt epigrammatibus dixerat:

Ἱρὸν ἀοιδοπόλων ἔτυμον γένος.

Unum vero in hac de poeseos œstro orationis parte apparet, quam studiose Platonem fuerit imitatus orator. Mihi persuasum est Ciceronem, quum in eo esset, ut poeseos laudem scriberet, judicibusque quam mirandum, quamque colendum sit ingenium, exponeret, iterum Platonem evolvisse, uti deorum interpretes, quasi numine afflatus ipse, celebraret.

«Qui facta carminibus celebrant, ait Plato, non ex arte, sed ex deo ipso ingenii vim et impetum trahunt: qui lyræ potens est, sicut Corybantes, quorum mens æstuat quoties choreas agitant, numquam sublimia carmina siccis oculis celebrat. Necesse est ut ipso motu carminum rapiantur; necesse est ut numen quoddam sublimes ausus animis afflet. Mihi videre videor Bacchantes, quæ, sacro impetu raptæ, lac et mella liquentia e fluminibus hauriunt; evanescunt omnia simul ac mentis ardor deferbuit. Non mehercule mentiuntur lyrici vates, quum ea memorant quæ mente contemplantur, quum Musarum hortos, quum fontes mellis, quum lætissimas valles describunt, ubi, apum more, carmina e floribus suavissimis carpunt. Ita est: vates, nescio quid leve est, nescio quid inconstans et sacrum. Numquam, nisi divino œstro percitus, numquam, nisi sacro furore abreptus, carmina profundit. Procul est gelida ratio, quam, simul ac prosequi nititur, jam versus, jam oracula fugiunt. Deus unus, deus, qui eos ministros numinis elegit, mentibus ventura reserat; quumque animum rapit altius, edocet non eos talium auctores esse, sed deum ipsum voce illorum talia proferre. Tuque, o vates, qui deorum interpretis verba recitas, nonne quoque numinis es interpres? Dic, quæso, dic mihi, quum vox tua audientes rapit, quum Ulyssem celebras, qui domo expellit et ulciscitur procos, vel quum Hectorem Achilles vicit, vel quum Andromaches fletus, aut Hecubæ infortunia, Priamique triste fatum oculis subjicis, nonne quoque prior ipse raperis, num animus divino afflatus ardore sui jam compos est? Nonne Ithacæ mœnia, nonne Ilium, et omnia hæc quo mente abreptus vagaris, vides et contemplaris? Et aliud tibi fingere nefas: namque lacrymis tument sæpe lumina, horrore capilli stant arrecti, et in pectore tuo cor æstuat».

Verum dicet aliquis, Archiasne impetu illo sacro raptus est? studiumne illud ac calorem animis afflabat? Num dignus erat

laudibus illis quibus eum defensor extollit? Fatendum est primum nobis difficilius esse de ea re judicium statuere, quum nulla supersint Archiæ opera, quæ magnum aliquid spirare possint; verum facile credas numquam ita sublimi raptos fuisse animos impetu, quum simul libertas Græciæ omnis evanuit. Non jam ad patriam vates pertinebant, toti victoris erant. Mitylenæus Theophanes romana civitate a Pompeio donatus, acclamante omni exercitu, certe longe absimilis ab Herodoto illo erat, cui libera gens ludis Olympicis plaudebat, et ab Alcæo, cujus minaces Camenæ tyrannos dejiciebant. Ea est gentium sors, quum artes libertati superstites exstant. Sæpius Italia nostris ætatibus historicos poetasque progenuit; sed ingenia illa, alio sole nata, fructus non sæpe ferunt uberrimos. Et inter innumeram Græcorum turbam, qui, ab expugnata Corintho, magna tum palatia inundavere, vix unus aut alter ad nos usque pervenit. Poetæ illi, qui ex Asia Græciaque Romam veniebant, plerique lucro poesim apponebant, dempta omni auctoritate, omnique majestate. Quantum ab illo dissimiles Homero, qui religione illa plenus quæ nascentem mundum clariori luce illustrabat, quidquid pingebat divino accendebat igne, et in hominibus factisque mentis vestigia divinæ deprehendebat, et commercia terram inter cælumque sociabat; aut ab illo Æschylo, qui, post pugnatam ad Marathona pugnam, civibus suis victoriæ spectaculum explicabat, et triumphali cantu simul et amorem patriæ et odium tyrannorum injiciebat! Græcia, romanæ potestati subdita, et deos, et patriam cum libertate amiserat.

Quamvis autem nec digne, nec elate ea tractarentur argumenta, quæ olim veteres poetas accendissent, in nonnullis tamen occurrebat ingenii beata quædam facilitas. Sæpius etiam illi ex improviso carmina pulchra satis effundebant, ut Archias (cap. 8), Sidonius Antipater (de Orat. III, 50): nec inficeta eorum carmina in Anthologia collecta jacent. Quos inter Archias in XXVI epigrammatibus non indigne Leonidam, Antipatrum ac Meleagrum repræsentat. Nec illum quidem inventio, quippe sæpius antecessores imitantem; sed lepores quidam ac certus elegantiæ tenor commendant. Quorum nonnulla hic exscribere libet ex Brunckii Analectis, tom. II, pag. 95 et 528.

Εἰς τὸν Καλυδώνιον κάπρον.

(Antholog. IV, 7.)

Χάλκεος· ἀλλ' ἄθρησον ὅσον θράσος ἄνυσε κάπρου
    Ὁ πλάσας, ἔμπνουν θῆρα τυπωσάμενος,
Χαίτας αὐχενίους πεφρικότα, θηκτὸν ὀδόντα
    Βρύχοντα, γλήναις φρικτὸν ἰέντα σέλας,
Ἀφρῷ χείλεα πάντα δεδευμένον. Οὐκέτι θάμβος
    Εἰ λογάδα στρατίην ὤλεσεν ἡμιθέων.

Εἰς Ἡρακλέα φονεύσαντα τὸν ἐν Νεμέᾳ λέοντα.

(Antholog. IV, 8.)

Μηκέτι ταυροβόροιο βαρὺ βρύχημα λέοντος
    Πτήσσετε, ληϊνόμοι γειαρόται Νεμέης·
Ἦ γὰρ ὑφ' Ἡρακλῆος ἀριστάθλοιο δέδουπεν,
    Αὐχένα θηροφόνοις ἀγχόμενος παλάμαις.
Ποίμνας ἐξελάσασθε· πάλιν μυκηθμὸν ἀκούοι
    Ἠχὼ ἐρημαίης εὐναέτειρα νάπης.
Καὶ σὺ λεοντόχλαινε πάλιν θωρήσσεο ῥινῷ,
    Ἥρης πρηΰνων μισονόθοιο χόλον.

Et illa quidem e fabulis arcessita ac pigro ingenio blandientia, apud Archiam nobilibus ac fortibus sententiis excipiuntur; ita ut sæpe clarorum virorum cogitata quibuscum apud Lucullum convivabatur in versus redigere potuisse videatur. Sequentem forsan sententiam a Cæsare hauserat.

(Antholog. III, 4.)

Ἕκτορι μὲν Τροίη συγκάτθανεν· οὐδ' ἔτι χεῖρας
    Ἀντῇρεν Δαναῶν παισὶν ἐπερχομένοις.
Πέλλα δ' Ἀλεξάνδρῳ συναπώλετο. Πατρίδες ἄρα
    Ἀνδράσιν, οὐ πάτραις ἄνδρες ἀγαλλόμεθα.

« Quoties, ait Cic. cap. 8, ego hunc Archiam vidi, revocatum eamdem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis. »

Non illud inter maximas dotes annumerandum, nec mentio illa Archiæ multum ad laudem confert, quum inde appareat nihil aliud in eo laudandum exstitisse. Potest hujus facilitatis exemplum apud Brunckium, tom. II, pag. 93, epigr. 6, 7, 8 et 9, inveniri, quod hoc loco recitare piget, quum iidem omnino sensus mutatis tantum verbis proponantur, et miser sit labor ineptiarum.

Creditur Archias causa vicisse; nec mirum, quum Ciceronis eloquentia defensus, Luculli testimonio protectus esset. Ambigitur utrum legis Plautiæ Papiriæ auctores Silvanus et Carbo tribuni plebis essent anno 664; an lex ea Silano adscribenda, ita ut consules duo essent, ut placet Angeli Maii scholiastæ, nec satis probatur. Ceterum plurimi exstitere Archiæ, Byzantius, Mitylenæus, etc. De his qui plurima volet, adeat Fabricii Bibliothecam Græcam, Maii notas, Ilgenii excursum, et peculiarem hujus orationis editionem, quam dedit Hülsemann, quod indigestum opus quamvis multa corrumpant, nonnulla tamen utiliter adnotata legentibus exhibet.

Ad calcem hujusce orationis vix notum scholiastæ Ambrosiani commentarium subjunximus; melius hoc loco positum eum rati, quam si Ciceronis textum ac notas interturbaret.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO A. LICINIO ARCHIA
POETA.

ORATIO QUINTA ET VICESIMA.

I. Si quid est in me ingenii[1], judices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse[2] versatum; aut si hujusce rei ratio[3] aliqua, ab optimarum artium

I. 1. *Ingenii.* Tria in hac pulcherrima periodo proponit Cicero, quæ ad acquirendam eloquentiæ laudem maxime requiruntur, ingenium, exercitationem dicendi, rationem, seu naturam, usum et artem, quæ ab Aristotele vocata φύσιν, ἐμπειρίαν, τέχνην, Noster pluribus explicat de Orat. I, 25 et seqq.

2. *Mediocriter esse.* Mirati sunt ad hunc locum grammatici in ipso exorsu hexametrum imprudenti excidisse auctori, qui versus tamen severius a recta oratione expellat (Orat. c. 20, 56; de Orat. III, 47). Iambi quidem difficilius vitabantur, utpote nati rebus agendis, et velociori orationi aptiores; sic in prima Catilinaria statim unus occurrit : « Senatus hæc intelligit : consul videt ! » Verum et hexametri non semel apud Ciceronem deprehenduntur, ut ad Quir. post red. cap. 6, « Auctores, testes, laudatoresque fuerunt ». Pro Planc. 36, « Interitus nullos ultores esse videbam ». Acad. I, 4 : « Quum sunt dicta, in conspectu consedimus omnes ». Tusc. IV, 14: « Morbo tentari non possunt, corpora possunt », et præsertim distichum illud de Orat. III, 5, si « multo plus » in « plus multo » verteris : « Complexi, plus multo etiam vidisse videntur, Quam quantum nostrorum ingeniorum acies ». Ceterum versus ii sæpius tum in Livio et in Sallustio, tum præcipue in Tacito occurrunt. J. V. L.

3. *Ratio.* Dicendi ars.

studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruisse : earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius [4] fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, et pueritiæ memoriam recordari ultimam [5], inde usque repetens, hunc video mihi principem et ad suscipiendam [6], et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si hæc vox, hujus hortatu præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit : a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem, et salutem ferre debemus. Ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quædam in hoc facultas sit ingenii [7], neque [8] hæc dicendi ratio aut disciplina : ne nos quidem huic uni studio [9] penitus umquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem [10] pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.

4. Nonnulli MSS post *A. Licinius*, addunt *Archias*. Male. Non enim sine mente statim ab exorsu nomine romani civis appellat. Sic infra 3, « quum *prætextatus* etiam tum Archias esset ». J. V. L.

5. *Ultimam*. Quæ longissime a virili distat ætate, quæque in memoriam cadere potest.

6. *Suscipiendam*. Quod ad consilium eloquentiæ discendæ pertinet. — *Ingrediendam*. Ad ipsum discendi actum. Quod ipse statim interpretatur orator, quum dicit vocem suam seu dicendi artem hujus non solum hortatu, sed etiam præceptis conformatam et excultam esse.

7. *Ingenii*. Quum poeta Archias, orator Cicero esset, mirum fortasse cuivis videri poterat, quomodo ille tantam gratiam inire potuisset.

8. *Neque*. Correxit Schütz. « atque », quasi non dicere voluisset orator non in dicendi arte nullo modo versatum Archiam.

9. *Huic uni studio*. Multis ex argumentis constat poeticæ studuisse Tullium, et plurima carminum ejus fragmenta invenias, quæ satis pulchram ei laudem conciliassent, nisi eam eloquentia obruisset. Conf. Plut. in Cicer. sub init.

10. *Ad humanitatem*. Nempe studia literarum.

II. Sed ne cui vestrum[1] mirum esse videatur, me in quæstione legitima[2], et in judicio publico, quum res agatur apud prætorem populi romani, lectissimum virum, et apud severissimos judices[3], tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi[4], quod non modo a consuetudine judiciorum, verum etiam a forensi sermone[5] abhorreat : quæso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo[6], vobis, quemadmodum spéro, non molestam; ut me, pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique prætore exercente judicium, patiamini de studiis humanitatis ac literarum paullo loqui liberius, et in ejusmodi persona[7], quæ, propter otium[8] ac studium, minime in judiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi.

Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium,

II. 1. B. Weisk. ejecit *vestrum*. J. V. L.

2. *Legitima*. Legibus constituta, de qua lex est, et quæ lege exercetur. — *Judicio publico*. Quod agebatur ex lege Plautia Papiria.

3. *Severissimos judices*. Apud quos si quid extra causam affertur locum non habet.

4. *Genere dicendi*. De studiis liberalibus, quibus in judicio locus esse non videtur.

5. *Forensi sermone*. Genere verborum, quo in causis forensibus utimur, quæ scilicet e jure et similibus rebus, depromi solent; quum in illa causa sint multa scholæ et eruditionis verba, quæ in foro vix intelliguntur.

6. *Accommodatam huic reo*. Quæ Archiæ debita videtur, cui maxime ingenium patrocinatur.

7. *Ejusmodi persona*. Quum personam ac partes hujus viri agam, qui procul a forensibus controversiis otiosa vita removetur, ipse possim hanc orationem forma nova nec in foro usitata exprimere.

8. *Propter otium*. Vitæ genus otiosum, sive a negotiis liberum agit poeta, quum solis literis studeat, nec remp. attingat, indeque in judiciis non tractetur, id est, non versetur. Frustra Ilgenius nullo fretus codice correxit, « jactata ».

verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum [9] fuisse.

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium [1] contulit: primum Antiochiæ (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiæ partibus [2], cunctaque Græcia, sic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena græcarum artium ac disciplinarum; studiaque hæc et in [3] Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romæ, propter tranquillitatem reipublicæ, non negligebantur. Itaque hunc et Tarentini, et Rhegini, et Neapolitani [4], civitate ceterisque præmiis donarunt; et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famæ quum esset jam absentibus notus, Romam venit, Mario [5] consule

9. *Adsciscendum*. Nobis adjungendum et aggregandum.

III. 1. *Ad scribendi studium contulit*. Sæpius verbo hoc significatur tum compositio, tum præcipue poetarum labor.

2. *In ceteris Asiæ partibus*. Ita gradatim incedit orator, ut postquam primas eum in urbe celeberrima partes obtinuisse Archiam dixit, illum deinde et in Asia, et in Græcia fama celebratum, mox vero in Italia, in Latio ac Romæ denique præmiis et admiratione excultum ostendat.

3. *In Latio*. Nondum exorto sociali bello, quo literarum studia sunt intermissa. Inter arma enim silent leges, fugantur Musæ. Perturbata autem fuerat Italia bello civili per annos 654-57 gesto, bello sociali an. 663-65, et civili, an. 665-75.

4. *Neapolitani*. Quæ urbes extra Latium sitæ in Italia erant et Romanis fœderatæ, tum quum Archiam civitate donarunt, postea lege Julia municipes factæ sunt.

5. *Mario consule*. Anno urbis 651, C. Mario IV, Q. Lutatio Catulo coss.

et Catulo : nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter quum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, quum prætextatus[6] etiam tum Archias esset, eum in domum suam receperunt. Sed etiam hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturæ atque virtutis, ut domus, quæ hujus adolescentiæ prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti.

Erat temporibus illis jucundus Q. Metello[7], illi Numidico, et ejus Pio filio; audiebatur a[8] M. Æmilio; vivebat cum Q. Catulo, et patre, et filio; a L. Crasso colebatur; Lucullos vero, et Drusum[9], et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum, devinctam consuetudine quum teneret, afficiebatur summo honore : quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant[10].

Interim satis longo intervallo, quum esset cum

qui Catulus et aliarum virtutum et belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario fuerat communis, celeberrimus, multas literas habebat, summam non vitæ solum atque naturæ, sed orationis etiam comitatem, et incorruptam quamdam latini sermonis integritatem. Cf. Brut. 35.

6. *Prætextatus.* Archias anno urbis 635 natus agebat tum annum fere septimum et decimum; hoc autem anno, quo oratio habebatur, annum quinquagesimum octavum; inde paullo infra ejus senectutem commemorat. Artificiose autem prætextatum appellat, quasi jam inter romanos cives adnumeraretur.

7. *Q. Metello.* Qui Lucullorum avunculus, cognominatus est Numidicus a victoriis de Jugurtha, Numidarum rege, reportatis. — *Pio.* Filius sic dictus est, quia patris exsilium pie luxit et pro eo populum deprecatus est. In sen. post red. 15.

8. *Audiebatur a M. Æmilio.* Qui cognomine Scaurus, princeps senatus lectus est.

9. *Drusum.* Qui M. Catonis Uticensis avunculus, tribunus plebis domi interemptus est. Vell. Paterc. lib. II, cap. 13, sqq.

10. *Simulabant.* Ut opinioni hominum inservirent; unde major Archiæ gloria veniebat, quem audire omnes oportebat, nisi qui literarum contemptum profiterentur.

L. Lucullo[11] in Siciliam[12] profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam[13]. Quæ quum esset civitas æquissimo jure ac fœdere, adscribi se in eam civitatem voluit; idque, quum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracleensibus[14] impetravit. Data est civitas[15] Silvani lege[16] et Carbonis, SI QUI FŒDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT; SI TUM, QUUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT; et, SI SEXAGINTA DIEBUS[17] APUD PRÆTOREM ESSENT PROFESSI. Quum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet, professus est apud prætorem, Q. Metellum[18], familiarissimum suum.

11. *L. Lucullo.* Illo qui de Mithridate et Tigrane triumphum egit. Quum nullo modo sciamus quo tempore et quo nomine in Siciliam sit profectus, satis probabiliter legendum « in Ciliciam », quod unice verum post Ilgenium contendunt Schütz. B. Weisk. et Otto. Sed tamen aliter videtur, quia paullo infra Heracleam nominat, quod non iter erat e Cilicia redeuntibus.

12. Edd. vett. nonnullæ, *Ciliciam*, quod Ilgen. defendit. J.V. L.

13. *Heracleam.* In Magna Græcia, ad sinum Tarentinum. De ejus privilegiis confer pro Balbo, 22, et Mazochii comment. ad tabulas Heracleenses. Nonnulli crediderunt h. l. de Heraclea Siciliæ oppido agi; verum et ipse ait Cicero Archiam, non in Sicilia commorantem, sed ex ea decedentem (h. e. in eo itinere, quo ex provincia Sicilia cum Lucullo decedens in portum Heracleensem, qui Siris erat, appulit) ab Heracleensibus civitate donatum. His si addas quæ hoc capite sequuntur, jam nullus dubitationi locus. Nam post Luculli et ipsum Heracleensium testimonium Archiam Heracleæ adscriptum affirmantium, ita subjicit: « Hic tu tabulas desideras Heracleensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interiisse scimus omnes ». Atqui ex illo Italico bello nihil flammæ, nihil cædium ad Siciliam redundavit; contra omnia in Lucania bello arsere.

14. Al. ut passim, *Heracliensibus.* J. V. L.

15. *Civitas.* Cives romani ii decreti sunt, qui in fœderatis civitatibus cives essent.

16. *Silvani lege.* Lex Plautia Papiria lata est a M. Plautio Silvano, C. Papirio Carbone tribunis plebis anno Urbis 664.

17. *Sexaginta diebus apud prætorem*, etc. Intra sexagesimum diem; quod tempus iis concedebatur qui longius Roma abessent.

18. *Q. Metellum.* Manutius intelligit eum, qui in Creta re bene gesta, Cretici nomen adeptus est. Rectius alii Q. Numidicum Pium, de quo supra cap. 3.

IV. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege[1], dicimus, nihil dico amplius : causa dicta est[2]. Quid enim horum infirmari, Grati[3], potest? Heracleæne esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate, et religione, et fide, M. Lucullus[4], qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracleenses legati, nobilissimi homines : hujus judicii causa, cum mandatis, et cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heracleensem dicunt.

Hic tu tabulas desideras[5] Heracleensium publicas; quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere, quærere, quæ habere non possumus; et de hominum[6] memoria tacere, literarum[7] memoriam flagitare; et, quum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque, ea, quæ depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

At domicilium Romæ[8] non habuit is[9], qui, tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit? At non est pro-

IV. 1. *Lege.* An lex illa in Archiam conveniat, ut sit jure civis romanus; et utrum vere civitas Heracleensis Archiæ sit concessa.

2. *Causa dicta est.* Oratione nostra omnia complexi sumus, transacta sunt omnia.

3. *Grati.* Alii *Gracche*, quod defendit Ilgenius, et Numerium Quintium Gracchum intelligit, qui tribunus pl. fuit eo anno quo Cicero restitutus est.

4. *M. Lucullus.* Qui frater illius L. Luculli erat, cujus auctoritate Heracleensem civitatem erat adeptus Archias.

5. Cod. Maii Ambrosianus, *desideres.* J. V. L.

6. *Hominum.* Qui testimonio Archiam civem fuisse suum affirmant.

7. *Literarum memoriam.* Tabulas ipsas cum clamore poscunt.

8. Al. post Lambin. legunt *in Italia.* Forte utrumque omittendum, auctore Tollio. J. V. L.

9. *Is.* Beckius auctore Ilgenio interpunxit « non habuit. Is, qui, etc. », ita ut prima phrasis objectio sit, cui respondeat Cicero. Verum multo rectius tota periodus ironice pronuntianda videtur.

fessus. Immo vero iis[10] tabulis professus, quæ solæ ex illa professione, collegioque prætorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam quum Appii[11] tabulæ negligentius asservatæ dicerentur, Gabinii[12], quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem[13] resignasset: Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum[14] prætorem et ad judices venerit, et unius nominis[15] litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen[16] A. Licinii videtis.

V. Quæ quum ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, præsertim quum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim quum[1] mediocribus multis, et aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, gratuito civitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingenii prædito gloria, noluisse. Quid?

10. *Iis tabulis.* Q. Metelli prætoris. Tria Ciceroni erant probanda; adscriptum esse Archiam Heracleæ, quod probat a testibus; domicilium habuisse Romæ, quod ipso facto probatur; denique esse apud prætorem professum, quod tabulis arguitur.

11. *Appii.* Appius Claudius Pulcher, pater Clodii, et P. Gabinius anno Urbis 664, cum Metello prætores fuerunt.

12. *Gabinii.* Quis fuerit iste Gabinius ignoratur; hoc tantum liquet ex prætura damnatum. Certe non erat Gabinius ille consul, tum quum exsulavit Cicero. Is forsan fuerit, quem Piso ex Achaia provincia decedentem de repetundis accusavit (in Cæcil. 20), et quem de Legibus, III, sordidum ac ignotum hominem Cicero vocat.

13. *Fidem resignasset.* Auctoritatem corrupisset.

14. *L. Lentulus.* Qui flamen Martialis, ann. U. 692 prætor fuit.

15. *Unius nominis litura.* Vestigio deletæ, vel depravatæ scripturæ, suspicione mendi percussum.

16. *In nomen.* Manutius exponit *contra nomen.* Ingeniose minus dicendum est enallagen h. l. casus esse, et eodem sensu positum quo « in nomine ». Cujus mutationis exempla sæpius occurrunt.

V. 1. *Quum mediocribus.* Quum tam faciles sint populi Magnæ Græciæ in civitate tribuenda etiam levissimis hominibus, ut comœdis, credibilene est eos difficiles fuisse in Archia?

quum ceteri non modo post civitatem datam[2], sed etiam post legem Papiam[3], aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint[4]: hic, qui ne utitur quidem illis[5], in quibus est scriptus, quod semper se Heracleensem esse voluit, rejicietur?

Census nostros[6] requiris scilicet. Est enim obscurum[7], proximis censoribus[8], hunc cum clarissimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse; superioribus[9], cum eodem quæstore fuisse in Asia; primis[10], Julio et Crasso[11], nullam populi partem esse censam. Sed, quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quæ tu criminaris[12], ne ipsius quidem judicio eum in civium romanorum jure esse versatum, et testamentum sæpe fecit[13] nostris legibus, et adiit hereditates

2. *Post civitatem datam.* Quum jam de civitate romana lex Plautia Papiria exstaret.

3. *Post legem Papiam.* Quam C. Papius tribunus pl. tulit anno 688, ut peregrini urbe pellerentur; quam legem iniquam censet Cicero de Officiis, III, 11.

4. *Irrepserint.* Furtim ad civitatem pervenerint; in municipiorum tabulis nomina sua furtim inscribenda curaverint.

5. *Illis.* Inde patet Archiam his municipiis civem adscriptum fuisse; sed eo titulo uti noluisse, quum satis esse putaret si se Heracleensem civem profiteretur.

6. *Census nostros.* Tabulas censorias, quibus cives singuli a censoribus inscribebantur.

7. *Est enim obscurum.* Ironice dictum.

8. *Prox. cens.* L. Gellio Publicola, Cn. Cornelio Lentulo, ann. U. 683.

9. *Superioribus.* L. Marcio Philippo et M. Perperna anno 667, post quos censura diu intermissa est.

10. *Primis.* Post civitatem Archiæ datam.

11. *Julio et Crasso.* Qui censores anno 664 fuerunt.

12. *Quæ tu criminaris.* Illis ipsis temporibus quæ nobis objicis, in quibus contendis Archiam proprio suo judicio nondum præ se tulisse se civem esse, testamentum fecit, etc. Ellipsis est et bis repetundum « criminaris », ita ut et ad « quæ » referatur et ad sequentem phrasin. Correxit Grævius « queis tu criminaris », quod sensum multo planiorem effert, et plerique editores probaverunt. Verum in tanto codicum consensu vix quidquam mutare audeamus et vulgata defendi potest.

13. *Testamentum fecit.* Testamenti

civium romanorum, et in beneficiis[14] ad ærarium delatus est a L. Lucullo prætore et consule. Quære argumenta, si qua potes : numquam enim hic neque suo[15], neque amicorum judicio revincetur.

VI. Quæres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio[1] defessæ conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie[2] dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus[3]? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum. Ceteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum[4], neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, judices, ut ab nullius

factio civium rom. propria est. Itaque neque testamentum quisquam facere, neque testamento capere poterat, nisi qui civis romanus esset; peregrinus non poterat.

14. *In beneficiis.* Delatus est in tabulas publicas, quæ in ærario asservabantur, ut qui mereretur beneficia populi rom. nempe honores et vitæ ornamenta. Erat itaque non emolumentum, sed merus honor et commendatio virorum illorum, apud populum, illis profutura vel ad majora ornamenta a rep. consequenda, vel ad pericula, si quæ exstitissent, sublevanda. Conf. Gronovium, de Pecun. vet. III, 7.

15. *Suo.* Quia legi satisfecit, et se semper civem rom. et professus est, et egit.—*Amicorum.* Qui hoc idem testantur et eum tamquam civem habuere.

VI. 1. *Convicio.* Causidicorum clamoribus.

2. *Quod quotidie dicamus.* Nullus enim fere dies fuit, quo non dixerit pro reo.

3. *Relaxemus.* Remittamus. Respondet hoc verbum voci *contentio*; utrumque autem ab arcu contento aut remisso ad animum, vel omnes vires intendentem, vel se recreantem translatum est. Ceterum quæ hic ait orator de literis post alios labores et dulcibus et jucundis ea hisce verbis expressit poeta, Ecl. V, 45 : « Tale tuum carmen nobis, divine poeta, Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo ».

4. *Ad communem afferre fructum.* In lucem proferre ad communem utilitatem, qui literarum est finis.

umquam me tempore[5], aut commodum[6] aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum; quantum alii tribuunt tempestivis conviviis[7]; quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda[8] sumpsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis hæc quoque censetur[9] oratio et facultas; quæ, quantacumque in me, numquam amicorum periculis defuit. Quæ si cui levior videtur; illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio.

Nam, nisi multorum præceptis[10], multisque literis

5. *Tempore*. Periculo forensi, et negotio. Sic pro lege Manilia, cap. 1: « Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi »; et pro Plancio, 32: « non solum quod cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit, et quid a me cujusque tempus poscat ».

6. *Commodum*. Numquam me utilitatum mearum aut otii respectus avocavit. Ernest. maluit post Victorium « commodo », quod ad amicos refert. Vulgatæ et planus et latinus omnino sensus.

7. *Tempestivis conviviis*. Iis quæ tempestive, h. e. mature et de die ineuntur, quum moderati homines vespere demum, hora decima, cœnare solerent, et in multam noctem protrahuntur. Sæpius verbum illud in « intempestiva » librariorum opera fuit mutatum.

8. *Recolenda*. Repetenda, retractanda.

9. *Censetur*. Ex studiis humanitatis, poeseos præsertim, censetur, id est, æstimatur facultas oratoria, ut is pro perfecto oratore habeatur, qui in illis studiis feliciter est versatus, et ea ad bene dicendum maxime valeant. Censere, ait Festus, ideo æstimare significat, quia tanti quisque rem suam æstimabat, quanti censores censuissent. Et eodem sensu occurrit in Parad. VI, 2. Gesnerus autem hac lectione rejecta, revocat olim vulgatam *crescit*, i. e. augetur, præsidia inde et ornamenta capit. Verum prior lectio nobis præstare videtur, et plerique editores observavere.

10. *Multorum præceptis*. Philosophorum quos audiit. — *Multisque literis*. Oratorum, historicorum perlectis libris.

mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem[11]; in ea autem persequenda[12] omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii[13], parvi esse ducenda: numquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem[14]. Sed pleni[15] omnes sunt libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quæ jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum[16], verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et græci, et latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione[17] hominum excellentium conformabam.

VII. Quæret quispiam: Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istane[1] doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare[2]; sed tamen est cer-

11. *Honestatem.* Gloriam virtute partam. Qua etiam sententia utitur Paulus apostolus ad Phil. IV, 8.

12. *Persequenda.* Ut tandem ea fruamur.

13. *Exsilii.* Pulchrum eum hæc profiteri ac quodammodo venientem prospicere calamitatem, qua paucis post diebus Italia est expulsus.

14. *Objecissem.* Quum Catilinæ nefarios conatus oppressit.

15. *Sed pleni.* Nihil aliud fere in libris est, nisi gloriam præ ceteris rebus expetendam, et innumerabilia sunt veterum exempla, quæ in tenebris obruta jacerent, nisi ea face sua literæ collustrarent. Eodem sensu cecinit Horatius, quem adi, Od. IV, 8 et 9.

16. *Ad intuendum.* Non solum voluptatis et oculorum gratia, sed ut eorum mores vita nostra exprimamus. Confer Tacitum in pulcherrima Agricolæ peroratione.

17. *Cogitatione.* Cogitando contemplandoque homines excellentes.

VII. 1. *Istane doctrina.* Illis et eloquentiæ et philosophiæ præceptis.

2. *De omnibus confirmare.* Quum nec omnes eruditi, nec omnes literarum expertes; et apud veteres Romanos, illos horridos et incultos, multi se græcas literas contemnere profitebantur.

tum, quid respondeam[3]. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina[4], naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos, et graves exstitisse fateor. Etiam illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam[5] conformatioque doctrinæ, tum illud nescio quid[6] præclarum ac singulare solere exsistere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum; ex hoc C. Lælium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos[7]; ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum, M. Catonem[8] illum senem: qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adjuvarentur[9], numquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et

3. *Quid respondeam.* Illud certe respondebo.

4. *Sine doctrina.* Quales prima Romæ ætas tulit, qui habitu, i. e. indole prope cælesti, et modestiam et magnanimitatem omnibus populis approbaverunt.

5. *Quædam conformatio.* Sic conformare ingenium et mentem supra cap. 6; doctrina enim humanæ menti veram dat et genuinam formam. Al. *confirmatioque.* Sequimur Lambin. Græv. Ernest. nec damnamus alterum. J. V. L.

6. *Nescio quid.* Verba hæc, ut apud nos, non solum minuendi causa dicuntur, sed etiam de re aliqua præstanti et ejusmodi ut ejus magnitudinem et præstantiam mens nostra non assequi posse videatur.

7. *Continentissimos.* Hos tres Catulus pater ita laudat apud Ciceronem, de Orat. II, 37, « Non tulit ullos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Græcia palam semper habuerunt ».

8. *M. Catonem.* « Nemo apud populum fortior, nemo melior senator, idem facile optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit ». De Orat. III, 33.

9. *Adjuvarentur.* Si se tum, quum literis operam dabant, nullo modo literis ad adipiscendam virtutem adjutos crederent. Frustra alii mutant « adjuvaremur. »

si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi adversionem [10] humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam ceteræ neque temporum sunt [11], neque ætatum omnium, neque locorum: hæc studia adolescentiam alunt [12], senectutem oblectant; secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent [13]; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

VIII. Quod si ipsi hæc neque attingere [1], neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus. Quis nostrum tam animo agresti [2] ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? Qui quum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse [3]. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles

10. Muret. Var. lect. XII, 15, legit *animi aversionem;* al. e Laz. Bonamici conjectura, *animi remissionem*. J. V. L.

11. *Neque temporum sunt.* Jurisprudentia enim et eloquentia, ut ipse pro Murena dixit, si belli tumultus increpuerit, jacent. Et alia sunt studia fori, alia curiæ, alia urbis, alia ruris.

12. *Alunt.* Quodam cibo nutriunt: ut in Off. I, 30, « hominis autem mens discendo alitur ». Victorius, Grævius et Ernesti ex plerisque codicibus « agunt », quod suaserat Muretus, ut sensus sit: subigunt, acuunt adolescentium ingenium. Verum nos alteram secuti sumus lectionem, ut simpliciorem, magis Ciceronis ingenio consentaneam, et quod his semper verbis apud nos locus ille sit prolatus. J. V. L.

13. *Solatium præbent.* Hanc imitatus sententiam Plinius junior de more amplificatam subtilius protulit: « et gaudium mihi et solatium in literis; nihilque tam lætum, quod his lætum; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste ». Ep. VIII, 19.

VIII. 1. *Attingere.* Tractare — *Gustare.* Percipere vim, suavitatem studiorum.

2. *Agresti.* Inculto et inhumano, qui non facile ad pulchra commovetur.

3. *Mori non debuisse.* De Roscii in histrionica arte principis et virtutibus et honestate vide pro Quint. cap. 25. De hoc jam anno 662 Crassus orator apud Ciceronem judicabat « hoc jam diu est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur ». Or. I, 28, 29.

motus, celeritatemque ingeniorum negligemus[4]? Quoties ego hunc Archiam vidi, judices (utar enim vestra benignitate[5], quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis), quoties ego hunc vidi, quum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum[6] eamdem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis? Quæ vero accurate cogitateque[7] scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem?

Atqui[8] sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia, et doctrina, et præceptis, et arte constare; poetam natura ipsa valere[9], et mentis viribus excitari[10], et quasi divino quodam spiritu inflari[11]. Quare suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas[12], quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.

4. *Negligemus.* Nos si adeo Roscium propter hanc quasi gestus eloquentiam dileximus; quanto magis Archias propter ingenii celeritatem diligendus est?

5. *Vestra benignitate.* Notanda ars oratoris, qui dum audientes ab attentione laudat, attentos maxime facit. — *Novo genere dicendi.* Inusitato in forensi oratione.

6. *Revocatum.* Oratum, ut eadem denuo diceret. Translatio ab actoribus, qui ubi versus quosdam denuo recitari jubentur, revocari dicuntur. Alii habent « revocatam », quod minus placet.

7. *Cogitate.* Magna cum cura, studio et commentatione.

8. *Atqui sic a summis.* Ilgen. emendavit *Atque sic a summis.* Sine causa.

9. *Poetam natura ipsa valere.* Vim poetæ natura ipsa tribui. In hanc sententiam pulcherrimum Platonis locum conferre non absurdum fuerit, quem in præfatione ad hanc orationem exscripsimus.

10. *Mentis viribus excitari.* Ingenii facultate erigi.

11. *Inflari.* Quod Græci uno verbo idem sonante exprimunt ἐνθουσιάζεσθαι. Alii habent « afflari ». Regius unus codex « inflammari ».

12. *Sanctos appellat poetas.* Sic Ovidius, « At sacri vates, et divum cura vocamur; Sunt etiam qui nos numen habere putant ». Et eodem sensu Archias ipse ἱερὸν γένος eos vocat.

Sit igitur, judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent[13]; bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur[14] atque consistunt : nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur?

IX. Homerum[1] Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum vindicant; Salaminii repetunt; Smyrnæi vero suum esse confirmant : itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii[2] præterea pugnant inter se, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt : nos hunc vivum, qui et voluntate[3] et legibus noster est, repudiabimus? Præsertim quum omne olim[4] studium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi romani gloriam laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res[5] adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad hæc studia[6] videbatur, jucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus æternum suorum laborum facile præconium patiatur. Themi-

13. *Voci respondent.* Poeticum quoddam et elatum sonat hæc oratio; nec vitiosum, quum pro poeta ille dicat qui poesin nec infeliciter attigit. Cf. Quintil. VIII, 3; IX, 4; XI, 1, 3.

14. *Cantu flectuntur.* Retulit hæc probabiliter satis ad Orphei et Arionis fabulam, feras flectentium. Muretus cum Victorio ad serpentes refert, quos carminibus flecti ac consistere, et torpere vetus opinio est. Utcumque se res habet, patet omnino sensus.

IX. 1. *Homerum.* De divini poetæ patria vide A. Gell. III, 2, et ea quæ habet Gallaeus in Dissert. de Sibyllis, cap. 20. Notum est epigramma : Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου, Σμύρνα, Ῥόδος, Κολόφων, Σαλαμίν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

2. *Permulti alii.* Argivi nempe, Athenienses, Rhodii.

3. *Voluntate.* Amore. — *Legibus.* Silvani et Carbonis.

4. *Olim.* Jamdudum ab adolescentia.

5. *Cimbricas res.* Bellum a Mario cum Cimbris et Teutonis gestum.

6. *Durior ad hæc studia.* Qui parvi ea faciebat, ab his abhorrebat, vel iis minus flectebatur et movebatur. Hinc apud Sallustium Marius : « Neque literas græcas didici : parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt ». Bell. Jug. cap. 81.

stoclem illum[7], summum Athenis virum, dixisse aiunt, quum ex eo quæreretur, quod acroama[8], aut cujus vocem libentissime audiret: Ejus, a quo sua virtus optime prædicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium[9] dilexit, cujus ingenio putabat ea, quæ gesserat, posse celebrari.

Mithridaticum vero bellum, magnum[10] atque difficile, et in multa varietate[11] terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi romani nomen illustrant. Populus enim romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum; populi romani exercitus, eodem duce, non maxima manu[12] innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, ejusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse, atque servatam; nostra semper feretur et prædicabitur,

7. *Themistoclem illum.* De quo præstantissimo viro egregie Cicero Tusc. I, 46: « Ante Salaminam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropæi memoriam ».

8. *Quod acroama.* Iisdem ferme verbis responsum retulit Valerius Max. VIII, 14. Plutarchus in commentario εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον sententiam hanc Xenophonti tribuit, quæ reipsa in ἀπομνημ. II, 1, invenitur: τοῦ δὲ πάντων ἡδίστου ἀκούσματος, ἐπαίνου ἑαυτῆς, ἀνήκοος εἶ. Quibus verbis nescio an Themistoclis dicto alludit. De acroamate confer indicem verborum, et si plura velis, Ernesti excursum ad Aug. in Suet. cap. 74.

9. *L. Plotium.* Plotius, seu Plautius, insignis habebatur rhetor, qui primus latine artem suam professus est. Confer doctissimi viri J. V. L. disquisitiones in Rhet. ad Herenn. Cod. Ambros. ap. Angel. Maium, p. 121, *L. Clodium.*

10. *Magnum.* Hujus belli magnitudinem ac difficultatem pluribus ostendit Cicero pro lege Manilia.

11. *Multa varietate.* Fortunæ: victore nunc Lucullo, nunc Mithridate.

12. *Non maxima manu.* Itaque rex Armeniorum, Tigranes, gener Mithridatis, quum romanum exercitum multa parte inferiorem suo vidisset, si ut legati, inquit, veniunt, multi; si ut milites, pauci. — *Cyzicenorum.* Similem locum vide pro leg. Man. cap. 8.

L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis[13] : nostra sunt tropæa, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab his populi romani fama celebratur.

Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum[14] putatur is esse constitutus e marmore[15]. At iis laudibus[16] certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi romani nomen ornatur. In cælum hujus proavus Cato[17] tollitur : magnus honos populi romani rebus adjungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii[18], non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rudium[19] hominem, majores nostri in civitatem receperunt[20] : nos hunc Heracleensem[21], multis civitatibus expetitum,

13. *Pugna illa navalis.* Duas autem et triginta naves regias Lucullus præter onerarias complures demerserat aut ceperat. Cf. Manil. 8, 5.

14. *In sepulcro Scipionum.* Ad portam Capenam; in quo tamen an Africanus ille, cui carus Ennius fuit, ipse sepultus sit, ambigitur. Periisse enim a multis creditur in Campaniæ vico Literno, ibique sepultus esse. Cf. T. Liv. XXXIX, 56; Plin. VII, 30; Solin. cap. 7; Val. Max. VIII, 14, 1. Anno 1780 J. B. *Visconti* sepulchrum hoc invenisse contendit. De qua re, plura dabit Anthologia Romana, VII, p. 377.

15. *Constitutus e marmore.* Quod marmoreum in Scipionis sepulchro simulacrum positum est, id Ennii esse vulgo putant.

16. *Iis laudibus.* Quibus viri de rep. bene meriti poetarum carminibus celebrantur.

17. *In cælum hujus proavus Cato tollitur.* Censorius, M. Catonis Uticensis proavus.

18. *Marcelli, Fulvii.* Qui militari laude clari secundo bello contra Hannibalem egregie pro republica pugnaverunt. Sunt autem Q. Fabius Maximus, qui cunctando romanam restituit rem; M. Claudius Marcellus, qui primus Hannibalem vinci posse docuit; Q. Fulvius Flaccus, qui Capuam recepit.

19. *Rudium.* Ennium, cujus patria fuerunt Rudiæ, in Calabria vicus. Cf. de Or. III, 4. Cod. Ambrosian. *Rudinum.* J. V. L.

20. *Majores nostri in civitatem receperunt.* Q. enim Fulvius Nobilior superioris filius civitate eum donavit. Brut. 20, 5.

21. *Heracleensem.* Nobiliorem quam Ennium; quanto præstat Rudiis Heraclea.

in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus?

X. Nam si quis minorem gloriæ fructum putat ex græcis versibus [1] percipi, quam ex latinis, vehementer errat : propterea quod græca leguntur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus [2], exiguis sane, continentur. Quare si res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quo [3] manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare : quod quum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, hæc ampla sunt; tum iis certe, qui de vita, gloriæ causa, dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum. Quam multos scriptores [4] rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, quum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset : « O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris! » Et vere : nam, nisi Ilias illa [5] exstitisset, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Quid! noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit [6], nonne Theophanem Mitylenæum [7], scriptorem rerum sua-

X. 1. *Ex græcis versibus percipi, quam ex latinis.* Græca fnisse, non latina Archiæ poemata, ex iis qnæ snpersnnt satis patet.

2. *Suis finibus.* Non imperii romani, sed Latii, qnod exiguis sane terminis concludebatur. Erat enim, ultra Latii fines, græca lingua, erat gallica, erat etrusca.

3. Al. « quo minus ». Recte Lamb. delevit « minus ». Infra enim legendum esset, « eo saltem gloriam, etc. » Vid. Victor. Var. lect. I, 4. J. V. L.

4. *Quam multos scriptores.* Habnit enim secum Callisthenem, Aristobulum, Clitarchum. Vid. Fabricii Bibl. Græc. III, 8.

5. Mnretus conjecerat, « nisi Ilias exstitisset, ille idem tumnlus, etc. » Eleganter. J. V. L.

6. *Fortunam adæquavit.* Qni Pompeius maximæ virtnti parem fortunam adjnnxit, qni non minus fortis fuit qnam felix.

7. *Theophanem Mitylenæum.* Quem Cn. Pompeius ita dilexit, nt ei patriæ jam obsidendæ veniam imperator condonaverit. Cf. ad Att. II, 5; VIII, 7; pro Balbo, 25; Val. Max. VIII, 14, 3; Strabon. XIII, etc.

rum, in concione militum civitate donavit? Et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quasi participes ejusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt?

Itaque, credo, si civis romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo imperatore[8] civitate donaretur, perficere non potuit? Sulla, quum Hispanos[9] et Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiasset? Quem nos in concione vidimus, quum ei libellum malus poeta de populo subjecisset, quod epigramma in eum[10] fecisset, tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat[11], jubere ei præmium tribui sub ea conditione, «ne quid postea scriberet». Qui sedulitatem mali poetæ duxerit aliquo tamen præmio dignam, hujus ingenium et virtutem in scribendo, et copiam non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lucullos impetravisset? qui præsertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubæ[12] natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet.

Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscu-

8. *Ab aliquo imperatore.* Imperatoribus enim a populo concessa beneficiorum potestas; et strenuum quemque militem civitate donare eis licebat. Ita hanc phrasin legendam contendit Hülsemann. « ut ab aliquo imperatore civitate donaretur». Al. « Perficere non potuit Sulla. Quum, etc. » Frustra.

9. *Hispanos.* Quorum opera in bellis usus erat. Gaditanos dicit Cicero pro Balbo, 40, ab eo civitate donatos; et loco supra laudato Massilienses etiam hac dignitate ornatos idem recitat.

10. *In eum.* In ejus laudem paucorum versuum carmen porrexisset. — *Tantummodo.* Cui carmini illud tantum erat, ut versibus elegiacis constaret.

11. *Vendebat.* Ex proscriptorum spoliis, quæ tum in foro per præconem vendebat.

12. *Cordubæ.* In Hispania enim gesserat bellum cum Sertorio. — *Pingue.* Minus suave et elegans. — *Peregrinum.* Quadam peregrinitatis nota inustum.

rari non potest, sed præ nobis ferendum[13]: trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt[14]: in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus[15], summus ille vir et imperator, Attii[16], amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius[17], non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati judices a Musarum honore, et a poetarum salute abhorrere.

XI. Atque, ut id libentius faciatis[1], jam me vobis, judices, indicabo, et de meo quodam amore[2] gloriæ, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vo-

13. *Præ nobis ferendum.* Idem argumentum tractat animi immortalitatem eo demonstrans, Tusc. I, 15; Catone, 23.

14. *Nomen suum inscribunt.* In eamdem sententiam, quam in Tusc. I, 15, iisdem fere verbis expressit Cicero, summus philosophus noster *Pascal* : « Ceux qui écrivent contre la gloire, veulent avoir la gloire d'avoir bien écrit; et ceux qui le lisent veulent avoir la gloire de l'avoir lu; et moi qui écris ceci, j'ai peut-être cette envie; et peut-être ceux qui le liront, l'auront aussi ».

15. *Decimus... Brutus.* D. Junius Brutus collega Africani min. in consulatu, in Hispaniam cum exercitu profectus de Gallæcis triumphavit. De quo Val. Max. VIII, 14.

16. *Attii.* Poetæ latini tragici ingenio quam arte nobilioris. Cf. Fabric. Bibl. Lat. IV, 1.

17. *Fulvius.* Qui, consul an. 563, in Ætoliam secum Ennium duxit, quod ei a Catone est exprobratum. Tusc. I, 2. Et novem Camenarum signa ex Ambraciensi oppido translata sub tutela Herculis consecravit.

XI. 1. *Libentius faciatis.* Quo ad hanc rem vehementius incitemini, jam me ipse prodam.

2. *Meo quodam amore.* Notum sane qua gloriæ cupidine flagraverit Cicero, ita ut sæpius in eam præceps incurrerit, quasi aliter occupare non posset. Operæ pretium est epistolam hanc famosam conferre, quam hac eadem de re ad Lucceium noster scripsit ad Div. V, 12.

biscum simul[3] pro salute hujus urbis atque imperii, et pro vita civium, proque uuiversa republica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis et gloriæ: qua quidem[4] detracta, judices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si nihil animus præsentiret[5] in posterum, et, si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret[6]. Nunc insidet[7] quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes et dies animum gloriæ stimulis concitat[8], atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.

An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vitæ periculis laboribusque versamur, ut, quum, usque ad extremum spatium[9], nullum tranquillum atque otiosum spiri-

3. *Vobiscum simul.* Gratiam judicum his verbis aucupatur, et eis Archiam conciliat, gloria nempe communicata, quam Archiæ versibus consequetur.

4. *Qua quidem detracta.* Si nulla gloria eos manet, qui de rep. bene sunt meriti.

5. *Præsentiret.* Nisi animus prævideret, præsagiret se immortalem esse. — *Regionibus.* Terminis, finibus.

6. *De vita ipsa dimicaret.* Vitæ discrimen incurreret. Copiose imprimis et ornate in hanc sententiam disputat noster in Catone, capite 23.

7. *Nunc insidet.* Sed contra sedem quasi fixit nobilis quidam sensus in unoquoque viro bono, quum sciat post hanc vitam morti superesse animum.

8. *Concitat.* Ne langueat, sed contra usque eo moveatur, donec eam gloriam, cui nulla dies finem afferat, ipse consequatur.

9. *Usque ad extremum spatium.* Ultimam spatii ad vivendum dati partem.

tum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An, quum statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt[10], consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem non[11] multo malle debemus, summis ingeniis[12] expressam et politam? Ego vero omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terræ memoriam sempiternam. Hæc vero sive a meo sensu post mortem abfutura est[13], sive, ut sapientissimi homines putaverunt[14], ad aliquam animi mei partem[15] pertinebit, nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.

XII. Quare conservate, judices, hominem pudore eo[1], quem amicorum[2] videtis comprobari tum dignitate, tum etiam vetustate[3]; ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis; causa vero ejusmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ quum ita sint, petimus a vobis, judices, si qua[4] non

10. *Studiose... reliquerunt.* Relinquere studuerint. Sic MSS. Ernest. maluit *reliquerint*. J. V. L.

11. Al. *nonne*. J. V. L.

12. *Summis ingeniis.* A poetis et historicis summo ingenio præditis.

13. *Abfutura est.* Sive anima hujusce gloriæ non erit conscia.

14. *Sapientissimi homines putaverunt.* Quam opinionem præclarissimi philosophi omnes sunt amplexi, et ipse Tusculanarum quæstionum libro primo confirmavit.

15. *Animi mei partem.* Sive in aliqua sui parte hac gloriæ mercede animus meus frui possit. Muretus delet « animi ». Hunc multi sequuti sunt; quamvis vulgata lectio ad sanum sensum accommodata esse videatur.

XII. 1. *Pudore eo.* Tanta honestate, virtute, quæ ei amicos nobilissimos conciliavit.

2. Al. « am. studiis ». J. V. L.

3. *Vetustate.* Ab amicis nempe in summa dignitate constitutis et vetustissimis. De amicorum vetustate nonnihil jam erat dictum cap. 3, quod in epilogo inculcatur apposite. Operam perdiderunt ii qui « venustate » quasi accommodatiore verbo uti voluerunt.

4. *Si qua.* Quandoquidem Archias is, qui vos, qui vestros imperatores,

modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis[5] commendatio debet esse, ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi romani res gestas semper ornavit; qui etiam his recentibus[6] nostris, vestrisque domesticis periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profitetur; quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus[7] esse videatur.

Quæ de causa, pro mea consuetudine, breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido probata esse omnibus: quæ non fori, neque judiciali consuetudine, et de hominis ingenio[8], et communiter de ipsius studio loquutus sum, ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo[9], qui judicium exercet, certo[10] scio.

qui populi rom. res gestas semper ornavit, dignus est, quem vobis non homines modo, sed etiam dii commendent; petimus a vobis ut eum sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius quam acerbitate violatus esse videatur.

5. *In tantis negotiis*. In gravissimis, quos ille tractat, laboribus.

6. *Qui etiam his recentibus nostris*. Scripturus erat Archias bellum Catilinarium.

7. *Violatus*. Est enim poetæ sanctum nomen, quod nulla umquam barbaria violavit.

8. *De hominis ingenio*. De summi poetæ virtute. — *Studio*. De literis quibus deditus studet.

9. *Ab eo*. A prætore, qui huic judicio præsidet.

10. *Certo scio*. Quum ipse sit frater Quintus: quod omnino a recens edito scholiaste dictum nobis hujus sententiæ vim ac sensum tum primum aperit.

IN ORATIONEM
PRO A. LICINIO ARCHIA
SCHOLIASTÆ AMBROSIANI
COMMENTARIUS.

A. Licinius Archias (1) se studiis poeticis dedidit, et apprime, ut videbatur, excelluit in hoc genere literarum. Amicitia igitur etiam viris illustribus familiariter copulatus est, ut ipse M. Tullius in orationis hujus narratione *confirmat* (2). *Interim satis longo intervallo quum esset cum L. Lucullo in Siciliam* (3) *profectus, et quum ex*

(1) Spatium vacuum in codice, quod replevi nominibus ipsius poetæ. A. M.

(2) Quæ sequuntur in codice ita sunt obliterata, ut legi nequeant usque ad *debetur*, quod nos fecimus *deretur*, ut fieri posset *regre*deretur. Reparavimus autem lacunam verbis ipsius narrationis Tullianæ, cap. 4. Neque multum amisimus in loci obliteratione, quæ non plus spatii in codice occupat, quam nos verbis Tullianis explevimus. A. M.

(3) Pro *Siciliam* nonnulli scripserunt *Ciliciam*, quod mendum ope codicum et historiæ sustulit olim Fulvius Ursinus. Verum et ipse peccavit hoc loco, quum addidit Heracleam, de qua mox Tullius in narratione, intelligendam esse illam quæ in Sicilia erat: quem summi critici errorem Alexius Mazochius egregie coarguit in commentario ad tabulas Heracleenses, pag. 113, quo loco contendit plane cogitandum esse de Heraclea Italica Lucaniæ. En autem ipsius Mazochii verba: « Ex eo opinor, Siculam Heracleam jubet Fulvius intelligi, quod proxime orator Siciliæ meminerat. At animadvertere debuisset, Archiam non in Sicilia commorantem, sed ex ea decedentem (hoc est, in eo itinere, quo ex provincia Sicilia cum Lucullo decedens, in portum Heracliensem, qui Siris erat, appulit) ab Heracliensibus civitate donatum. His si addas quæ eodem capite sequuntur, jam nullus dubitationi locus relinquetur. Nam post Luculli, et ipsorum Heracliensium testimonium, Archiam fuisse Heracleæ adscriptum, affirmantium, ita subjicit: *Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes?* Atqui ex illo *Italico bello* nihil flammæ, nihil cædium aut ullius incommodi in Siciliam re-

*ea provincia cum eodem L. Lucullo regre*deretur, Heracleam venit, quæ tunc erat civitas fœderata, et adscriptus est in ordinem Heracliensium (1) civis. Tunc Silanus (2) et Carbo cos. legem tulerunt, ut omnes qui essent ex fœderatis populis civitatem romanam consequerentur : si modo illo tempore quo lex lata esset, domicilium in Italia haberent, et intra diem sexangesimum (3) professi apud prætorem fuissent. Quæ quum Licinio Archiæ ad obtinendum jus civitatis romanæ argumenta deessent, quoniam neque tabulis Heracliensium probare poterat adscriptum se in ordinem civium, quippe tabularium civitatis illius exarserat bello sociali, nec bona sua in censum detulerat, reus factus *est* lege Papia, quæ lata fuerat ad eos coercendos, qui temere et illicite civitatem romanam usurpassent. Fit ergo quasi conjecturalis (4), an adscriptus sit in ordinem (5) Heracliensium, et an fecerit omnia quæ is facere debuerit, qui esset e numero fœderatorum. Et deficitur quidem multis probationibus; testimonio tamen Heracliensium, et vel maxime, quibus tota occupatur oratio, poeticæ facultatis et doctrinæ jucundissimæ gratia nititur. Est etiam, omissa conjectura, dis-

dundavit : in Lucania autem ut cum maxime incendiis arsisse omnia necesse fuit ». A. M.

(1) Alii scribendum censent *Heracleensium*, alii *Heracliensium*. Ego in palimpsesto Ambrosiano bis vidi scriptum *Heraclensium* cum una litera *e*, ter *Heracliensium*, atque hanc constanter amplectendam lectionem putavi. A. M.

(2) Prave ego dederam *Silvanus* in principe editione. Codex enim, etsi hic difficillime legitur, habet *Silanus*. Monet autem Gruterus ad orationis cap. 4, in MSS reapse legi *Silanus* aut *Sullanus*. Porro quidquid dicat in lexico suo Antiq. Rom. Pitiscus, legem videlicet de peregrinis latam esse, anno Urbis 664 (seu potius 665), a Silvano et Carbone trib. pl. codex tamen noster antiquissimus habet aperte *cos*. Et quidem Carbonem consulem cum Pompeio Strabone (scilicet anno nuper dicto 664, seu potius 665) legendum censebat apud Plinium lib. III, cap. 9, Hermolaus Barbarus : immo Pighius in Annal. ita diserte legebat. Sed enim id mendum arguunt ipse Pighius loc. cit. Harduinus in notis ad Plinium, nec non duo Plinii codices Ambrosiani. Rem satis obscuram disquirendam eruditis permittimus. A. M.

(3) Ita cod. *sexangesimum*, quam scriptionem non semel me videre memini. A. M.

(4) Nisi mavis « conjectura lis », quod minus placet. A. M.

(5) Cod. *in eodem*. A. M.

ceptatio per ipsam qualitatem personæ, *ut* civis romanus debeat adoptari, etiamsi in præteritum non sit adsociatus (1).

ORATIO.

II. 1. Quum (2) res agitetur (3) apud prætorem P. R. rectissimum virum.

Hanc enim causam lege Papia de civitate romana apud Quintum Ciceronem dixit Archias ipsius (4) M. Tulli fratrem (5). Quapropter (6) utitur *deprecatione*, ne minus civiliter loqui existimetur, recedens videlicet aliquantum a forensi genere dicendi. Quod ipsum ne pro inepto accipiatur, jam præloquitur, a modo præsentis causæ non abhorrere, et personæ vel maxime, pro qua dicendum esset, convenire.

2. Hoc denique prætore exercente judicium.

Non vacat quod mentionem facit prætoris ipsius, id est, fratris sui Q. Ciceronis, qui judicio præerat. Opportunissimum quippe ait de laudibus poetæ boni apud eum dicere qui studiis hujusmodi delectetur. Fuit enim Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scriptor (7).

(1) Cod. *adsocius*. A. M.

(2) Superiores ineditas Tullii orationes in capita ipse dispescui; deinceps in orationibus editis vulgatam distinctionem retinebo : quare et a capite 2 hic initium ducitur. A. M.

(3) Codex *agitatur*. A. M.

(4) Codex *cujus*. A. M.

(5) Nunc demum ex nostro interprete apparet, Marcum apud ipsum fratrem prætorem hanc orationem dixisse : quo fit ut jam intelligamus quorsum pertineat ea clausula hujus orationis : « Quæ loquutus sum, ea, judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta ; ab eo, qui judicium exercet, certo scio ». A. M.

(6) Cod. *quia propter*. A. M.

(7) Q. Ciceronis exstant versus epici viginti de Signis cælestibus, quo quodque tempore illustre sit. Adde etiam, si placet, epigramma de mulierum levitate, quod Cl. quoque Hummelius in editione Norimbergensi (an. 1789) operum Quinti Ciceronis dedit. Tragœdiarum autem ejusdem Quinti mentio fit in epistolis Marci ad eum ipsum, nempe lib. III, 6, 9. A. M.

III. 1. Itaque hunc et Tarentini et Rhegini (1) et Neapolitani civitate ceterisque præmiis donarunt.

Utiliter præparavit ad causam, jam pridem hunc Archiam poeticæ facilitatis (2) gratia celebrem a plurimis Italiæ nobilissimis populis in numerum civium cooptatum. Quod nimirum argumento esse debeat, etiam Heracliensibus nuper adscriptum, robustiorem jam fama, et ingenti dignitate majorem (3). Fuerunt autem urbes istæ de quibus loquitur *a* quibusdam græcis (4) tribubus conditæ.

2. Quorum alter res ad scribendum maximas, alter quum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset.

C. Marium Jugurthinum, qui ad consulatum septimum provectus est, non ignoramus a doctrinæ studiis (5) alienum, et sola rei militaris scientia floruisse : Quintum vero Catulum non mediocriter literis liberalibus informatum. Sed eleganter utique Archiam facere potuisse in hac parte narrationes ostendit, quia præstiterat C. Marius eas res, quæ satis uberem materiam scribentibus darent. Catulus autem et rebus gerendis floruerat, et habilis auditor erat.

3. Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico, qui de Jugurtha triumphavit, et ejus Pio filio.

Hic Metellum *exsulantem* cum Pompilio.... e confec.....(6).

(1) Codex *Regini.* A. M.

(2) Ita cod. *facilitatis*, at in argumento, pag. 120, *facultatis*. A. M.

(3) Codex *majore*, quod utique retinuissem, nisi codex passim mendis laboraret. Memini enim quid Quintilianus de *M* finali a veteribus sæpe subtracta scribat, Instit. IX, 4 : « Et illa censorii Catonis : *die' hanc*, M litera in E mollita, quæ in veteribus libris reperta, mutare imperiti solent : et dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur ». Recole etiam dicta a nobis ad orat. pro Tullio, 7, pag. 44, n. 3, et de rege Alexandrino, I, 2, pag. 104, n. 2. A. M.

(4) Codex *grecies.* A. M.

(5) Cod. « in doctrinæ studiis ». Sed codex scatet mendis. A. M.

(6) Recole de ære alieno Milonis, V, 3, quo loco etiam scribitur *Popilius*

4. Audiebatur a M. Æmilio.

M. Æmilium Scaurum hac in parte significat et ipsum multæ eruditionis, ut historia de illo habet (1).

5. Cum Quinto Gatulo (2) patre et filio.

AmboCinnana dominatione .... ti sunt (3).

6. A L. Crasso colebatur.

Ea ætate hic etiam quum maxime in studiis eloquentiæ floruit (4).

7. Lucullos vero.

Significat *Marcum* et Lucium, quorum alter de Macedonia, alter de bello Mithridatico triumpharunt (5).

8. Et Drusum.

Hic nobilis*simus* tribunus pl. fuit defensor senatus contra plebem: qui postea intra secreta domus suæ interfectus est.

9. Et Octavios.

pro *Pompilius*. Metellus autem filius pie patrem luxit, ac pro eo revocando populum deprecatus est. Vide Cicer. de Orat. II, cap. 40; post redit. ad Quir. 3; in Sen. 15. A. M.

(1) Codex « de illis haberet ». Ait autem Cicero in Bruto, cap. 29: « Hujus (Scauri) et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quos nemo legit ». Obiter etiam moneo exstitisse librum logistoricum Varronis inscriptum *Scaurus*. Vide Fabricii Bibliothecam Latinam in Varrone. A. M.

(2) Ita cod. *Gatulo*, ubi legitur interdum *Gaius* pro *Caius*. A. M.

(3) Q. Catulus pater princeps fuit Sullanæ factionis, ut ait Asconius ad lib. I in Verr. cap. 60. Mario victore ipse se vita privavit. Vide Appianum, Bell. Civ. I, 74. Q. Catulus filius Lepidum acta Sullæ rescindere conantem, bellumque patriæ inferentem, armis repulit. Vide Epitomen lib. XC Livii, et Appianum Bell. Civ. I, 107. De hoc Sallustius, Fragment. Hist. lib. III, 8, in oratione Macri Licinii ait: « Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis; ortus est longe sævior Catulus ». A. M.

(4) De L. Crasso oratore plurima scribit Cicero in libris de Oratore, et in Bruto. A. M.

(5) M. Luculli triumphum de Macedonia memorat Cicero in Pison. 19. Lucii

Alter ejus Octavi filius, quem post bellum civile nuper collegam suum L. Cinna victor occidit (1); alter vero Cn. Octavius M. Octavio patre qui consulatum cum Scribonio Curione gessit.

10. Et Catonem et totam Hortensiorum domum.

Patrem Catonis significat ejus, qui se post civile bellum Uticæ interfecit. *L.* Hortensio (2) autem *filius fuit* Q. Hortensius, qui temporibus M. Tulli, quamvis ætate provectior, *non* (3) tamen famosior, oratoris nomen obtinuit. Densitas igitur hæc exemplorum, quæ ad personas nobiles refertur (4), multum præsenti negotio patrocinatur, ut Archias tot amicis et tam illustribus nixus perquam facile *ad* honorem civitatis romanæ potuerit pervenire.

IV. Hic tu tabulas desideres (5) Heracliensium, quas interisse scimus omnes.

Id quod derivat in aliam causam, qua effectum sit ne exhiberi veræ possent, id est, propter incendium quod evenerat bello sociali.

V. 1. Gabinii quamdiu incolumis fuit.

Aulus Gabinius damnatus fuerat de pecuniis repetundis, quod acceptis decem millibus talentum ab rege Ptolemæo, duxisse romanum exercitum in Ægyptum diceretur (6).

2. Census nostros requiris.

triumphum de Mithridatico bello describit Plutarchus in Lucullo. A. M.

(1) Idem narrat Asconius ad orationem pro Scauro in hac nostra editione, pag. 30. A. M.

(2) Codex sic : « Hortensio...autem Q. Hortensius, etc. » relicto spatio. Sed supplendum fuit, ut fecimus. Patrem autem oratoris fuisse Lucium testatur Cicero in Verrem, lib. III, 16. A. M.

(3) Tò *non* abest a codice, sed videbatur supplendum : nam Tullius revera, quamvis junior, Hortensio famosior evasit. A. M.

(4) Cod. « que ad personas nobilitas fertur ». A. M.

(5) Sic cod. *desideres*. A. M.

(6) Aulus Gabinius, an. Urbis 605, Ptolemæum in Ægyptum cum exercitu

Etiam hoc argumento deficiebatur Archias: nec poterat is probare, cum ceteris civibus romanis apud præcedentium temporum censores bona sua professum. Et hoc coloratur absentiæ adlectione (1), quod cum constet illis censoribus et Romæ non fuisse, ac propterea censum non detulisse.

3. Cum L. Lucullo apud exercitum fuisse.

In Asia scilicet tempore belli Mithridatici.

4. Et testamentum sæpe fecit nostris legibus.

A partibus ad totum. Rebus gestis quamplurimis Archiam signa edidisse civis R. quæ non poterat habere peregrinus.

VI. Quantum denique aleæ quantum pilæ (2).

Sunt enim hæc, ut vulgo comperimus, genera ludendi (3).

VIII. Quis animo tam agresti et duro fuit, ut Rosci morte non moveretur?

Quintum Roscium Gallum dicit illis temporibus illustrem comici operis auctorem (4), quem familiarissime Cicero dilexit, qui non *ita* (5) pridem vita excesserat.

IX. Ille Marius idem (6) eximie L. Clodium (7) dilexit.

reduxit, eoque crimine damnatus est. Jam hæc oratio vulgo creditur dicta anno Urbis 693. Igitur vel tempora perturbat noster interpres, atque de alio Gabinio loquitur Cicero, ut censebat quidam amicus meus, vel hæc oratio aliquanto serius a Cicerone dicta est: cui sententiæ obstare videntur ea quæ ex hujus orationis cap. 5 dicit Fabricius in Ciceronis vita ad annum Urbis 692 (seu potius 693), Pisone et Messalla coss. A. M.

(1) Codex sic *adlectione*, nec male. A. M.

(2) Pro hoc textu codex habet: «Quia eloqui pila», corruptissime. A. M.

(3) Prave ego dederam in principe editione *ludorum*. A. M.

(4) Ita cod. *auctorem*. Nisi forte scribendum est *actorem*. A. M.

(5) Codex «qui non...a pridem», relicto spatiolo. Visum est supplendum *ita*. A. M.

(6) Fortasse corrigendum *item*, ut editiones habent. A. M.

(7) Codex aperte *L. Clodium*. Et quidem *Clodius* (sed cum prænomine *Ser*-

Hic primus Romæ studia latina docuisse *fertur.*

X. 1. Ergo illum qui hæc fecerat Rudinum hominem.

Natione (1) Rudinus fuit Q. Ennius, quem superior Africanus dilectum familiarissime etiam communicato sepulcri honore dicitur in majorum suorum numerum redegisse. Sepulcrum fuisse traditum extra portam Capenam, mille fere passibus ab Urbe sejunctum (2).

2. Quid noster hic Magnus?

De Cn. Pompeio dici manifestum. Et opportune (3), quoniam supra mentionem fecerat Macedonis Alexandri, cui hoc idem cognomentum fuit, de Pompeio dicturus adjecit hic noster.

3. Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus.

Ab exemplo adjudicando, non sine differentia tamen personarum, hæc argumentatio impletur L. Sullam præter ceteros Archiæ daturum civitatem romanam fuisse poetæ nobilissimo, quoniam malos plerosque existimaverit honorandos. Alternos igitur versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios. Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Kallinos (4). Adjicit Aristoteles

vius) recensetur a Suetonio inter illustres grammaticos, cap. 2; gener Quinti Ælii item grammatici. Sed vulgata lectio Ciceronis habet L. Plotium aut Plautium. Lucium autem Plotium primum Romæ docuisse latine, se puero, testatur Cicero in Fragm. epist. ad Titinium, apud eumdem Suetonium de claris Rhet. cap. 2. Et quidem codex Ambrosianus est mendosissimus. A. M.

(1) Dixi ad orat. pro Scauro, 8, p. 13, n. 3, scriptum hoc loco *ratione*. Nunc denique observo in ipso codice emendatum esse *natione*. A. M.

(2) Revera, anno demum post Chr. nat. 1780, decimo kal. junias, Joannes Baptista Viceconnes, romanarum antiquitatum curator, Scipionum sepulcrum in vinea Saxia detexit, non longe a vetere porta Capena. Consule Diarium romanum (*Cracas*) ejus temporis, et ejusdem Vicecomitis epistolam in Anthologiæ romanæ tom. VII, pag. 377. A. M.

(3) Cod. *oportune*. A. M.

(4) Cod. mendose *Aliinos*. Emendavi autem *Kallinos*, græca forma servata pro *Callinus*. Et quidem hujus poetæ nomen scribi corruptum etiam apud

præterea hoc genus poetas Antimachum Colofonium (1), Archilocum Parium, Mimnermum Colofonium, quorum numero additur etiam Solon, Atheniensium legum scriptor nobilissimus.

4. Ex his rebus quas vendebat jussit enim (2) pretium tribui, sed ea conditione, nequid postea scriberet.

Non potuit expressius vitia poetæ declarare, quam dicendo datum illi non præmium laudis, sed mercedem silentii.

5. Etiam Cordubæ natis poetis pingue quiddam sonantibus.

De versiculis nec egregio cultu, nec amœna varietate, nec eminentibus figuris carmen instructum.

XI. 1. Decimus quidem Brutus (3).

Hic Brutus Gallæcus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Ejus etiam nomini *dicatus* (4) poetæ tragici exstat liber, cujus (5) plurimos versus, quos Satur-

Pausaniam (Beotic. IX) et Nicandri Scholiastem, jam monuit cum Schotto Vossius, Instit. poet. III, 11. De Callino autem elegiæ auctore aut certe in ea excellente videsis Strabonem, XIII (edit. Amstel. 1707, pag. 901 et 930), et Procli Chrestomathiam apud Photium, cod. 239, pag. 983. Item in Putschio Marium Victorinum, pag. 2555; nec non Terentianum Maurum, qui p. 2420 ita scribit: « Pentametrum dubitant qui primus fecerit auctor. Quidam non dubitant dicere Callinoum ». A. M.

(1) Pro *Colophonium*. Vide ad argumentum orationis in Clod. et Cur. pag. 65, n. 2, nec non *triumfarunt* in hac oratione pro Archia, 3, 7.

(2) Sic cod. *enim*. Tum *prætium* cum diphthongo, quod et alibi sæpe vidi in antiquis codd. nec non « præcor, præces, depræhendo ». A. M.

(3) Velleius Paterculus, II, 5, ait: « Ante tempus excisæ Numantiæ præclara in Hispania militia A. Bruti fuit: qui, penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum urbiumque potitus numero, aditis quæ vix audita erant, Gallæci cognomen meruit ». Porro pro *A. Bruti* legendum esse *Decimi Bruti*, vehementer affirmant Paterculi interpretes, quorum sententiam codex etiam noster veram esse demonstrat. A. M.

(4) Locum obliteratum reparavi verbo *dicatus*. A. M.

(5) Codex *qui*. A. M.

nios (1) appellaverunt, vestibulo templi Martis superscripsit Brutus.

2. Hunc ad perficiendum adoravi (2).

Hoc verbum *adoravi* significat cohortatus sum; adoravit autem orare et petere significat.

XII. Qui vos, qui vestros imperatores, qui P. R. res gestas semper ornavit.

Epilogus valde conveniens personæ rei, quo devotionem Licinii Archiæ commendat in rebus P. R. (3) omnesque ingenii vires occupatas.

Explicit oratio feliciter.

(1) Quinam sit versus Saturnius declarat Asconius ad Act. I in Verr. 10: « Antiquum Nævii est: *Fato Metelli Romæ fiunt consules.* Cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Nævio poetæ* ». Horatius item, lib. II, epist. 1, vs. 157, ait: « sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius ». Et Festus in Saturno: « Versus antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Nævio bellum Punicum scriptum est, et a multis aliis plura composita sunt ». A. M.

(2) Editiones habent *hortatus sum*. At noster interpres legit *adoravi*, quod mira quadam explicatione declarat: nisi forte locus in insigni aliquo mendo cubat. Ceterum Asconius ad lib. I in Verr. cap. 26: *Poscunt majoribus* mire item exponit. *Sunt, qui producta scilicet O litera* poscunt *legunt, quasi* sæpe potant. *Sed* poscunt, provocant *intelligendum est.* A. M.

(3) Codex « in rebus tram ». A. M.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO L. FLACCO

ARGUMENTUM.

L. Valerius Flaccus prætor A. U. 690, M. T. Cicerone, C. Antonio coss. Antea fuerat P. Servilio Isaurico in Cilicia tribunus militum. Deinde M. Pupio Pisoni Hispaniam pro prætore regenti quæstor. Postea bello Cretico legatus interfuit imperatore Q. Metello Cretico. In prætura jurisdictionis laude floruit, idemque in conjuratione Catilinaria bene de republica meritus est, ejusque opera Cicero se usum esse demonstrat in deprehendendis Allobrogum legatis. Ex prætura Asiam provinciam sortitus obtinuit P. Orbii successor, eique per annum integrum an. 691, Silano et Murena coss. (non ut Manutius putabat, per triennium, aut ut Ferratius, per biennium) præfuit. An. 692, quum ex provincia rediisset, nomen ejus de repetundis detulit D. Lælius, et quum accusator in inquirendis rebus annum, et menses aliquot consumpsisset, accusatus est Cæsare et Bibulo coss. an. 694. Inter alios defensus est a Q. Hortensio, et a M. T. Cicerone hac oratione. Hortensii oratio commemoratur ep. ad Att. II, 25, his verbis : « At, hercule, alter tuus familiaris Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci prætura et de illo tempore Allobrogum diceret. Sic habeto nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici ».

In exordio orationis Cicero ait se existimasse, si forte aliquis Flacci beneficiorum in rempubl. collatorum obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset, ei tamen multitudinis potius imperitæ, quam sapientissimorum virorum judicium esse subeundum; et si hoc esset futurum, numquam tamen existimasse D. Lælium eam accusationem suscepturum esse. Sed quoniam in hoc se opinio fefellerit, eo magis implorandum esse consilium, gravitatem, sapientiam, providentiam judicum, quod in hoc uno judicio reipubl. subsidia, status civitatis, memoria temporum præteritorum, salus præsentium, spes reliquorum posita sit, cap. 1, 2.

Deinde breviter laudata Flacci quæstura, legatione, prætura, cap. 3, accedit ad testium reprehensionem. In quo primum Græcis ingenii, literarum, artium, eloquentiæ laudem tribuit, testimoniorum religionem et fidem denegat, 4. Deinde ostendit accusatorem valde cupidum fuisse in inquirendo, dissipatumque

esse rumorem, Cn. Pompeium, L. Flacco inimicum, contendisse a Lælio ut hunc hoc judicio arcesseret, eique se opes suas ad negotium detulisse. Sic accusatorem adolescentem ingenii plenum Græcos ad testimonia in Flaccum dicenda permovisse, et psephismata multitudinis concitatæ expressisse. In quo conciones Græcorum universas, in primis autem testimoniorum in Flaccum prolatorum levitatem exagitat, 4-10. Petit igitur a judicibus ut causam Flacci acerrime contemplentur; eos enim in testimoniis omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, perjurio reperturos, 11. Jam accedit ad singulas querelas criminationesque Græcorum. Primum Flacco objectum erat eum classis nomine pecuniam civitatibus imperasse. Id factum Cicero confitetur, docet autem id et licuisse fieri, et opus fuisse, 12, 13, et classem vere navigasse, 14. Sequuntur testimonia et criminationes singularum civitatum, Acmonensium, 15, 16; Dorylensium, 17; Temnitarum, in primis Heraclidis Temnitæ, 18-21; Trallianorum, 22-25, quibus omnibus opponit laudes Atheniensium, Lacedæmoniorum, Achæorum, Bœotorum, Massiliensium Flacco tributas, 26, 27.

Secunda parte tractatur invidia auri Judaici. Quum enim Judæorum nomine aurum ex Italia omnibusque provinciis romanis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxerat edicto, ne ex Asia exportari liceret, ideoque in invidiam vocabatur, quasi illud aurum avertisset. Cicero autem ostendit laudandum esse Flaccum, quod aurum exportari non siverit, et quum id, quod comprehensum sit, ad ærarium retulerit, nihil esse quod reprehendatur, totum potius crimen in laudem converti, 28.

In tertia orationis parte respondet querelis civium romanorum. Primum Deciani, qui se in jurisdictione a Flacco læsum esse questus erat; cujus turpitudinem in negotiando et crudelitatem perstringit, 29-33. Deinde Andronis Sextilii, qui sibi uxoris Valeriæ, quæ intestata erat mortua, hereditatem ereptam esse dixerat, 34-36; denique Falcidii, cui Flaccus L talenta eripuisse ferebatur, 37.

In peroratione demonstrat certos homines hoc agere, ut ii, qui in Catilinæ conjuratione opprimenda elaborarint, evertantur; itaque judices hortatur, ut in sententia ferenda, quid communis salus, quid reipublicæ tempora poscant, cogitent, Flaccumque ab innocentia et virtute laudatum eorum justitiæ et misericordiæ commendat, 38-42.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
PRO L. FLACCO.

ORATIO SEXTA ET VICESIMA.

I. Quum in maximis periculis hujus urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo reipublicæ casu, socio atque adjutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, cædem a vobis, conjugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam: sperabam, judices, honoris [1] potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. Quod enim esset præmium dignitatis, quod populus romanus, quum hujus majoribus semper detulisset, huic denegaret; quum L. Flaccus veterem Valeriæ gentis in liberanda patria laudem,

I. 1. *Honoris.* Faernus invenit *honorum* in aliquot MSS, quod malit Grævius. Sic enim Cicero labores aut miserias cum honoribus semper opponit, ut lib. XIII, ad Div. epist. 4: « Nam nec in honoribus meis, nec in laboribus umquam defuerunt »; et in epist. 7: « Nullum umquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum », et alibi frequenter. Verum hæc non ad h. l. valent; neque cogitavit Grævius unum honoris gradum, nempe consulatum, Flacco prætorio viro restitisse.

prope quingentesimo anno[2] reipublicæ, retulisset[3]? Sed si forte aliquando aut beneficii[4] hujus obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset: existimabam, L. Flacco multitudinis potius imperitæ, nullo tamen cum periculo, quam sapientissimorum et lectissimorum virorum judicium esse subeundum. Etenim, quibus auctoribus et defensoribus omnium tum salus esset non civium solum, verum etiam gentium defensa ac retenta, neminem umquam putavi per eos ipsos[5] periculum hujus fortunis atque insidias creaturum. Quod si esset aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret : numquam tamen existimavi, judices, D. Lælium optimi viri filium, optima ipsum spe præditum summæ dignitatis, eam suscepturum accusationem, quæ sceleratorum civium potius odio et furori[6], quam ipsius virtuti atque institutæ àdolescentiæ[7] conveniret. Etenim quum a clarissimis viris justissimas inimicitias sæpe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem, non sum arbitratus, quemquam amicum reipublicæ, posteaquam L. Flacci amor in patriam perspectus esset, novas huic inimicitias, nulla accepta injuria, denuntiaturum. Sed, quoniam, judices, multa nos et

2. *Prope quingentesimo anno.* P. Valerius Publicola, expulsis regibus, fuit primus consul cum Bruto. A quo tempore ad Ciceronis consulatum 466 anni numerantur. Cicero rotundo usus est numero, quod oratorem magis decebat.

3. *Retulisset.* Renovasset, instaurasset. Sueton. Tib. 32 : « Prætorem collaudavit, quod honore inito, consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi ».

4. *Aut beneficii.* Id est, officiorum.

5. *Per eos ipsos.* Subaud. sapientissimos et lectissimos.

6. *Potius odio et furori.* Quia mira arte et fortitudine Ciceronem adjuverat in conjurationis principibus detegendis et capiendis.

7. *Atque institutæ adolescentiæ.* Græv. conjicit, « sic institutæ ». Ratio intelligitur qua Lælius suam instituerat adolescentiam, idque in bonam partem ex ipsa sententia, quum sit per se media locutio.

in nostris rebus[8], et in republica fefellerunt: ferimus ea, quæ sunt ferenda; tantum a vobis petimus, ut omnia reipublicæ subsidia, totum statum civitatis, omnem memoriam temporum præteritorum, salutem præsentium, spem reliquorum, in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc uno judicio positam esse et defixam putetis. Si umquam respublica consilium, gravitatem, sapientiam, providentiam judicum imploravit: hoc tempore, hoc, inquam, tempore implorat.

II. Non estis de Lydorum, aut Mysorum, aut Phrygum, qui huc compulsi concitatique venerunt, sed de vestra republica judicaturi, de civitatis statu, de communi salute, de spe bonorum omnium, si qua reliqua est[1] etiam nunc, quæ fortium civium mentes cogitationesque sustentet. Omnia alia perfugia bonorum, præsidia innocentium, subsidia reipublicæ, consilia, auxilia, jura ceciderunt[2]. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? Senatumne? at is ipse auxilium petit a vobis, et confirmationem auctoritatis suæ[3] vestræ potestati permissam esse sentit. An equites romanos? judicabitis principes ejus ordinis quinquaginta[4], quid cum omnibus senseritis[5]. An populum romanum? at is quidem omnem

8. *In nostris rebus*. Id est, in nostris propris negotiis.

II. 1. *Si qua reliqua est*. Si qua jam spe ad virtutem fortes cives accenduntur.

2. *Ceciderunt*. Al. « occiderunt ».

3. *Confirmationem auctoritatis suæ*. Flacco absoluto in gratiam exstinctæ per ipsum conjurationis, senatus auctoritatem confirmabitis, qui et conjuratos puniri voluit, et præmio dignos censuit, qui tunc temporis reipublicæ operam navaverunt.

4. *Ejus ordinis quinquaginta*. Lege Aurelia tribus tum ordinibus judicia habebantur, senatoribus, equitibus et ærarii tribunis; sed non datur cognoscere quot judices ex singulis ordinibus una adfuerint. In hac causa, conjicere licet maximam judicum partem equitibus esse conflatam.

5. *Quid cum omnibus senseritis*.

suam de bonis[6] potestatem tradidit vobis. Quamobrem, nisi hoc loco, nisi apud vos, nisi per vos, judices, non auctoritatem, quæ amissa est, sed salutem nostram, quæ spe exigua extremaque pendet, tenuerimus : nihil est præterea[7], quo confugere possimus; nisi forte[8], quæ res hoc judicio tentetur, quid agatur, cui causæ fundamenta jaciantur, judices, non videtis. Damnatus est is[9], qui Catilinam, signa patriæ inferentem, interemit : quid est causæ, cur non is, qui Catilinam ex urbe repulit[10], pertimescat? Repetitur ad pœnam, qui indicia communis exitii excepit[11] : cur sibi confidat is, qui ea proferenda et patefacienda curavit[12]? Socii consiliorum, ministri, comitesque[13] vexantur: quid auctores[14], quid duces, quid principes sibi exspectent? Atque utinam inimici nostri, ac bonorum omnium, mecum potius contendant! utrum tum omnes boni, duces nostri, an comites fuerint ad communem conservandam salutem*[15].

Permulta desunt.

Subaud. equitibus. Equites in hac tempestate sese reipublicæ studiosos ostenderunt, dum multi senatores Catilinæ favebant.

6. *De bonis.* Subaud. civibus. Sic fere omnes MSS. Lambin. Ernest. Beck. *nobis.*

7. *Præterea.* Nullum est aliud tribunal quo confugere possimus.

8. *Nisi forte.* Transitionis genus quæ exclamatione exprimitur.

9. *D. est is.* Antonius, Ciceronis collega in consulatu, repetundarum a M. Cœlio accusatus, damnatus fuerat.

10. *Repulit.* Cicero ipse.

11. *Excepit.* L. Flaccus.

12. *Patefacienda curavit.* Cicero.

13. *Socii consiliorum, ministri, comitesque vexantur.* Scil. consulis.

14. *Quid auctores.* Scilicet consiliorum. — *Quid duces, quid principes.* Id est, consul ipse et senatores qui conjuratorum necem censuerunt.

15. *Ad communem.... salutem.* Imperfecta sententia, quum nonnulla desiderentur. Manifestum est Ciceronem sese ipsum cum Flacco jungere; hinc credere fas est pauca de se loquutum, quum Antonii condemnatione et Flacci accusatione se ipsum peti facile provideret.

* Nemini non certum est, quin huic loco conveniat fragmentum nuper ab Angelo Maio publici juris factum. Itaque addimus ipsi orationi, quamvis hinc inde mutilum. J. V. L.

III..... Externum[1], quum domestica vita naturaque constaret? Itaque non patiar, D. Læli, te tibi hoc sumere, atque hanc ceteris in posterum, nobis in præsens tempus legem conditionemque constituere[2].... Quum adolescentiam[3] notaris, quum reliquum tempus ætatis turpitudinis maculis consperseris, quum privatarum rerum ruinas, quum domesticas labes, quum urbanam infamiam, quum Hispaniæ, Galliæ, Ciliciæ, Cretæ, quibus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris; tum denique, quid Tmolitæ[4] et Loreni de L. Flacco existiment, audiemus.

Quem vero tot, tam gravesque provinciæ salvum esse cupiant, quem plurimi cives tota ex Italia devincti necessitudinum vetustate defendant, quem hæc communis omnium nostrum patria propter recentem summi beneficii memoriam complexa teneat; hunc etiamsi tota Asia deposcit ad supplicium, defendam, resistam. Quid? si neque tota[5], neque optimos, ne-

III. 1. *Externum, quum domestica,* etc. Apparet sensus : num peregrinis et alienigenis de Flacco credemus, quum ejus vita et mores sub oculis nostris versentur.

2. Verbum *constituere*, e conjectura, ob partem paginæ abscissam. J. V. L.

3. *Quum adolescentiam.* Si potes primæ adolescentiæ Flacci labem inurere, ejus vitia et Romæ et in provinciis demonstrare; tum denique testes producas adversus eum ignoti oppidi incolas.

4. *Tmolitæ.* Male in cod. scriptum est *Molitæ;* dicebatur enim *Timolus* et *Tmolus*, mons magnæ Phrygiæ in finibus Lydiæ, unde Pactolus oritur. Est etiam urbs ejusdem nominis ad illum montem sita, de qua Stephanus et Tacitus Annal. II, 12. Incolæ *Timolitæ* et *Tmolitæ,* et quia in medio monte posita illa erat urbs dicti sunt incolæ etiam *Mesotmolitæ,* teste Plinio lib. V, 29, qui montem sic describit : « celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui ante Timolus appellabatur, ut certe longe ante Tullium, vitibus consitus ». Non modo Callimachus fragmentis Bentlei XCIII, sed Homerus etiam, Iliad. B, 866, Τμῶλον usurpavit.

5. *Neque tota.* Quid jam erit, si neque universa Asia in eum conjurat, neque optimos ac incorruptos cives testimonium laturos misit. Angel. Maius emendat « neque optime, neque incorrupte ».

que incorruptos; neque sua sponte, nec jure, nec more, nec vere, nec religiose, nec integre; si[6] improvisa, si sollicitata, si concitata, si coacta, si impia; si temere, si putide, si inconstanter[7] nomina misit in hoc judicium per egentissimos testes, ipsa autem nihil queri vere de injuriis potest: tamenne, judices, hæc ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt?

Tenebo igitur hunc ordinem defensor, quem fugit inimicus[8], et accusatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen[9] ab adversario flagitabo. Quid est, Læli? numquid ea.... vere.... dicis? qui quidem[10] non in umbra, neque in illius ætatis disciplinis artibusque versatus est. Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus. Nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid.... usus[11]....

Hunc igitur virum, Læli, quibus tandem rebus oppugnas? Fuit, P. Servilio[12] imperatore, in Cilicia tribunus militum: ea res siletur. Fuit M.[13] Pisoni quæstor in Hispania: vox de quæstura nulla missa est. Bellum Cretense ex magna parte gessit, atque una cum summo imperatore[14] sustinuit: muta est

6. *Si improvisa.* Si in tota hac re imprudentiæ, sollicitationis, cupiditatis vis, sacrilegii vestigia deprehenduntur.

7. *Si temere, si putide, si inconstanter.* Tota hæc sententia suspecta est, Ciceronem non sapit. — *Nomina misit.* Id est, accusavit.

8. *Inimicus.* Flacci.

9. *Crimen.* Flagitabo ut aperte accusationem profiteatur.

10. *Qui quidem.* Et sane Flaccus non in scholarum umbra est educatus. — *Hoc ipso nomine.* Numquid hac de re accusare eum potes, numquid gratia ea quam paterna dabat dignitas est male usus?

11. Explicit fragmentum novum. J. V. L.

12. *P. Servilio.* Isaurico, qui de Cilicia, et Isauris triumphavit, unde cognomen.

13. *M. Pisoni.* Hispaniam ex qua Hortensio et Metello coss. triumphavit, post præturam administranti.

14. *Cum summo imperatore.* Q. Metello, qui de Creta triumphavit, unde Creticus appellatus est. Infra: prodesse Flacco debet, quod se tribunum militum, quod quæstorem, quod

hujus temporis accusatio. Præturæ jurisdictio, res varia et multiplex ad suspiciones et simultates, non attingitur[15]; ea vero, in summo et periculosissimo reipublicæ tempore, etiam ab inimicis laudatur.

At a testibus læditur[16]. Antequam dico, a quibus, qua spe, qua vi[17], qua re concitatis, qua levitate, qua egestate, qua perfidia, qua audacia præditis, dicam de genere universo[18], et de conditione omnium nostrum. Per deos immortales! judices, vos, quomodo is, qui anno ante Romæ jus dixerat, anno post in Asia jus dixerit, a testibus quæretis ignotis? ipsi conjectura nihil judicabitis? In tam varia jurisdictione tam multa decreta, tot hominum gratiosorum[19] læsæ voluntates: quæ est umquam jacta non suspicio, quæ tamen solet esse falsa, sed iracundiæ vox, aut doloris? Et is est reus avaritiæ, qui in uberrima re turpe compendium, in maledicentissima civitate[20], in suspiciosissimo negotio, maledictum omne, non modo crimen effugit? Prætereo illa, quæ prætereunda non sunt: nullum hujus in privatis rebus factum avarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari sordem posse proferri. Quibus igitur testibus ego hosce possum refutare, nisi vobis[21]? Tmolites ille vicanus, homo non modo

legatum imperatoribus clarissimis, exercitibus ornatissimis, provinciis gravissimis dignum suis majoribus præstitit.

15. *Non attingitur*. Accusator nullam de hac jurisdictione mentionem facit. — *Periculosissimo . . . tempore*. Tum quum Catilinæ conjuratio flagraret.

16. Pantagathus conjicit, « At Asiatica a testibus læditur », probante Ursino. J. V. L.

17. Lamb. Græv. Ern. Beck. delent hæc duo verba : servamus cum Lallem. et multis MSS. J. V. L.

18. *De genere universo*. De testibus universum, et de injuriis quibus omnes obnoxii sumus.

19. *Gratiosorum*. Id est, potentium.

20. *Maledicentissima civitate*. Id est, Romæ. Ut pro M. Cœlio : « at fuit fama : quotusque istam effugere potest, in tam maledica civitate? »

21. *Nisi vobis*. Qui Flaccum peni-

nobis, sed ne inter suos quidem notus, vos docebit, qualis sit L. Flaccus? quem vos modestissimum adolescentem, provinciæ maximæ[22] sanctissimum virum, nostri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperatissimum legatum[23] quæstoremque cognoverunt? quem vos præsentes constantissimum senatorem, justissimum prætorem, atque amantissimum reipublicæ civem judicastis? De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes[24] audietis?

IV. At quos testes? primum dicam (id quod est commune) Græcos: non quo nationi huic[1] ego unus maxime fidem derogem; nam, si quis umquam de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate non abhorrens fuit, me et esse arbitror, et magis etiam tum, quum plus erat otii, fuisse: sed sunt in illo numero multi boni, docti, pudentes, qui ad hoc judicium deducti non sunt; multi impudentes, illiterati, leves, quos variis de causis[2] video concitatos. Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum:

tus noscitis. Paullo infra in vulg. legitur « Timolites ». Deinde Lambinus, post Turnebum, « Nicænus », perperam. Vid. ad cap. 3, not. 4. — *Tmolites ille vicanus.* Vicanus, qui ex vico, aut vici incola, ut qui est ex urbe urbanus, ex pago paganus. Vicanus Tmolites hic dicitur, quod Tmolum civitatem contemptim pro vico habeat, ut fidem Tmolitæ testimonii elevet.

22. *Provinciæ maximæ.* Ciliciæ, in qua tribunus militum.

23. *Temperatissimum legatum.* In Creta. — *Quæstorem.* In Hispania.

24. *Alios testes audietis?* Num ipsi audietis alios testes de iis, de quibus vos debetis esse testes aliis?

IV. 1. *Non quo nationi huic.* Auctore Quintiliano, lib. IV: « Vitandum est ne in ordinem quemquam contumeliosi esse videamur ». Sed aliquando, ut idem dicit lib. XI, cap. 1: « Fides patrocinii cogit quædam de universo genere aliquorum hominum dicere, ut libertinorum, vel militum, vel publicanorum, vel similiter aliorum, in quibus omnibus commune remedium est, ut ea, quæ lædunt, non libenter tractare videaris... Quod ad nationes exteras pertinet, Cicero varie detracturus græcis testibus fidem, doctrinam his concedit, ac literas; seque ejus gentis amatorem esse profitetur ».

2. *Variis de causis.* Quas ipse in novo fragmento enumeravit. Quo etiam præclarius fragmenti ejus locus designatur.

tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno: testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit; totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. Unde illud est, DA MIHI TESTIMONIUM MUTUUM. Num Gallorum[3], num Hispanorum putatur? Totum istud Græcorum est: ut etiam, qui græce nesciunt, hoc, quibus verbis[4] a Græcis dici soleat, sciant. Itaque videte, quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicant. Numquam nobis ad rogatum[5] respondent; semper accusatori plus, quam ad rogatum. Numquam laborant, quemadmodum probent, quod dicunt; sed quemadmodum se explicent dicendo. Iratus[6] Flacco dixit M. Lurco, quod, ut ipse aiebat, libertus erat ejus turpi judicio condemnatus. Nihil dixit, quod læderet eum, quum cuperet[7]: impediebat enim religio[8]. Tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore et pallore dixit? Quam promptus homo[9] P. Septimius? quam iratus de judicio, et de villico? tamen hæsitabat; tamen ejus ira-

3. *Num Gallorum, num Hispanorum*. Ed. Waldarf. « Non Gallorum, non Hisp. » Minus recte. J. V. L.

4. *Quibus verbis*. Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν. Qua loquendi formula, orator, quam subtilis est, in propriam utilitatem abutitur.

5. *Ad rogatum*. Id est, quum rei patronus eos interrogat, numquam respondent ad id, quod rogantur; quum accusator, plura etiam dicunt quam rogantur.

6. *Iratus*. Ira testimonio fidem derogat. — *Dixit*. Id est, testificatus est. — *Ut ipse aiebat*. Id est, ut ipse fatebatur se iratum esse quod libertus, etc. — *Turpi*. Quo infamabatur.

7. *Læderet eum, quum cuperet*. Sic pro Sulla, 7: « In quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris ». — *Eum* abest pluribus MSS. Delevit Grævius. J. V. L.

8. *Impediebat enim religio*. Jurisjurandi; nam testes jurati dicebant.

9. *Quam promptus homo*. Infra: « literas misit de villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus cædem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuistis ». — *De judicio, et de villico*. Pro, de judicio villici.

cundiæ religio nonnumquam repugnabat. Inimicus M. Cœlius[10], quod, quum in re manifesta putasset[11] nefas esse, publicanum judicare contra publicanum[12], sublatus erat e numero recuperatorum[13]: tamen tenuit se, neque attulit in judicium quidquam ad lædendum, nisi voluntatem.

V. Hi si Græci fuissent, ac nisi nostri mores ac disciplina plus valerent[1], quam dolor ac simultas: omnes se spoliatos, vexatos, fortunis eversos esse dixissent. Græcus testis quum ea voluntate processit[2], ut lædat, non jurisjurandi, sed lædendi verba meditatur[3]; vinci, refelli, coargui putat esse turpissimum; ad id se parat; nihil aliud curat. Itaque non optimus quisque, nec gravissimus, sed impudentissimus loquacissimusque deligitur. Vos autem in privatis minimarum rerum judiciis testem diligenter expenditis: etiam si formam hominis, si nomen, si tribum nostis, mores tamen exquirendos putatis. Qui autem[4] dicit testimonium ex nostris[5] hominibus,

10. *M. Cœlius.* Patrem hunc Sylvius arbitratur Cœlii, quem Cicero defendit, et quem ex equestri ordine esse dicit.

11. *Putasset.* Flaccus Asiæ tum prætor.

12. *Publicanum.* Publicani equites erant apud Romanos publicorum vectigalium redemptores. Cicero in orat. pro Planco, 9, ait: « Flos equitum romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ publicanorum ordine continetur ». — *Sublatus erat.* Ipse Cœlius.

13. *Recuperatorum.* In causis civilibus prætor recuperatores dabat, qui de iis judicarent. Flaccus autem nefas esse putaverat Cœlium publicanum sedere judicem contra alium publicanum, manifeste reum, quem propter sodalitium absolveret.

V. 1. *Nisi nostri mores ac disciplina plus valerent.* Id est, si cognitio morum nostrorum non vocem præcluderet dolori ac simultati.

2. *Processit.* Alii, *procedit.*

3. *Verba meditatur.* Parum curat. Cicero, Off. III, 29: « In jurejurando non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. Quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est ». Leg. II, 7: « Quam sancta sit societas civium inter ipsos diis immortalibus interpositis, tum judicibus tum testibus ».

4. Al. « qui tum ». J. V. L.

5. *Ex nostris hominibus.* Id est,

ut se ipse sustentat! ut omnia verba moderatur! ut timet, ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid plus minusve, quam sit necesse, dicat! Num illos item[6] putatis? quibus jusjurandum jocus est; testimonium, ludus; existimatio vestra[7], tenebræ; laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudenti mendacio. Sed non dilatabo orationem meam: etenim potest[8] esse infinita, si mihi libeat totius gentis in testimoniis dicendis explicare vanitatem[9]. Sed propius accedam: de his vestris testibus dicam. Vehementem accusatorem[10] nacti sumus, judices, et inimicum in omni genere odiosum ac molestum: quem spero his rebus[11] fore magno usui et amicis, et reipublicæ. Sed certe inflammatus incredibili cupiditate[12], hanc causam accusationemque suscepit. Qui comitatus in inquirendo? comitatum dico? immo vero quantus exercitus? quæ jactura[13]? qui sumptus?

civibus. Homo romanus. — *Ut se ipse sustentat.* A trutina translatio. Se sustinet, se cohibet, verba ponderat, ne quid dicat a vero alienum cavet.

6. Al. *idem*. J. V. L.

7. Ant. Augustin. conjicit *tricæ;* Pantagathus vero, « existimatio, verba; tenebræ, laus, merces, etc. » J. V. L.

8. *Potest.* Al. *posset.*

9. *Explicare vanitatem. Vanitas* dicitur de omnibus iis rebus, quæ inanem habent speciem, a veritate alienam, ut de mendacio. Off. I, 42: « Nihil proficiunt, nisi admodum mentiantur, nec vero est turpius quidquam *vanitate* ».

10. *Vehementem accusatorem.* Mos erat Romæ, ut ei qui in causa repetundarum accusator constitutus erat, dies darentur ad inquirenda rei vitia quum alibi, tum præcipue in provincia ea quæ vexata dicebatur, ut Ciceroni ad inquirenda vitia Verris dati sunt dies centum et decem. In Flacci inquisitione per Græciam quam immoderatum, quam vehementem se Lælius præstiterit, Cicero hic docet, ut ostendat quam levia et vana sint testimonia ea quæ in Flaccum dicta sunt.

11. *His rebus.* Al. delendum *his rebus* censent. Sensus est: Vehementem acremque Lælii indolem, hac in accusatione perspectam, illumque animi vigorem quo summa contentione ac diligentia susceptas res agit, si ad amicorum opem, et ad præsidium reipublicæ conferatur, his fore perutilem.

12. *Incredibili cupiditate.* Flacci pessumdandi.

13. *Quæ jactura.* Non hic damnum intelligitur; sed ingens pecunia, immensi sumptus facti in hanc inquisitionem.

quanta largitio? Quæ quamquam utilia [14] sunt causæ, timide tamen dico [15]; quod vereor, ne Lælius ex his rebus, quas sibi suscepit gloriæ causa [16], putet aliquid, oratione mea, sermonis in sese, aut invidiæ esse quæsitum.

VI. Itaque hanc partem totam relinquam: tantum a vobis petam, judices, ut, si quid ipsi audistis communi fama atque sermone, de vi, de manu, de armis [1], de copiis; memineritis, quarum rerum invidia, lege hac recenti [2] ac nova, certus est [3] inquisitioni comitum numerus constitutus. Sed, ut hanc vim omittam, quanta illa sunt? quæ quoniam accusatorio [4] jure et more sunt facta, reprehendere non possumus, queri tamen cogimur: primum, quod, distributis partibus [5], sermo est tota Asia dissipatus, Cn. Pompeium, quod L. Flacco est vehementer inimicus, contendisse a Lælio, paterno amico [6] ac pernecessario,

14. *Utilia sunt causæ*. Nostræ. Quod, quum tot testes adduxeris, tantam vim pecuniæ absumpseris, tanto studio, tanta diligentia, tot laboribus, tot vigiliis enixus fueris, id unum demonstraveris, et Flaccum invidia superiorem esse et tete ipsum græcis ardelionibus ludo fuisse.

15. *T. t. dico*. Merum dicterium.

16. *Gloriæ causa*. Quam ex Flacci condemnatione speravit.

VI. 1. *De vi, de m. de armis*. Lælii, qui jure accusatorio abusus fuerat.

2. *Lege hac recenti*. Quam paullo ante Cæsar consul de repetundis promulgaverat. In illa autem lege certus comitum numerus accusatori in requirendo assignabatur ob invidiam illatum rerum, quas in Flaccum fecerat Lælius. Cf. ad calc. vol. prim. Excurs. de jud. publ. § quæstio perpetua de repetundis.

3. Emendationem Faerni, *sit*, Ern. probavit; nonnulli nuper admisere, inter quos edit. Lipsiensis. J. V. L.

4. *Accusatorio jure*. Jure eo quod accusantibus lege datur.

5. *Distributis partibus*. Multis ex suis comitibus in varias Asiæ partes distributis, qui sermonem illum de Cn. Pompeio dissiparent, id est, dispergerent.

6. *Paterno amico*. Lælius paternus amicus Cn. Pompeii vocatur, non quod ipse Lælius adolescens patris Pompeii amicus fuerit, qui 28 ann. ante, Cinna et Octavio coss. perierat, sed quod inter utriusque patres amicitia quondam et familiaritas intercesserat. Plurima hujusmodi dicendi sunt exempla. Infra cap. 32, de Deciano: « Cur autem prætor [L. Flaccus] te inimicum paternum in consilium vocavit? Non tamen hic ipse Decianus,

ut hunc hoc judicio arcesseret; omnemque ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulisse. Id hoc verisimilius græcis hominibus videbatur, qui paullo ante[7] in eadem provincia familiarem[8] Lælium Flacco viderant. Pompeii autem auctoritas quum apud omnes tanta est, quanta esse debet, tum excellit in ista provincia, quam nuper et prædonum[9], et regum bello liberavit. Adjunxit illa[10], ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione[11] terreret; qui domi stare non poterant[12], largo et liberali viatico commoveret. Sic adolescens, ingenii plenus, locupletes metu, tenues præmio, stultos errore permovit: sic sunt expressa ista præclara, quæ recitantur[13], psephismata, non sententiis, neque auctoritatibus declarata, nec jurejurando constricta, sed porrigenda manu[14], profundendoque clamore multitudinis concitatæ.

sed illius pater cum patre L. Flacci inimicitias gesserat, uni ædili curuli tribunus plebis diem dixerat ». Pro Murena, cap. 27: « Accusat paternus amicus, Cn. Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus et necessarius ». Equidem non puto Postumium, prætorium candidatum, amicum fuisse patris L. Murenæ, qui tum erat consul designatus.

7. Al. « qui p. a. familiarem Lælium in eadem pr. Flacco viderant ». J. V. L.

8. *Familiarem.* Ut ejus prævaricationes propter familiaritatem nosse potuerit.

9. *Prædonum.* Id est, piratarum. — *Et regum.* Scilicet, Mithridatis et Tigranis.

10. *Adjunxit illa.* Lælius.

11. *Testimonii denuntiatione.* Quintil. lib. V, cap. 7: « Duo, inquit, genera sunt testium, aut voluntariorum, aut eorum quibus judex in publicis judiciis lege denuntiare solet. Quorum altero utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est ».

12. *Qui domi stare non poterant.* Id est, miseri, aut qui obærati erant. — *Largo et liberali viatico.* Ita ut præter impensas itineris possent adhuc aliquid lucri facere. Lege Julia de vi lata eodem tempore ob Lælii agendi rationem in Flaccum, a dicendo testimonio arcetur is qui ob dicendum testimonium, vel non dicendum pecuniam accepisse judicatus, vel convictus erit.

13. *Quæ recitantur.* In judicio contra Flaccum. — *Psephismata.* Id est, decreta Cymæorum, Pergamenorum, de quibus infra.

14. *Porrigenda manu.* Græcorum mos fuit, ut in concionibus rem, de qua ageretur, non suffragiis, sed cla-

VII. O morem præclarum, disciplinamque, quam a majoribus accepimus, si quidem teneremus! sed nescio quo pacto jam de manibus elabitur. Nullam enim illi nostri sapientissimi et sanctissimi viri vim concionis[1] esse voluerunt. Quæ sciesceret plebes, aut quæ populus juberet[2], summota concione, distributis partibus[3], tributim et centuriatim descriptis ordinibus, classibus, ætatibus, auditis auctoribus[4], re multos dies promulgata et cognita[5], juberi vetarique voluerunt. Græcorum autem totæ respublicæ sedentis concionis[6] temeritate administrantur. Itaque, ut hanc Græciam, quæ jamdiu suis consiliis perculsa et afflicta est, omittam: illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum. Quum in theatro[7] imperiti homines, rerum omnium rudes

more et manu juberent, aut vetarent; unde χειροτονεῖν et χειροτονία.

VII. 1. *Nullam... vim concionis.* Apud Romanos nulla lex in concione ferebatur: sed quum ex Rostris proposita fuisset, et per trinum affixa nundinum, ut eam cives cognoscere possent, in campum Martium descendebant, si comitia haberentur, et populo proponebatur, ut eam suffragiis suis vel juberet, vel antiquaret. — Abest *enim*.

2. *Quæ populus juberet.* Quod populus in tribuariis comitiis jubebat, vocabatur plebiscitum, quod in centuriatis, populi jussum; quia populus universus jubebat.

3. *Distributis partibus.* Unaquæque tribus seorsum stabat; divisa erat in centurias, quarum nonnullæ ad primam classem, aliæ ad secundam, et sic deinceps spectabant; servatoque ordine classium singillatim eædem centuriæ rogabantur, « descriptis ordinibus, classibus, ætatibus ».

4. *Auctoribus.* Legis propositæ.

5. *Promulgata et cognita.* Quo anno Flaccus causam dixit, C. Cæsare consule, multa lata fuerant, nec tamen promulgata, ut de Clodii adoptione, cujus meminit Cicero pro Dom. 16. Alia plurima per vim, et impetu concitati populi tulisse Cæsar arguebatur; eaque ipsa questus paullo ante Cicero in causa C. Antonii, Cæsarem ac Pompeium offenderat, quorum eo tempore nimia erat in libera civitate potentia. Hinc supra, majorum disciplina laudata, subjicit: « Si quidem teneremus! sed nescio quo pacto jam de manibus elabitur ».

6. *Sedentis concionis.* Una duntaxat diurna sessione.

7. *In theatro.* Græci conciones habebant in theatro, et sedebant; Romani in foro, et stabant.

ignarique, consederant : tum bella inutilia suscipiebant; tum seditiosos homines reipublicæ præficiebant; tum optime meritos cives[8] e civitate ejiciebant. Quod si hæc Athenis tum, quum illæ non solum in Græcia, sed prope cunctis gentibus enitebant[9], accidere sunt solita : quam moderationem putatis in Phrygia aut in Mysia concionum fuisse? Nostras conciones illarum nationum homines plerumque perturbant : quid, quum soli sunt ipsi, tandem fieri putatis? Cæsus est virgis Cymæus[10] ille Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus. Data concio Lælio[11] est : processit ille[12], et Græcus apud Græcos non de culpa sua dixit, sed de pœna questus est; porrexerunt manus[13]; psephisma natum est. Hoc testimonium est? Nuper epulati, paullo ante omni largitione saturati Pergameni[14], quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores, id zonarii conclamarunt[15]. Hoc testimonium est civitatis? Ego testes a Sicilia[16] publice duxi : verum erant ea testimonia non

8. *Optime meritos cives.* Ut Aristidem, Themistoclem, Cononem, aliosque. Vid. Cornel. Nep. et Plutarch.

9. Sic est in codd. Faern. et al. Habent quoque edd. Lamb. Ernest. Lallem. etc. Apud al. *eminebant.* J. V. L.

10. *Cymæus.* Ex Cymis, urbe Asiæ in Æolide; quam vocem et infra usurpat, ubi loquitur de fundo empto per Heraclidem.

11. *Data concio Lælio.* A magistratu Cymæo; quia nemo privatus publice verba facere poterat, nisi ei senatus, aut concio a magistratu daretur. Mox de eodem Lælio cap. 8, « postulat concionem ».

12. *Processit ille.* Athenagoras in concionem Lælio datam *processit* ad Græcorum animos inflammandos. Lælium autem ipsum græce loquutum fuisse, tum liberalis Romanorum educatio, tum quæ infra leguntur c. 23, dubitare non sinunt : « quo quum venisset Lælius ad iratos, et illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset ».

13. *Porrexerunt manus.* Suffragandi modus apud Græcos.

14. *Pergameni.* Pergami incolæ.

15. Lallem. ex aliquot MSS, « id sutores et coriarii conclamarunt ». J. V. L.

16. *Ego testes a Sicilia.* In Verrem cujus accusator fuit Cicero.

concitatæ concionis, sed jurati senatus [17]. Quare jam non est mihi contentio cum teste : vobis videndum est, sintne hæc testimonia putanda.

VIII. Adolescens bonus, honesto loco natus, disertus, cum maximo ornatissimoque comitatu venit in oppidum Græcorum; postulat concionem; locupletes homines et graves, ne sibi adversentur, testimonii denuntiatione [1] deterret; egentes et leves spe legationis [2] et viatico publico [3], privata etiam benignitate prolectat; opifices et tabernarios, atque illam omnem fæcem civitatum, quid est negotii concitare, in eum præsertim, qui nuper summo cum imperio fuerit, summo autem in amore esse, propter nomen ipsum imperii [4], non potuerit? Mirandum vero est, homines eos, quibus odio sunt nostræ secures, nomen acerbitati [5], scriptura [6], decumæ [7], portorium morti [8], libenter arripere facultatem lædendi, quæ-

17. *Jurati senatus.* Id est, jurejurando obligati.

VIII. 1. *Testimonii denuntiatione.* Illis timorem incutit, ne judicis jussu cogantur testimonium Romæ dicere.

2. Conjiciebat Henr. Steph. *largitionis*, quod habet unus aut alter MSS. J. V. L.

3. *Legationis et viatico publico.* Spe illos allicit quasi legati futuri essent et reipublicæ sumptu nutriti.

4. *Propter nomen ipsum imperii.* Remp. oderunt, quam timent.

5. *Nomen acerbitati.* Nomen nostrum supplicio.

6. *Scriptura.* Hoc vectigal ita dicitur, quia, qui in pascuis publicis pascere vellent, nomina sua deferebant et subscribebant apud publicanum, et pro singulis pecoribus certam pecuniam solvebant.

7. *Decumæ.* Decima pars frumenti quam oratores decumanis populi romani dare, aut ære solvere debebant. — *Portorium.* Vectigal quod in portu pro mercibus solvitur. Diserte distinguitur scriptura a decumis et portorio, Manil. 6 : « Quum hostium copiæ non longe absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest ». De tribus his vectigalis generibus fuse in Verrinis orationibus passim disseruimus.

8. *Morti.* Veteres, ut et recentiores, quum quid maxime se aversari significabant, id ut mortem fugere dicebant; inde Achilles apud Homerum, eos qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum haberent, se per-

cumque detur. Mementote igitur, quum audietis psephismata, non audire vos testimonia; audire temeritatem vulgi, audire vocem levissimi cujusque, audire strepitum imperitorum, audire concionem concitatam levissimæ nationis. Itaque perscrutamini penitus naturam rationemque criminum : jam nihil præter spem [9], nihil præter terrorem ac minas reperietis*.

Deesse videntur nonnulla.

IX. In ærario nihil habent civitates [1], nihil in vectigalibus : duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut versura [2], aut tributo. Nec tabulæ creditoris proferuntur [3], nec tributi confectio ulla recitatur. Quam vero facile falsas rationes inferre, et in tabulas, quodcumque commodum [4] est, referre soleant, ex Cn. Pompeii literis ad Hypsæum [5], et Hypsæi ad Pompeium missis, quæso, cognoscite. LITERÆ POMPEII, et HYPSÆI. Satisne vobis coarguere his auctoribus [6] dissolutam Græcorum consuetudinem licentiamque impudentem videmur? nisi forte, qui Cn. Pompeium, qui præsentem, qui nullo impellente fallebant, eos, urgente Lælio, in absentem [7], et in L. Flaccum, aut timidos fuisse, aut religiosos putamus. Sed [8] fuerint

inde odisse ac portas Inferorum dicebat.

9. *Præter spem.* Testibus facta promissa. — *Præter terrorem.* Illis injectum.

IX. 1. *Civitates.* Scilicet, græcæ.

2. *Aut versura.* Aut pecuniam fenori sumentes. — *Aut tributo.* Id est, aut sibimet ipsis tributum imponentes.

3. *Proferuntur.* Scilicet, ab accusatore. — *Confectio.* Id est, exactio.

4. *Commodum.* Sibi ipsis.

5. *Hypsæum.* Pompeii quæstorem in Mithridatico bello.

6. *His auctoribus.* Scilicet, Pompeio et Hypsæo.

7. *In absentem.* In virum quem accusabant absentem, scilicet Flaccum.

8. *Sed fuerint.* Sed velim fuerint. — *Literæ.* Id est, tabulæ in quas inferebantur rationes. Postquam visus est Cicero satis ostendisse Græcorum literis credendum non esse, id concedit adversario ut ad sequentia sibi faciat transitum. Auctore Quintiliano,

incorruptæ literæ domi: nunc vero, quam habere auctoritatem, aut quam fidem possunt? Triduo lex ad prætorem deferri, judicum signis obsignari jubet. Tricesimo die[9] vix deferuntur. Ne corrumpi tabulæ facile possint, idcirco lex obsignatas in publico[10] poni voluit: at obsignantur corruptæ. Quid refert igitur, tanto post ad judices deferantur, an omnino non deferantur? Quid? si testium studium[11] cum accusatore sociatum est[12], tamenne isti testes habebuntur?

X. Ubi est igitur illa exspectatio[1], quæ versari in judiciis solet? Nam antea, quum dixerat accusator acriter et vehementer, quumque defensor suppliciter demisseque responderat, tertius ille erat exspectatus[2] locus testium, qui aut sine ullo studio dicebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis. Hoc vero quid est? Una sedent, ex accusatorum subselliis sur-

libro VII: « Ideoque quasdam quæstiones executi donare solemus, et concedere. Neque enim transire ad alias possumus, nisi omissis prioribus. Quod ipsum ita fieri oportet, non ut damnasse eas videamur, vel omisisse, sed quia possumus etiam sine eis vincere ».

9. *Tricesimo die.* Legi Cicero apponit factum; non fit hoc triduo, sed fit post triginta dies. Interim corrumpuntur literæ; ergo perinde est, ac si non sint obsignatæ, quia legi non paruerunt in deferendo.

10. *In publico poni.* Ad magistratum deferri.

11. *Si testium studium.* Id est, si testis est amicus accusatori, vel inimicus reo, ideoque ut accusator reum damnari cupiat. Callistratus XXII, π. de testibus: « Fidem testium non probat, quum ei vel inimici sunt, adversus quem testimonium dicunt, vel amici ei, pro quo testimonium dicunt ».

12. *Soc. est.* Conjunctum; ut mercatores socii sunt in aliqua negotiatione. Intelligendum autem est, indignam rem esse, testes socios fuisse accusatoris. Indignitatis enim vim habet interrogatio.

X. 1. *Ubi est igitur illa exspectatio.* Quid enim dicturi essent testes, audita accusatione et defensione, exspectabatur. Nam si eorum studium cum accusatore sociatum est, scitur quid dicturi sint, non exspectatur.

2. *Tertius ille erat exspectatus.* Testes non semper loco tertio interrogari solitos accepimus. Modo enim ante actionem causæ, modo in ipsa actione, sæpius post causæ actionem. In causa Milonis testes citati sunt secundum legem, quæ jubebat, ut priusquam causa ageretur, per triduum testes audirentur. Vide ad calc. voluminis prim. Excursum de judic.

gunt [3], non dissimulant, non verentur. De subselliis queror? una ex domo prodeunt [4]: si verba titubarint, quo revertantur, non habebunt [5]. An quisquam esse testis potest, quem accusator sine cura interroget, nec metuat, ne sibi aliquid, quod ipse nolit, respondeat? Ubi est igitur illa laus oratoris, quæ vel in accusatore antea, vel in patrono spectari solebat? Bene testem interrogavit; callide accessit; reprehendit; quo voluit, adduxit; convicit, et elinguem reddidit. Quid tu istum roges, Læli, qui, priusquam hoc, TE ROGO, dixeris, plura etiam effundat [6], quam tu ei domi ante præscripseris? Quid ego autem defensor rogem? Nam aut oratio testium refelli solet, aut vita lædi [7]. Qua disputatione orationem refellam ejus, qui dicit, DEDIMUS; nihil amplius? In hominem dicendum est igitur, quum oratio argumentationem non habet. Quid dicam in ignotum? Querendum est ergo et deplorandum, id quod jamdudum facio, de omni accusationis iniquitate: primum de communi genere testium. Dicit [8] enim natio minime in testimoniis dicendis religiosa. Propius accedo. Nego esse ista testimonia, quæ tu ipse psephismata appellas; sed et fremitum egentium [9], et motum quemdam temerarium græculæ

publicis, ubi res ea fusius tractatur.

3. *Ex accusatorum subselliis surgunt.* Auctore Cicerone pro Sex. Roscio, nemo utitur teste eo, qui de accusatoris subsellio surgit.

4. *Una ex domo prodeunt.* Paullus J. C. π. de testibus: « Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit ».

5. *Quo revertantur, non habebunt.* Id est, domum. Nempe sunt egentes, Lælii sumptu vivunt; si igitur quod ad verbum didicerunt, non apprime recitaverint, Lælius nudos et inopes domo sua expellet.

6. Sic Ernest. e cod. Guelferb. Olim, *effundet.* J. V. L.

7. *Vita lædi.* Id est, vita anteacta reprehendi, ut inde cognoscatur, eos ad dicendum testimonium non admittendos.

8. *Dicit.* Testimonium. — *Natio.* Græca.

9. Schutz. sine MSS « ego aut fremitum egentium, aut motum, etc. » J. V. L. — *Fremitum egentium.* Id

concionis. Intrabo etiam magis. Qui gessit[10], non adest; qui numerasse dicitur, non est deductus; privatæ literæ nullæ proferuntur; publicæ retentæ sunt in accusatorum potestate; summa est in testibus[11]. Hi vivunt cum inimicis; adsunt cum adversariis; habitant cum accusatoribus. Utrum hic tandem[12] disceptationem et cognitionem veritatis, an innocentiæ labem aliquam ac ruinam[13] fore putatis? Multa enim sunt ejusmodi, judices, ut, etiamsi in homine ipso, de quo agitur, negligenda sint, tamen in[14] conditione[15] atque in exemplo pertimescenda videantur.

XI. Si quem infimo loco natum, nullo splendore vitæ, nulla commendatione famæ defenderem : tamen civem a civibus communis humanitatis jure ac misericordia deprecarer[1], ne ignotis testibus, ne incitatis, ne accusatoris consessoribus[2], convivis, contubernalibus; ne hominibus, levitate græcis, crudelitate barbaris, civem ac supplicem vestrum dederetis[3]; ne periculosam imitationem exempli reliquis

est, sed dico *psephismata*, id est, decreta illa esse fremitum egentium. — *Intrabo etiam magis.* Interius penetrabo.

10. *Qui gessit.* Id est, qui rem egit. — *Qui numerasse dicitur.* Pecuniam Flacco. — *Non est deductus.* Huc in testimonium. — *Literæ.* Id est, tabulæ in quas rationes referri dicuntur.

11. *Summa est in testibus.* Vis totius causæ est in testibus.

12. *Utrum hic tandem.* Id est, utrum tandem putatis hos testes produci ad cognoscendam veritatem, an ad innocentem Flaccum opprimendum.

13. Vulg. *aut ruinam.* J. V. L.

14. *In homine ipso.* Flacco. — *Negligenda sint.* Nullius sint momenti. — *In conditione.* Quod scilicet magistratuum misera utique conditio futura sit, hoc si exemplo invitati homines malevoli ipsis pericula creare audeant, etiam sine causa idonea. Pro Murena, cap. 28 : « Iniquam legem et miseram conditionem instituet periculis hominum ». Catilin. II, 7 : « Conditionem miseram non modo administrandæ, sed etiam conservandæ reipubl. »

15. Grævius edidit *imitatione*, sequutus auctoritatem Victorii, qui e Juntina sumpserat. J. V. L.

XI. 1. *Civem a civibus... deprecarer.* Id est, civis veniam a civibus peterem.

2. *Ne accusatoris consessoribus.* Ne illis, ut supra dixit, qui cum accusatore in iisdem subselliis sedebant.

3. *Dederetis.* Dedi, et tradi hostibus dicuntur, qui impune ab iis permittun-

in posterum proderetis. Sed, quum L. Flacci res agatur, cujus ex familia qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit[4]; cujus virtute regibus exterminatis, libertas in republica constituta est; quæ usque ad hoc tempus honoribus[5], imperiis, rerum gestarum gloria, continuata permansit; quumque ab hac perenni contestataque virtute majorum, non modo non degenerarit L. Flaccus, sed, id quod maxime florere in generis sui gloria viderat, laudem patriæ[6] in libertatem vindicandæ prætor adamarit: in hoc ego reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam, in quo, etiamsi quid errasset, omnes boni connivendum[7] esse arbitrarentur? Quod quidem ego non modo non postulo, sed contra, judices, vos oro et obtestor, ut totam causam quam maxime intentis oculis, ut aiunt, acerrime contemplemini. Nihil religione testatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum[8]; contraque omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, perjurio reperientur.

XII. Etenim jam universa istorum[1] cognita cupiditate, accedam ad singulas querelas criminationes-

tur vexari et cruciari. Tacit. XVI Ann. « Audiret insontem, neve consulatus sui quondam collegam dederet liberto ».

4. *Consul fuit.* P. Valerius Publicola.

5. *Honoribus, imperiis.* Al. codd. « imperii, vel imperio ». Cic. ad Atticum, XV : « vides tyranni satellites in imperiis ». Suetonius in Jul. cap. 54 : « abstinentiam neque in imperiis, neque in magistratibus præstitit ».

6. *Laudem patriæ.* Adamarit, ut atavi ejus, laudem patriæ vindicandæ in libertatem; quod in Catilinæ conjuratione probavit, quum ad pontem Milvium Allobroges cum comitatu deprehendit.

7. *Connivendum.* Proprie de oculis, qui se ad somnum componunt. Per translationem de iis, qui mala quædam quæ exagitare aut punire debebant, quasi videre se dissimulant. Sic Philip. I, 7 : « Quibusdam in rebus ipse coniveo ».

8. *Nihil dolore expressum.* Nullus est testis qui se a Flacco spoliatum dicat.

XII. 1. *Universa istorum.* Quum jam, quam cupide agant testes ii qui nobis opponuntur, universim cognoscatis.

que Græcorum. Classis nomine pecuniam civitatibus imperatam queruntur : quod nos factum, judices, confitemur. Sed, si hoc crimen est[2], aut in eo est, quod non licuerit imperare; aut in eo, quod non opus fuerit navibus; aut in eo, quod nulla, hoc prætore, classis navigarit.

Licuisse ut intelligas, cognosce[3], quid, me consule, senatus decreverit, quum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit[4]. SENATUSCONSULTUM. Proximum est ergo, ut, opus fuerit classe, necne, quæramus. Utrum igitur hoc Græci statuent, aut ullæ exteræ nationes, an vestri[5] prætores, vestri duces, vestri imperatores? Equidem existimo, in ejusmodi regione atque provincia, quæ mari cincta, portibus distincta[6], insulis circumdata esset, non solum præsidii, sed etiam ornandi imperii causa, navigandum fuisse. Hæc enim ratio ac magnitudo animorum in majoribus nostris fuit, ut, quum in privatis rebus[7], suisque sumptibus, minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quæritur enim in re domestica continentiæ laus[8]; in publica, dignitatis. Quod si etiam præ-

2. *Si hoc crimen est.* Criminationem hanc in capita tria distribuit, quæ singula est exagitaturus.

3. *Cognosce.* Ut id licuisse intelligas, Læli, en tibi recitabo decretum, quod me consule, senatus jussit.

4. *Decesserit.* Quum omnino translatitium superioribus, et præcedentium annorum decretis fuerit simile. — Lambinus habet « discesserit », quod probat Garatonius; quamquam omnino sensu eodem « decedere » usurpari fateatur.

5. *Vestri.* Codices nonnulli « nostri », quod omnino restituendum censet Garatonius, quod non apud populum ista dicantur; quasi non judices in partem populi venirent.

6. *Portibus distincta.* Variant MSS, nunc « portibus », nunc « portubus ».

7. *In privatibus rebus.* De domestica hac Romanorum veterum simplicitate, publica vero magnificentia, vide quæ notantur ad orat. pro Mur. cap. 36.

8. *Continentiæ.* Simplicitatis ac modestiæ.

sidii causa classem habuit, quis erit tam iniquus, qui reprehendat? Nulli erant prædones. Quid? nullos fore, quis præstare[9] poterat? Minuis, inquit, gloriam Pompeii. Immo tu auges molestiam[10]. Ille enim classes prædonum, urbes, portus, receptacula sustulit; pacem maritimam summa virtute atque incredibili celeritate confecit: illud vero neque suscepit, neque suscipere debuit, ut, si qua uspiam navicula prædonum apparuisset, accusandus videretur. Itaque ipse in Asia, quum omnia jam bella terra marique confecisset, classem tamen iisdem istis civitatibus imperavit. Quod si tum statuit opus esse, quum ipsius præsentis nomine[11] tuta omnia et pacata esse poterant; quid, quum ille decessisset, Flacco existimatis statuendum et faciendum fuisse?

XIII. Quid nos hic[1]? nonne ipso Pompeio auctore, Silano et Murena consulibus, decrevimus, ut classis in Italia navigaret? nonne eo ipso tempore, quum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum et inferum sestertium ter et quadragies[2] erogabamus[3]? Quid postero[4] anno? nonne M'. Curio et P. Sextilio quæstoribus, pecunia in classem est erogata? Quid? hoc omni tempore equites in ora maritima non fuerunt? Illa est enim gloria divina Pompeii: primum prædones eos, qui tum,

9. *Præstare*. Quis spondere poterat nullos futuros?

10. *Auges molestiam*. Vana Pompeio negotia facessis, et eum inani molestia oneras.

11. *Ipsius præsentis nomine*. Quum satis esse præsentia ejus ac nomen viderentur, ut tuta omnia essent.

XIII. 1. *Quid nos hic?* Subaud. fecimus.

2. *Sestertium ter et quadragies*. Subaudi centum millia. Id est, 4,300,000 sestert. Ære gallico, 881,500 fr.

3. *Erogabamus*. Vulg. « rogabamus ». J. V. L.

4. *Quid postero anno?* Sic vett. edd. probante Garatonio. Recentiores omnes, *postremo*, quod male referunt ad præturam L. Flacci. J. V. L.

quum illi bellum maritimum gerendum datum est, toto mari dispersi vagabantur, redactos esse omnes in potestatem; deinde Syriam esse nostram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemæum [5] regem nihil audere; præterea Cretam Metelli virtute esse nostram; nihil esse [6], unde proficiscantur; nihil, quo revertantur; omnes sinus, promontoria, litora, insulas, urbes maritimas, claustris imperii nostri contineri.

Quod si, Flacco prætore, nemo in mari prædo fuisset, tamen hujus diligentia reprehendenda non esset. Idcirco enim, quod hic classem habuisset, existimarem non fuisse [7]. Quid? si L. Oppii, L. Agrii, C. Cestii, equitum romanorum, hujus etiam clarissimi viri, Cn. Domitii [8], qui in Asia tum legatus fuit, testimonio doceo, eo ipso tempore, quo tu ipse negas classem habendam fuisse, complures a prædonibus esse captos: tamen Flacci consilium in remigibus imperandis reprehendetur? Quid, si etiam occisus est a piratis Adramyttenus [9], homo nobilis, cujus est fere nobis omnibus nomen auditum, Atinas pugil, olympionices? hoc est apud Græcos (quoniam de eorum gravitate dicimus) prope majus et gloriosius, quam Romæ triumphasse. At neminem cepisti [10]. Quam multi oræ maritimæ clarissimi viri præfuerunt, qui quum prædonem nullum cepissent, mare tamen tutum præstiterunt? Casus est enim in capiendo, locus, eventus, occasio. Defendendi facilis est cautio, non solum

5. *Ptolemæum regem*. Qui anno sequenti, Pisone et Gabinio coss. lege Clodia regno privatus est Cypri, quod suo natu minori filio dabant reges Ægypti. Vid. Strabon. l. XIV.

6. *Nihil esse*. Piratis.

7. *Existimarem non fuisse*. Subaud. piratas.

8. *Cn. Domitii*. Calvini, qui postea consul fuit cum Messalla.

9. *Adramyttenus*. Adramyttii incolæ urbis maritimæ Mysiæ, non procul a Caico. Colonia erat Atheniensis, quæ *Adramitti* etiam nunc nominatur.

10. *At neminem cepisti*. Ad Flaccum.

latibulis occultorum locorum, sed etiam tempestatum moderatione et conversione.

XIV. Reliquum est, ut quæratur, utrum ista classis, cursu et remis, an sumptu tantum et literis[1] navigarit. Num id igitur negari potest, cujus rei cuncta testis est Asia, bipartito classem distributam fuisse, ut una pars supra Ephesum, altera infra Ephesum navigaret? Hac classe M. Crassus, vir amplissimus, ab Æno[2] in Asiam, his navibus Flaccus[3] ex Asia in Macedoniam navigavit. In quo igitur prætoris est diligentia requirenda? In numero navium, et in descriptione æquabili sumptus? Dimidium ejus, quo Pompeius erat usus, imperavit. Num potuit parcius? Descripsit autem pecuniam ad Pompeii rationem, quæ fuit accommodata L. Sullæ descriptioni : qui[4] quum in omnes Asiæ civitates pro portione pecunias descripsisset, illam rationem in imperando sumptu et Pompeius, et Flaccus sequutus est; neque est adhuc tamen ea summa completa. Non refert vero[5]. Quid lucretur? quum enim genus imperatæ pecuniæ suscipit; id, quod tu crimen esse vis, confitetur. Qui igitur probari potest, in ea pecunia non referenda, crimen sibi ipsum facere, in qua crimen esset nul-

XIV. 1. *An sumptu tantum et literis navigarit.* An tantum expensa et Flacco soluta sit pecunia, nulla classe ædificata.

2. *Ab Æno.* Urbe Thraciæ.

3. *His navibus Flaccus.* Navigavit Flaccus his navibus, quum ex Asia rediret, verno ejus anni tempore; quo itidem per Macedoniam iter in Asiam fecit Q. Cicero, cujus literæ ex itinere datæ Thessalonicæ memorantur I ad Attic. 17. Utrum hic statim classem dimiserit, non disputo; sed eam certe video aliqua ejus anni parte navigasse.

4. *Quum in omnes Asiæ civitates*, etc. Al. « quum omnes Asiæ civitates pro portione in provincias descripsisset ». J. V. L.

5. *Non refert vero.* Id est, non refert hanc pecuniam in tabulas accepti et expensi. — *Quid lucretur?* Etsi non referat, quidnam lucri faciet? quum enim *genus* (MSS regii *onus*) imperatæ pecuniæ suscipit; fatetur se fecisse, quod tu tanquam crimen ei objicis.

lum, si referret[6]? At enim negas fratrem meum, qui L. Flacco successerit, pecuniam ullam in remiges imperasse. Equidem Quinti fratris mei laude delector; sed aliis magis[7], gravioribus atque majoribus. Aliud quiddam statuit, aliud vidit. Existimavit, quocumque tempore auditum quid esset de prædonibus, quam vellet subito, se classem comparaturum. Denique hoc primus frater meus in Asia fecit, ut hoc sumptu remigum civitates levaret. Crimen autem tum videri solet[8], quum aliquis sumptus instituit eos, qui antea non erant instituti, non quum successor aliquid immutat de institutis priorum. Flaccus, quid alii postea facturi essent, scire non poterat; quid fecissent[9], videbat.

XV. Sed, quoniam de communi totius Asiæ[1] crimine dictum est, aggrediar jam ad singulas civitates: ex quibus sit sane nobis prima civitas Acmonensis[2]. Citat præco voce maxima legatos Acmonenses. Procedit unus Asclepiades: prodeant[3]. Etiamne præconem mentiri coegisti[4]? Est enim, credo, is vir iste,

6. *Crimen esset nullum, si referret.* In boc loco bæserunt multi. Classem ædificavit, nempe navigavit; nec pluris Flacci quam Pompeii naves constiterunt. Lælius Flacco crimini vertit classis ædificationem quasi inutilis, et boc utitur argumento; Flaccus rite sciebat classe non opus esse; ideo noluit eam in suas tabulas referre, ne accusaretur; ergo crimen sibi ipse fecit. Respondet orator; « qui igitur probari potest, etc. »

7. *Sed aliis magis.* Scilicet, sed delector magis in aliis rebus gravioribus, etc.

8. *Crimen autem tum videri solet.* Culpæ proxima esset, qui nulla de causa sumptus instituisset, qui antea non instituti erant; sed non potest accusari, si quid successori ejus de institutis priorum immutare libuerit.

9. *Quid fecissent.* Subaud. antea.

XV. 1. Al. « totius communis Asiæ crimine ». J. V. L.

2. *Acmonensis.* In Phrygia. Sic scribendum; Ἀκμονέων enim est in veteribus numismatibus.

3. Alii ponunt *prodeant* post *Acmonenses;* alii non movent loco, sed addere jubent *ceteri*. Forte nihil mutandum. J. V. L.

4. *Mentiri coegisti?* Ad Lælium. Legatos enim citavit, quum unum duntaxat citare debuerit.

ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat[5]; damnatus turpissimis judiciis[6] domi, notatus literis publicis; cujus de probris, adulteriis ac stupris exstant Acmonensium literæ : quas ego non solum propter longitudinem, sed etiam propter turpissimam obscœnitatem verborum, prætereundas puto. Dixit publice data drachmarum CCVI millia[7]. Dixit tantum; nihil ostendit, nihil protulit : sed adjunxit id, quod certe, quoniam erat domesticum[8], docere debuit, se privatim drachmarum CCVI millia[9] dedisse. Quantum sibi ablatum homo impudentissimus dicit, tantum numquam est ausus, ut haberet, optare. Ab A.[10] Sextilio dicit se dedisse, et a suis fratribus. Potuit dare Sextilius : nam fratres quidem consortes sunt mendicitatis. Audiamus igitur Sextilium : fratres denique ipsi prodeant; quam volent, impudenter mentiantur; et, quod numquam habuerint, dedisse se dicant. Tamen aliquid fortasse coram producti dicent, in quo reprehendantur. Non deduxi, inquit, Sextilium. Cedo ta-

5. *Civitatis nomen.... sustineat.* Civitatem suam repræsentet.

6. *Damnatus turpissimis judiciis.* Lege Julia de vi cavetur, ne in reum dicere testimonium liceat ei, qui testimonio publico damnatus sit, ut ait Callistratus J. C. XXII, D. de testibus, qui idem negat ad fidem testimonii admittendos homines propter notam vitæ suæ et infamiam. — *Literis.* Id est, tabulis.

7. *Drachmarum CCVI millia.* Ære gallico circiter 42,230 fr.

8. *Erat domesticum.* Id est, ad illum ipsum spectabat.

9. *Drachmarum CCVI millia.* Quis credat Asclepiadem tantum solvisse pro se uno, quantum ejus civitas.

10. *Ab A. Sextilio. Ab* non significat *per* : 1° enim dixit supra se privatim dedisse; 2° A. Sextilium hominem divitem, non decebat opera fungi Asclepiadis in ferenda pecunia; 3° illi non opus fuisset Sextilii munere, si fratres ejus portavissent; 4° poterat ipse ferre; 5° si quidem esset miseria deperditus, nihil habebat quod daret ferendum. *Ab* non potest igitur hoc in loco aliud significare quam *pro.* Dedit prætori vim quamdam drachmarum nomine Sextilii et fratrum, id est, quas drachmas a Sextilio et suis fratribus receperat prætori solvendas pro eorum ratione. Quod sequitur, *potuit dare Sextilius*, opinionem confirmat nostram.

bulas[11]. Non deportavi. Fratres saltem exhibe. Non denuntiavi[12]. Quod ergo unus Asclepiades, fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus, impudentia atque audacia fretus, sine tabulis, sine auctore jecerit, id nos, quasi crimen, aut testimonium pertimescamus? Idem laudationem, quam nos ab Acmonensibus Flacco datam proferebamus, falsam esse dicebat: cujus quidem laudationis jactura[13] exoptanda nobis fuit. Nam, ut signum publicum inspexit præclarus iste auctor[14] suæ civitatis, solere suos cives ceterosque Græcos, ex tempore quod opus sit[15], obsignare dixit. Tu vero tibi habeto istam laudationem: nec enim Acmonensium testimonio Flacci vita et dignitas nititur. Das enim mihi, quod hæc causa maxime postulat, nullam gravitatem, nullam constantiam, nullum firmum in græcis hominibus consilium, nullam denique esse testimonii fidem. Nisi vero hactenus ista formula testimonii atque orationis tuæ describi ac distingui potest, ut Flacco absenti aliquid civitates tribuisse[16] dicantur; Lælio præsenti, per se agenti, vi legis, jure accusationis, opibus præterea suis terrenti ac minanti, nihil temporis causa scripsisse, aut obsignasse videantur.

11. *Tabulas.* Subaudiendum profer, ostende.

12. *Non denuntiavi.* Subaud. illis testimonium. Id est, non jussi sunt in judicio adesse ut testimonium dicerent. — *Jecerit.* Recte cum Victorio Ernest. scripsit *jecerit.* Olim erat *legerit*, quod ineptum est.

13. *Laudationis jactura.* Id artificiosum est, ut quod ab adversario dictum sit, id ad utilitatem suam orator convertat.

14. *Præclarus iste auctor.* Ironice. Lædebat enim publicam existimationem, dicens cives suos pro ratione temporis quod opus esset obsignare. Nam *auctor* interdum est, qui pro alio gerit, atque agit, ut *pupilli auctor*, id est, tutor.

15. Alii, « ex tempore, quod opus sit ». J. V. L.

16. *Aliquid civitates tribuisse.* Ut Flaccum absentem sua laude ornarent.

XVI. Equidem in minimis rebus sæpe res magnas vidi, judices, deprehendi ac teneri, ut in hoc Asclepiade. Hæc, quæ est [1] a nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica [2]; quæ fere est omnibus nota nobis: qua utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis literis, quas quotidie videmus mitti a publicanis [3], sæpe unicuique nostrum [4]. Neque enim testis ipse signo inspecto falsum nos proferre dixit, sed levitatem totius Asiæ protulit; de qua nos et libenter, et facile concedimus. Nostra igitur laudatio, quam ille temporis causa nobis datam dicit, datam quidem confitetur, consignata creta est; in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum, ceram esse vidimus [5]. Hic ego, judices, si vos Acmonensium decretis, si ceterorum Phrygum literis permoveri putarem, vociferarer, et, quantum [6] maxime possem, contenderem: testarer publicanos, excitarem negociatores, vestram etiam conscientiam [7] implorarem; cera deprehensa, confiderem totius testimonii fictam audaciam manifesto comprehensam atque oppressam teneri. Nunc vero non insultabo vehemen-

XVI. 1. Abest *est*. J. V. L.

2. *Creta illa Asiatica*. Quæ et Cimolia dicitur. Plin. XXXV, 16, 17: « ab insula maris Cretici ». Aqua molliri potest, et adeo tenax, ut ad literas obsignandas ea uterentur.

3. *Publicanis*. Ita vocabant equites apud Romanos publicorum vectigalium redemptores.

4. *Mitti...unicuique nostrum*. Publicani devictorum populorum vectigalium pecuniam in antecessu reip. numerabant, ideoque a civibus suis fœnore nummos repræsentandos mutuabantur; inde ultro citroque literarum usus.

5. *Ceram esse vidimus*. Quod signum falsitatis est; nempe significat has literas in domo Lælii scriptas, et cera obsignatas fuisse, quia cretam Asiaticam Lælius domi non habebat. *Vidimus*. Cum Lambino et Grævio recentiores, quibus adstipulatur cod. Barb. ceteri *videmus*.

6. Lallem. e codd. Parisiensibus, « quam maxime ». Sic jam Grævius. Hic quoque conjecerat Guliel. « possem contendere », Gruter. et Ernest. probantibus. J. V. L.

7. *Conscientiam*. Nempe non vos fugit creta, et non cera Asiæ magistratus uti.

tius, nec volitabo[8] in hoc insolentius, neque in istum nugatorem[9], tamquam in aliquem testem, invehar, neque in toto Acmonensium testimonio, sive hic[10] confictum est, ut apparet, sive missum domo[11] est, ut dicitur, commovebor. Etenim, quibus ego istam laudationem[12] remittam, quoniam sunt (ut Asclepiades dicit) leves, horum testimonium[13] non pertimescam.

XVII. Venio nunc ad Dorylensium[1] testimonium: qui producti, tabulas se publicas ad speluncas perdidisse dixerunt. O pastores, nescio quos, cupidos literarum! siquidem nihil istis, præter literas, abstulerunt. Sed aliud esse causæ suspicamur, ne forte isti parum versuti[2] esse videantur. Pœna est, ut opinor, Dorylai[3] gravior, quam apud alios, falsarum et corruptarum literarum. Si veras[4] protulissent, criminis nihil erat[5]; si falsas, erat pœna. Bellissimum putarunt, dicere amissas. Quiescant igitur, et me hoc in lucro ponere[6], atque aliud agere patiantur. Non sinunt: supplet enim[7] ille nescio quis, et privatim

8. *Volitabo*. I. e. jactitabo.

9. *Nugatorem*. Exilem, scilicet Asclepiadem.

10. *Hic*. Scil. Romæ.

11. *Domo*. Asia.

12. *Istam laudationem*. Id est, præeooium qood nobis præbuerunt.

13. *Testimonium*. Aecusationem sive fictam, sive veram.

XVII. 1. *Dorylensium*. Græeis dieuntur Δωρυλεῖς. Hine legitur Δορυλέων Νεωκόρων in M. Aurelii nummo, quem laudat Cl. Harduinos io oummis illostratis.

2. *Parum versuti*. Nempe mera est fictio qua veritatem occultant..

3. *Dorylai*. Sie in utroque Franeil, in prima Cratandri, Hervag. edd. Sie Lallem. Beck. ete. Dorylaum enim, aoetore Plinio, Strabone, aliisque, dicebator Phrygiæ salutaris oppidum, cujos incolæ Dorylenses et Dorylæi. Frustra receotiores correxerunt « Dorylensium ». — *Quam apud alios*. Populos.

4. *Veras*. Nollo modo eorruptas.

5. *Criminis nihil erat*. Flaecum oon potnisseot aecusare.

6. *Hoc in lucro ponere*. Ad causæ nostræ utilitatem convertere.

7. *Supplet enim*. Loeo tabularum poblicarum. — *Illc nescio quis*. Cod. Vat. a Niebuhrio collatus, « iste oescio qui ». *Qui* pro *quis* a Grævio

dicit se dedisse[8]. Hoc vero ferri nullo modo potest. Qui de tabulis publicis recitat iis, quæ in accusatoris potestate fuerunt, non debet habere auctoritatem; sed tamen judicium fieri videtur[9], quum tabulæ illæ ipsæ, cujusquemodi[10] sunt, proferuntur. Quum vero is, quem nemo vestrum vidit umquam; nemo, qui mortalis esset, audivit; tantum dicit, DEDI: dubitabitis[11], judices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis? Atque huic eidem nuper tres equites romani[12] honesti et graves, quum in causa liberali eum, qui asserebatur, cognatum suum esse diceret, non crediderunt. Qui hoc evenit[13], ut, qui locuples testis[14] doloris et sanguinis sui non fuerit, idem sit gravis auctor injuriæ publicæ? Atque hic Dorylensis nuper quum efferretur magna frequentia, consessuque[15] vestro, mortis illius invidiam in L. Flaccum Lælius conferebat. Facis injuste, Læli, si putas periculo nostro vivere[16] tuos contubernales: præsertim quod[17] tua negligentia factum arbitre-

profertur, et hæc passim observatur forma. Vide in Verr. II, 49, et cap. 48 pro Cluentio.

8. *Privatim se dedisse.* Deficientibus iis qui se dedisse dicerent, se dicit privatum dedisse, id est, pecuniam Flacco numeravisse.

9. *Judicium fieri videtur.* Species in eo quædam judicii est, id est, si quis recitat tabulas contra reum, quæ fuerint in accusatoris potestate, eæ quidem tabulæ nullam fidem habere debent, sed tamen res aliquam formam atque imaginem judicii habet, quia tabulæ cujuscumque modi sint, recitantur, ut in judiciis solet; nunc vero quum tantummodo asserat homo vilissimus, sese ipsum dedisse, nec ullum proferat argumentum, hæc vana duntaxat verba jactantur.

10. Schütz. ut passim, « cuicuimodi ». J. V. L.

11. Sic omnino legendum e codice Vat. pro *dubitatis.* J. V. L.

12. *Tres equites romani.* Recuperatores.

13. Gulielmius tentabat *convenit.* Multi probant, collat. Philipp. VII, 2; de Finib. II, 10, etc. J. V. L.

14. *Locuples testis.* Fide dignus.

15. Quindecim codd. Lagomarsiniani, *consensuque.* Male.

16. *Periculo nostro vivere.* Non significat, ut intelligit Sylvius, eos in periculum Flacci vivere, ut eum suis testimoniis opprimant; sed sensus hic est, nisi vivant, accusari Flaccum posse, ut mortis eorum auctorem.

17. *Præsertim quod.* Frustra legendum censet Faernus, *præsertim quum.*

mur. Homini enim Phrygi, qui arborem fici numquam vidisset, fiscinam ficorum[18] objecisti: cujus mors te ex aliqua parte relevavit. Edacem enim hospitem amisisti. Flacco vero quid profuit, qui valuit tamdiu, dum huc prodiret? mortuus est, aculeo jam emisso[19], ac dicto testimonio?

At[20] istud columen accusationis[21] tuæ, Mithridates, posteaquam biduum retentus testis a nobis effudit, quæ voluit, omnia, reprehensus, convictus, fractusque discessit, ambulat cum lorica: metuit homo doctus et sapiens[22], ne L. Flaccus nunc scelere se alliget[23], quum jam testem illum effugere[24] non possit: ut, qui ante dictum testimonium sibi temperarit, quum tamen aliquid assequi posset[25], is nunc id agat, ut ad falsum avaritiæ testimonium, verum etiam maleficii crimen adjungat. Sed[26] quoniam de hoc teste, totoque Mithridatico[27] crimine, disseruit et subtiliter et copiose Q. Hortensius: nos, ut instituimus, ad reliqua pergamus.

XVIII. Caput est[1] omnium Græcorum concitandorum, qui cum accusatoribus sedet, Heraclides ille

18. *Fiscinam ficorum. Fiscina* et *fiscella* vimineum opus, quod etiam canistrum, calathus, corbis vocatur.

19. *Emisso.* Quum in Flaccum testimonium dixisset. Alii, *demisso*. Est autem fere solemne hujus rei verbum *emittere*, quo usus est etiam Tullius pro Cœl. 12: « Quos aculeos habeat severitas, gravitasque vestra, quum eos accusator erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem et in reum ».

20. Alii, *ut*.

21. Sic Vatic. non, ut vulg. *actionis*. J. V. L.

22. *Doctus et sapiens*. Ironice.

23. *Scelere se alliget.* Scilicet nece Mithridatis ipsius.

24. *Quum jam testem effugere non possit.* Quia testimonium jam in Flaccum dixit.

25. *Aliquid assequi posset.* Ex venali et despicabili Mithridatis animo.

26. Addimus *quoniam* e Vaticano. J. V. L.

27. Aberat *crimine*, quod Lambin. e codd. primus dedit. Addimus et nos e Vaticano. J. V. L.

XXVIII. 1. *Caput est.* Princeps, auctor, ut apud Terent. « te esse huic rei caput ».

Temnites[2], homo ineptus et loquax, sed (ut sibi videtur) ita doctus, ut etiam magistrum illorum[3] se esse dicat; et qui ita sit ambitiosus, ut omnes vos, nosque quotidie persalutet[4]. Temni usque ad illam ætatem[5] in senatum venire non potuit; et, qui se artem dicendi traditurum etiam ceteris profiteatur, ipse omnibus turpissimis judiciis convictus est[6]. Pari felicitate[7] legatus una[8] venit Nicomedes, qui nec in senatum ulla conditione pervenire potuit, et furti, et pro socio damnatus est[9]. Nam princeps legationis Lysanias, adeptus est ordinem senatorium: sed quum rempublicam nimium amplecteretur[10], peculatus[11] damnatus, et bona, et senatorium nomen amisit. Hi tres[12] etiam ærarii nostri tabulas falsas esse voluerunt. Nam servos novem se professi sunt habere,

2. *Temnites*. Temnos fuit in Æolide ad ostium Hermi. Vide de hac urbe et multis Temnitarum nummis Cl. Harduinum in nummis antiquis populorum et urbium illustratis.

3. *Magistrum illorum*. Vulgo *aliorum*. Sic Francii editio Mediol. Vict. Manut.

4. *Persalutet*. Vel ut multos amicos habere videatur, vel ut gratiam nostram aucupetur.

5. *Usque ad illam ætatem*. Qua provectus est, senator fieri non potuit.

6. *Convictus est*. Cod. Vatic. Faern. Lamb. *victus est*. Ita enim hoc dicitur de rhetore, magistroque dicendi, sicut de eo qui artem armorum traderet, dici commode posset, « qui pugnare alios docet, ipse in pugna fœde victus est ». Verum vulgata magis placet, quum solemne sit verbum, et convictus sit scelerum quibus in judiciis illis erat postulatus.

7. *Pari felicitate*. Ironice.

8. Ex eodem. Vulg. « una legatus », et post, « neque ». J. V. L.

9. *Pro socio damnatus est*. Quia socium suum fefellerat. Cicero pro Sext. Roscio, de violata societate a T. Roscio: « Recte, inquit, majores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere ». Plura in eamdem sententiam in oratione pro Quintio disputantur, cap. 3.

10. *Sed quum rempublicam nimium amplecteretur*. Ironice. Id est, bona reipublicæ nimium appeteret, illam spoliaret.

11. *Peculatus*. Furtum pecuniæ publicæ, aut sacræ.

12. *Hi tres*. Legati Temnitarum Heraclides, Nicomedes et Lysanias. — *Tabulas falsas*. Id est, tabulas falsa complecti, nempe apud scribas ærarii professi sunt, se Romam ad dicendum testimonium cum servulis novem venisse, quo ipsis major pecunia pro viatico et itinere numeraretur.

quum omnino sine comite venissent. Decreto scribendo primum video affuisse Lysaniam[13] : cujus fratris bona, quod is populo non solvebat, prætore Flacco, publice venierunt. Præterea Philippus est, Lysaniæ gener, et Hermobius, cujus frater Poles item pecuniæ publicæ est condemnatus.

XIX. Dicunt se Flacco, et iis, qui simul essent, drachmarum XV millia[1] dedisse. Cum civitate mihi res est acerrima, et conficientissima[2] literarum : in qua nummus commoveri[3] nullus potest sine quinque prætoribus, tribus quæstoribus, quatuor mensariis[4], qui apud illos a populo creantur. Ex hoc tanto numero deductus est nemo[5] : et, quum illam pecuniam nominatim Flacco datam referant; majorem etiam aliam[6] quum huic iidem darent, in ædem sacram reficiendam se perscripsisse dicunt : quod minime convenit; nam aut omnia occulte referenda fuerunt, aut aperte omnia[7]. Quum perscribunt nominatim Flacco, nihil timent[8], nihil verentur. Quum operi publico referunt, iidem homines subito eumdem, quem con-

13. *Affuisse Lysaniam.* Lysaniam se primum testem in Flaccum præstitisse, et privatas inimicitias ulcisci voluisse; inde sequitur inimico testi non esse credendum.

XIX. 1. *XV millia dedisse.* Circiter 12,300 fr.

2. Glossæ suspecta verba. Lambin. Græv. Lallem. e codd. S. Dionys. et Franc. « conficiendarum literarum diligentissima ». Vaticanum sequimur. J. V. L.

3. *In qua nummus commoveri.* Sic et in oratione pro Fonteio : « nummus in Gallia nullus sine civium rom. tabulis commovetur ». Veteres editi servant *moveri*, pro auferri.

4. *Mensariis.* A mensa, quam habebant propositam in publico, ubi tractabantur numerationes pecuniæ.

5. *Deductus est nemo.* Romam, ut testimonium diceret.

6. Ernest. *aliquam.*

7. *Occulte referenda... aut aperte omnia.* In tabulas retulerant rite et cum formula usitata pecuniam quam Flacco datam dicebant; illud scripturæ genus vocat Cicero « aperte referre ». Aliam majorem pecuniæ summam ut Flacco solutam, sine ulla formula inferius inscripserant; referendi modum illum vocat Cicero, « occulte referre ».

8. *Nihil timent, nihil verentur.* Quia se dedisse audacter ipsi contendent.

tempserant, pertimescunt[9]. Si prætor dedit, ut est scriptum, a quæstore numeravit; quæstor a mensa publica; mensa aut ex vectigali, aut ex tributo. Numquam erit istud simile criminis, nisi hanc[10] mihi totam rationem omni et personarum genere, et literarum explicaris. Vel, quod est[11] in eodem decreto scriptum, homines clarissimos civitatis, amplissimis usos honoribus, hoc prætore circumventos: cur hi neque in judicio adsunt, neque in decreto nominantur? Non enim credo significari isto loco illum, qui se erigit, Heraclidem. Utrum enim est in clarissimis civibus is, quem judicatum hic duxit[12] Hermippus? qui hanc ipsam legationem, quam habet, non accepit a suis civibus[13], sed usque Tmolo petivit[14]; cui nullus honos in sua civitate habitus est umquam: res autem ea, quæ tenuissimis committebatur, huic[15] una in vita commissa sola est. Custos, T. Aufidio prætore, frumento publico est positus: pro quo quum a P. Varino[16] prætore pecuniam accepisset, celavit suos ci-

9. *Pertimescunt.* Ne demum aperiatur fallacia, qua magistratuum suorum nomen et auctoritatem in discrimen adduxerant.

10. Addimus e cod. Vat. J. V. L.

11. *Vel, quod est.* Modus loquendi in augenda re usurpatus; est autem hoc alterum argumentum contra decretum.

12. *Judicatum hic duxit.* Id est, pecuniæ debitæ condemnatum; qui quum judicatum non solveret Hermippo addictus est, et ab eo ductus, ut in ejus potestate esset; id enim jus erat creditoria in debitorem, qui judicatum non solveret.

13. *A suis civibus.* A Temni incolis, apud quos turpissimis judiciis convictus est.

14. *Tmolo petivit.* Quum a suis civibus legationem non acciperet eam, usque in Tmolum quæsivit. Tmolus, mons Phrygiæ magnæ, in finibus Lydiæ, unde Pactolus oritur.

15. Sic Vatican. et unus e regiis. Vulg. *uni.* J. V. L.

16. *P. Varino.* Sigonius *Varinio*, ad Liv. Epit. XCV. Ille probabiliter P. Varinius Glaber, qui anno 680 prætor adversus Spartacum missus est, annoque sequenti potuit sane Asiam pro prætore solita ex sortitione obtinere. *Varinius* legitur in membranis, ex quibus fragmenta quædam edidit Janus Douza, quæ Sallustii putantur, et cum Sallustio eduntur; in Annalibus quoque Pigh. 671 reperias. Bimardus, qui Muratori Sallu-

ves, ultroque iis sumptum intulit[17]. Quod posteaquam Temni, literis a P. Varino missis, cognitum atque patefactum est; quumque eadem de re Cn. Lentulus, qui censor fuit, Temnitarum patronus, literas misisset: Heraclidem istum Temni postea nemo vidit. Atque, ut ejus impudentiam perspicere possitis, causam ipsam, quæ levissimi hominis animum in Flaccum incitavit, quæso, cognoscite.

XX. Fundum Cymæum[1] Romæ mercatus est de pupillo Meculonio[2]. Quum verbis se locupletem faceret; haberet nihil præter illam impudentiam, quam videtis: pecuniam sumpsit mutuam a Sext.[3] Stola, judice hoc nostro, primario viro, qui et rem agnoscit, neque hominem ignorat: qui tamen credidit P. Fulvii Veratii[4], lectissimi hominis, fide[5]. Ei quum solveret, sumpsit a C. et M. Fufiis[6], equitibus romanis, primariis viris. Hic hercule, cornici oculum[7], ut dicitur: nam hunc Hermippum, hominem eruditum, civem suum, cui debebat esse notissimus, percussit[8].

stii fragmenta misit anno 1728, hunc Tullii locum ex iisdem censuit emendandum. Nititur nunc lectio hæc præclarissimo Vaticanæ bibliothecæ codice a V. C. Niebuhrio collato, qui bis hoc in capite habet *Varinio*. De prætore hoc quædam dabit Sallustii fragmentum 325.

17. *Iis sumptum intulit.* Non solum pecuniam pro frumento acceptam cives suos celavit, sed et sumptum a se factum in rationes contulit.

XX. 1. *Cymæum.* In agro Cymæo, qui est in Æolide, cujus urbs est Cyme.

2. *De pupillo Meculonio.* F. Ursin. censet loco « de pupillo Meculonio » fortasse legendum « de P. Meculonio ». Pantagathus « M. Aculeone » corrigebat. Nihil tamen mutant MSS, nisi quod sept. et oct. Pall. « pupillo Metulonio ».

3. *A Sext. Stola.* In primis editionibus *Schola*.

4. Cod. Vat. *Neratii.*

5. *Fide.* I. e. sponsione. Alii, *fidei.*

6. *Fufiis.* Camer. censet *Fufios* et *Furios* eosdem esse, ut Papisii et Papirii.

7. *Cornici oculum.* Sub. confixit. Qui callidum hominem fallebat, cornici oculum confixisse dicebatur. Pro Murena, cap. 11: « Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixit »; nempe jureconsultos fastis publice propositis fefellit.

8. *Percussit.* Id est, fefellit, damno affecit. Al. *perculit.*

Ejus enim fide sumpsit a Fufiis. Securus Hermippus Temnum proficiscitur, quum iste sese pecuniam, quam hujus fide sumpserat, a discipulis suis diceret Fufiis persoluturum. Habebat enim rhetor iste adolescentes quosdam locupletes, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat [ubi nihil possent discere, nisi ignorantiam literarum [9]]. Neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet [10]. Itaque, quum Roma clam esset profectus, multosque minutis mutuationibus fraudavisset, in Asiam venit, Hermippoque percontanti de nomine Fufiano [11], respondit, se omnem pecuniam Fufiis persolvisse. Interim, neque ita longo intervallo, libertus a Fufiis cum literis ad Hermippum venit: pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclide petit; ipse tamen Fufiis satisfacit absentibus, et fidem suam liberat. Hunc æstuantem et tergiversantem judicio ille persequitur: a recuperatoribus causa cognoscitur.

Nolite existimare, judices, non unam et eamdem omnibus in locis esse fraudatorum et infitiatorum impudentiam: fecit eadem omnia, quæ nostri debitores solent. Negavit sese omnino versuram ullam [12] fecisse Romæ; Fufiorum se affirmavit numquam omnino nomen audisse; Hermippum vero ipsum, pudentissimum atque optimum virum, veterem amicum atque hospitem meum, splendidissimum atque ornatissimum civitatis suæ, probris omnibus maledictisque vexavit [13]. Sed quum se homo volubilis quadam præci-

9. Absunt verba hæc a cod. Vatic. Idem habet deinde, « Neminem tamen ». J. V. L.

10. *Crederet.* Quisquam; etsi antecessit *neminem*, sed unde non potest elici affirmatio.

11. *De nomine Fufiano.* Id est, de Fufiorum debito, pro quo spoponderat Hermippus, et nomen suum dederat.

12. *Versuram ullam fecisse.* Id est, pecuniam mutuam sub usuris accepisse.

13. Codd. omnes Lagomarsiniani

piti celeritate dicendi illa [14] oratione jactaret, repente, testimoniis Fufiorum nominibusque recitatis, homo audacissimus pertimuit, loquacissimus obmutuit. Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione judicaverunt. Quum judicatum non faceret [15], addictus Hermippo [16], et ab hoc ductus est.

XXI. Habetis et honestatem hominis, et auctoritatem testimonii, et causam omnem simultatis [1]. Atque is ab Hermippo missus, quum ei pauca mancipia vendidisset, Romam se contulit; deinde in Asiam rediit, quum jam frater meus Flacco successisset: ad quem adiit, causamque ita detulit; recuperatores, vi Flacci coactos et metu, falsum invitos judicavisse. Frater meus, pro sua æquitate prudentiaque, decrevit, ut, si judicatum negaret [2], in duplum iret [3]; si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores. Recusavit; et, quasi nihil esset actum, nihil judicatum, ab Hermippo ibidem mancipia, quæ ipse ei vendiderat, petere cœpit. M. Gratidius, legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negavit; re judicata [4] stari ostendit placere. Iterum iste, cui nullus

et fere edd. ante Manutium, *vexat*. J. V. L.

14. Omnes ante Grut. *in illa*.

15. *Judicatum non faceret*. Id est, damnatus non persolveret. Gell. c. 1 ultimi libri, ex lege XII tabularum confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati conquirendæ pecuniæ causa; nisi post hoc tempus dissolverent, ad prætorem vocabantur, et ab eo, quibus erant judicati addicebantur, nervo atque compedibus vincti.

16. *Addictus Hermippo*. A Flacco prætore Hermippo datus est, ut ei serviret quoad pecunia credita ei soluta esset. Addictus a servo quid differat Quintilian. lib. VII scribit: « Servus, inquit, quum manu mittitur fit libertinus; addictus, recepta libertate, est ingenuus ».

XXI. 1. *Simultatis*. In Flaccum.

2. *Si judicatum negaret*. Id est, si recuperatores falsum judicasse diceret.

3. *In duplum iret*. Id est, judicium aliud peteret, et in duplum satisfactionem. Sed si contra eum pronuntiatum secundo fuisset, ad duplum fuisset damnatus.

4. Ant. Augustin. conjicit « rei judicatæ ». J. V. L.

esset usquam consistendi locus, Romam se retulit: persequitur Hermippus, qui numquam istius impudentiæ cessit. Petit Heraclides a C. Plotio senatore, viro primario, qui legatus in Asia fuerat, mancipia quædam[5], quæ se, quum judicatum esset, per vim vendidisse dicebat. Q. Naso, vir ornatissimus, qui prætor fuerat, judex sumitur[6]: qui quum sententiam secundum Plotium[7] se dicturum ostenderet, ab eo judice abiit, et quod judicium lege[8] non erat, causam totam reliquit.

Satisne vobis, judices, videor ad singulos testes accedere, neque, ut primo constitueram, tantummodo cum universo genere confligere? Venio ad Lysaniam ejusdem civitatis, peculiarem tuum, Deciane[9], testem: quem tu, quum ephebum Temni cognosses, quoniam te nudus delectarat, semper nudum esse voluisti. Abduxisti[10] Temno Apollonidem[11]; pecuniam adolescentulo, grandi fœnore, fiducia[12] tamen accepta, occupavisti[13]. Hanc fiduciam commissam[14] tibi dicis: tenes hodie, ac possides. Eum tu testem spe recu-

5. *Mancipia quædam.* Videtur Plotios maocipia emisse quæ Heraclides Hermippo vendiderat.

6. *Judex sumitur.* I. e. arbiter.

7. *Secundum Plotium.* Id est, pro Plotio. Ut pro Roscio Comœdo: «Satis enim judiei fecisse videtor, cur secondum Ruscium jodicari debeat».

8. *Quod judicium lege non erat.* Subaod. constitutum, sed partioio voluotate; nam arbitria a libera partium voluntate peodent, nisi sint jodieio jussa.

9. *Deciane.* Cum Lælio in accusationem Flacci, ot infra videbitur, sese conjunxerat.

10. Cod. Vatic. et alii, «Addoxisti». J. V. L.

11. Lamb. «Apolluuiam». J. V. L.

12. *Fiducia tamen accepta.* Fiducia est pignus, aot hypotheca, quæ ereditori in securitatem crediti oppignerator.

13. *Occupavisti.* Occnpare pecuniam, est, in quæstu eollocare, ot lib. I io Verrem: «Pecunias apod popolos occopaverant». Pro lege Maoilia: «Quurum magnæ res aguntor, in vestris vectigalibus exerceodis occopatæ».

14. *Hanc fiduciam commissam.* Qnom Deciaous apud Lysaniam adolesceotem, pecuniam, ut vidimus, graodi fœoore collocasset, ipse fundum ab adolesceote acceperat fidoeiaria maocipatiooe, loco, ut coojici

perandi fundi paterni venire ad testimonium dicendum coegisti: qui quoniam testimonium nondum dixit, quidnam sit dicturus, exspecto. Novi genus hominum, novi consuetudinem, novi libidinem. Itaque, etsi teneo[15], quid sit dicere paratus, nihil tamen contra disputabo prius, quam dixerit: totum enim convertet[16], atque alia finget. Quamobrem et ille servet, quod paravit; et ego me ad id, quod attulerit, integrum conservabo.

XXII. Venio nunc ad eam civitatem, in quam ego multa et magna studia et officia contuli, et quam meus frater in primis colit atque diligit: quæ si civitas per viros bonos gravesque homines querelas ad vos detulisset, paullo commoverer magis. Nunc vero quid putem? Trallianos[1] Mæandrio causam commisisse, homine egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu? Ubi erant illi Pythodori[2], Ætideni, Lepisones[3], ceteri homines apud nos noti, inter suos nobiles? ubi illa magnifica et gloriosa ostentatio civitatis? Nonne esset puditum, si hanc causam agerent severe, non modo legatum, sed Trallianum omnino dici Mæandrium? huic illi[4] legato, huic publico testi patronum suum jam inde a patre atque

licet, hypothecæ, et secreta inter eos pactione interveniente, ut, ni intra certum diem Lysanias pecuniam reddidisset, fundus pleno jure Deciani efficeretur, et id quod fiducia erat, transiret in jus veri certique dominii. Lysania ad diem non solvente, Decianus fiduciam sibi commissam esse dixit, id est, fundum quem ut pignus a Lysania acceperat, esse suum.

15. *Etsi teneo*. Notum habeo.

16. *Totum enim convertet*. Pantagathus: « totum enim converteret, atque alia fingeret ».

XXII. 1. *Trallianos*. Tralles oppidum ab Argivis et quibusdam Thracibus in Asia conditum, in promontorio natura munito.

2. *Pythodori*. Vide Strabonem lib. XIV. Singulari cum Pompeio amicitia junctus fuit. Supra duo millia talentum possidebat. Cæsar bona ejus vendi jussit, quæ postea redemit Pythodorus, et integra filiis reliquit.

3. *Ætideni, Lepisones*. Niebuhr. conjicit, « Archidemi, Critones ». J. V. L.

4. Alii, « huic tali ».

majoribus, L. Flaccum, mactandum civitatis testimonio tradidissent? Non est ita, judices, non est profecto. Vidi ego in quodam judicio nuper Philodorum testem Trallianum, vidi Parrhasium, vidi Archidemum, quum quidem idem hic mihi Mæandrius, quasi ministrator, aderat, subjiciens, quid in suos cives, civitatemque, si vellem, dicerem[5]. Nihil enim illo homine levius, nihil egentius, nihil inquinatius. Quare si hunc habent auctorem[6] Tralliani doloris sui, si hunc custodem literarum, si hunc testem injuriæ, si hunc auctorem[7] querelarum, remittant spiritus, comprimant animos suos, sedent arrogantiam, fateantur in Mæandrii persona esse expressam faciem[8] civitatis. Sin istum[9] semper illi ipsi domi proterendum esse[10] et conculcandum putaverunt; desinant putare, auctoritatem esse in eo testimonio, cujus auctor inventus est nemo[11].

XXIII. Sed exponam, quid in re sit; ut, quamobrem ista civitas neque severe[1] Flaccum oppugnarit, neque benigne defenderit, scire possitis. Erat ei Castriciano nomine irata; de quo toto respondit Hortensius: invita solverat Castricio[2] pecuniam, jamdiu debitam. Hinc totum odium[3], hinc omnis offensio.

5. *Dicerem*. Ignotum penitus qua de causa loquatur Cicero.

6. *Si hunc habent auctorem*. Id est, vindicem.

7. *Auctorem*. Camer. conjic. *actorem*. J.V. L.

8. Cod. Faern. et editio Lambin. *speciem*. J.V. L.

9. *Sin istum*. Mæandrium.

10. Abest *esse* ab ed. 1480. Lamb. Faern. Garaton. omittendum censuerunt. J.V. L.

11. *Nemo*. Probus.

XXIII. 1. *Neque severe*. Quia miserit eum, cujus in testimonio auctoritas nulla.

2. *Solverat Castricio*. Equiti rom. qui in Asia negotiatus est. Vide Att. II, 7, et XII, 28, 30. Castricio Tralliana civitas nolebat pecuniam sibi creditam solvere; Castricius illam civitatem ad Flacci judicium adduxit, a quo damnata est. Non liquet quo jure Castricius sese in hanc rem interposuerit. Sed injuria patet. Ciceronem ipsum audiamus.

3. *Hinc totum odium*. Scilicet in Flaccum.

Quo quum venisset Lælius ad iratos, et illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset; exsiluerunt [4] principes, neque in illa concione adfuerunt, neque ipsius [5] decreti ac testimonii auctores esse voluerunt. Usque eo orba fuit ab optimatibus illa concio, ut princeps principum esset Mæandrius: cujus lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata. Itaque civitatis pudentis, ut ego semper existimavi, et gravis, ut ipsi existimari volunt, justum dolorem querelasque cognoscite. Quæ pecunia fuerit apud se, Flacci patris nomine, collata [6] a civitatibus, hanc a se esse ablatam queruntur. Alio loco quæram, quid licuerit Flacco [7]: nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suamne dicant [8], sibi a civitatibus collatam in usum suum. Cupio audire. Non, inquit, dicimus [9]. Quid igitur? Delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine, ad hujus dies festos atque ludos. Quid tum? Hanc te, inquit, capere non licuit. Jam id videro [10]: sed primum illud tenebo. Queritur gravis, locuples, ornata civitas, quod non retinet [11] alienum; spoliatam se dicit, quod id non habet, quod ejus non fuit: quid hoc impudentius dici [12], aut fingi potest?

4. In codd. nonnullis *siluerunt*. Et sic omnes ante Henr. Steph. J. V. L.

5. Cod. Vatican. *istius*. Ac deinde, «Usque adeo». J. V. L.

6. *Collata a civitatibus*. In honorem magistratuum populi rom. ludos ac dies festos celebrare provinciales, collata publice pecunia ad impensas illorum, cogebantur.

7. *Licuerit Flacco*. Conf. infra ad cap. 25.

8. *Suamne dicant*. Non totam prorsus, sed partem contulerunt.

9. Faern. malit e cod. suo, «hoc dicimus». J. V. L.

10. *Jam id videro*. An hanc capere non licuerit. — *Sed primum illud tenebo*. Collatam a civitatibus ad Flacci patris dies festos atque ludos.

11. *Quod non retinet alienum*. Non alienum habet, quod ad se et ad suos pertinet.

12. *Quid hoc impudentius dici*. In oratorem ipsum hæc recidunt jurgia. Non ignarus sic loquitur, sed hac *in re* Flacci iniquitatem tueri conatur, et

Delectum est oppidum, quo in oppido uno pecunia a tota Asia[13] ad honores L. Flacci poneretur. Hæc pecunia tota ab honoribus translata est[14] in quæstum et fœnerationem : recuperata est[15] multis post annis. Quæ civitati facta est injuria?

XXIV. At moleste fert civitas. Credo : avulsum est enim præter spem[1], quod erat spe devoratum lucrum. At queritur. Impudenter facit. Non enim omnia, quæ dolemus, eadem jure quæri possumus. At accusat verbis gravissimis. Non civitas, sed imperiti homines[2], a Mæandrio concitati. Quo loco etiam atque etiam facite, ut recordemini[3], quæ sit temeritas multitudinis, quæ levitas propria Græcorum, quid in concione seditiosa valeat oratio. Hic, in hac gravissima et moderatissima civitate, quum est forum plenum judiciorum, plenum magistratuum, plenum optimo-

causæ magis quam æquitati hac in re servire videtur.

13. *A tota Asia.* A parte duntaxat Asiæ quam tenebant Romani, et unde Flacci pater ipse pulsus est. Ille videtur fuisse L. Valerius Flaccus, qui consul cum Mario Saturninum oppressit anno 653. Quarto anno post censor cum M. Antonio oratore, bello Mariano arma capere noluit. Suffectus a Cinna, Mario mortuo anno 667, in Asiam missus est, ubi periit; Appian. de Bell. Civ. lib. I. A Fimbria interfectum contendit Contarenus, Var. Lect. 7.

14. *Translata est in quæstum.* Tralliani non poterant hanc pecuniam in Flacci honorem tota Asia a Mithridate expulsi aut occisi impendere.

15. *Recuperata est.* Flaccus Castricium interposuit, qui pro Flacco repeteret, et Flaccus ipse sedebat judex.

XXIV. 1. *Avulsum est enim præter spem.* Sic Terentius Eunucho : « sperat se a me avellere ». *Amissum* binæ Ven. habent cum aliis usque ad Lambinum, qui *avulsum* præfert, cum Henr. Stephano, Barberino, etc.

2. *Non civitas, sed imperiti homines.* Principes provinciales cavebant ne magistratus accusarent, quia aut gratiam eorum, aut successores extimescebant; satis est, si priorem Verrinarum partem attingamus, facile apparebit quanto labore Cicero Sicilienses in Verris accusationem, furis audacissimi, impulerit.

3. *Facite ut recordemini.* Id est, recordemini. Modus est loquendi, ut in libro de Senectute : « Invitus quidem feci, ut L. Flaminium e senatu ejicerem ». Et pro A. Cluentio : « Facite, ut non solum mores ejus et arrogantiam, sed etiam vultum et amictum, atque illam ad talos demissam purpuram recordemini ».

rum virorum et civium, quum speculatur atque obsidet rostra[4] vindex temeritatis, et moderatrix officii, curia : tamen quantos fluctus[5] excitari concionum videtis? Quid vos fieri censetis Trallibus[6]? an id, quod Pergami[7]? Nisi forte hæ civitates existimari volunt, facilius una se epistola Mithridatis[8] moveri impellique potuisse, ut amicitiam populi romani, fidem suam, jura omnia officii humanitatisque violarent, quam ut filium[9] testimonio læderent, cujus patrem armis pellendum suis mœnibus censuissent. Quare nolite mihi ista nomina civitatum nobilium opponere. Quos enim hostes hæc familia[10] contempsit, numquam eosdem testes pertimescet. Vobis autem est confitendum, si consiliis principum vestræ civitates reguntur; non multitudinis temeritate, sed optimatum consilio bellum ab istis civitatibus cum populo romano esse susceptum : sin ille tum motus est temeritate imperitorum excitatus, patimini[11], me delicta vulgi a publica causa separare.

4. *Obsidet rostra.* Quasi in specula residet et gubernat senatus, atque tuetur rostra, id est, forum. Ex comparatione romanarum concionum, quæ non semper sine seditione sunt, ostendit quanto magis seditiosæ sint Græcorum conciones.

5. *Quantos fluctus.* Translatio a mari turbato ducta. Sic Demosthenes in oratione falsæ legationis, quem locum quasi interpretatur Cicero pro Plancio : « Si campus, atque illæ undæ comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quasi quodam æstu, ut ad alios accedant, ab aliis recedant ».

6. *Quid vos fieri censetis Trallibus?* Ubi ista præsidia moderationis et tranquillitatis non sunt.

7. *An id quod Pergami.* Ernestius reponendum esse conjicit, « quid Pergami ». Camerar. et Lamb. « an non idem, quod Pergami ». Mithridatis in Asia tum peculiaris fuit urbs Pergamum, in qua residens, ut ait Plutarchus, dividere solebat amicis opes, et principatus, et regna.

8. *Una se epistola Mithridatis.* Renovatur memoria gravissimi vulneris quod populo romano inflictum fuit, bello recente Mithridatico. Vide orat. pro lege Manilia, cap. 3.

9. *Filium.* L. Flaccum, cujus pater secundo consul gessit bellum in Asia, in motu illo Mithridatico, ubi Fimbriæ manu legatus occisus est.

10. *Hæc familia.* Flaccorum.

11. Alii, *patiamini.*

XXV. At enim istam pecuniam huic capere non licuit. Utrum vultis patri Flacci[1] licuisse, necne? Si licuit, sicuti certe licuit[2], ad ejus honores collatam; ex quibus ipse nihil capiebat[3], patris[4] pecuniam recte abstulit filius: si non licuit, tamen, illo mortuo, non modo filius, sed quivis heres rectissime potuit auferre[5]. Ac tum quidem Tralliani, quum ipsi gravi fœnore istam pecuniam multos annos occupavissent, a Flacco tamen omnia, quæ voluerunt, impetraverunt: neque tam fuerunt impudentes, ut id, quod Lælius dixit, dicere auderent, hanc ab se pecuniam abstulisse Mithridatem. Quis enim erat, qui non sciret, in ornandis studiosiorem Mithridatem, quam in spoliandis Trallianis fuisse? Quæ quidem a me si, ut dicenda sunt, dicerentur, gravius agerem[6], judices, quam adhuc egi, quantam Asiaticis testibus fidem habere vos conveniret; revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam universorum civium romanorum per tot urbes, uno puncto temporis, miseram crudelemque[7] cædem:

XXV. 1. Lambin. Beck. al. e pluribus MSS, *Flacco*. J. V. L.

2. *Sicuti certe licuit.* Miror quidem Tullii fallaciam. Ludorum in magistratuum honorem celebratio non erat legibus sancita, sed assentatione excogitata. Pecunia publice conferebatur a provincialibus ad illos sumptus; sed cives ludis aderant, fruebantur spectaculis, et delectabantur pro sua pecunia. Nemo umquam magistratus, quantacumque fureret rapacitatis libidine, istam tollere pecuniam ausus est: qui fit ut L. Flaccus illam abstulerit? quo jure?

3. *Ipse nihil capiebat.* Quum ex Trallianis nihil caperet, sed paternam; sive suam pecuniam recuperaret.

4. *Patris pecuniam.* Ad colendum patrem suppeditatam pecuniam.

5. *Potuit auferre.* More causidicorum, Cicero persuadere vellet, quod ipse non credit. Sed dilemmatis mirum est quidem secundum membrum: « Si patri Flacci non licuit pecuniam capere, illo mortuo non modo filius, sed quivis hæres rectissime potuit auferre ».

6. *Gravius agerem.* Fingit se parcere Trallianis pro sua, fratrisque amicitia; et tamen subjungit ea quibus acerbiora reperire non poterat.

7. *Miseram crudelemque cædem.* Circiter centum millia.

prætores nostros deditos[8], legatos in vincula conjectos, nominis prope romani memoriam cum vestigio imperii, non modo ex ædibus Græcorum[9], verum etiam ex literis esse deletam. Mithridatem deum, illum patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Evium, Nysium[10], Bacchum, Liberum nominabant. Unum atque idem erat tempus, quum L. Flacco[11] consuli portas tota Asia claudebat; Cappadocem autem illum[12] non modo recipiebat suis urbibus, verum etiam ultro vocabat. Liceat hæc nobis, si oblivisci non possumus, at tacere; liceat mihi potius de levitate Græcorum queri, quam de crudelitate. Auctoritatem isti habeant apud eos, quos esse omnino noluerunt! Nam, quoscumque potuerunt, togatos interemerunt; nomen civium romanorum, quantum in ipsis fuit, sustulerunt.

XXVI. In hac igitur urbe se jactent[1], quam oderunt! apud eos, quos inviti vident! in ea republica, ad quam opprimendam non animus eis, sed vires defuerunt! Adspiciant hunc florem legatorum laudatorumque Flacci, ex vera atque integra Græcia[2]: tum se

8. *Prætores nostros deditos.* Appianus scribit Q. Oppium prætorem a Laodicensibus Mithridati deditum, et paullo post, Manium Attilium legatum in asino vinctum jussu Mithridatis, præcedente tibicine, traductum.

9. *Ex ædibus Græcorum.* Henricus Stephanus invenit in uno scripto *sedibus*, quæ lectio præferenda. Melius enim respondet præcedentibus, « per tot urbes ». Accedit, quod « vestigia imperii » ad sedes maxime pertinent, non ad ædes. Appianus narrat Ephesios iisdem temporibus Romanorum statuas, quæ Ephesi erant, dejecisse.

10. Alii, *Dionysum.*

11. *L. Flacco consuli.* Patri L. Flacci. Frustra nonnulli dubitavere utrum L. ille esset Valerius Flaccus cum Mario consul, an ille qui in ejus locum suffectus cum Cinna consulatum gessit, et a Fimbria interfectus est. Constat enim unum duntaxat exstitisse Flaccum, ut probat Vell. Pat. II, 23, et animadverterunt Sigon. et Ern.

12. *Cappadocem autem illum.* Mithridatem, qui Cappadociam a majoribus acceperat, quamvis inde Romani excedere coegerint. Male aliqui de Ariobarzane agi putant.

XXVI. 1. Edd. veteres nonnullæ, *jactant.* J. V. L.

2. *Integra Græcia.* Plinius, Epist. VIII, 24: « Cogita te missum in pro-

ipsi expendant, tum cum his se comparent; tum, si audebunt, dignitati horum componant[3] suam.

Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura[4], leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur; de quorum urbis possessione, propter pulchritudinem, etiam inter deos certamen fuisse proditum est; quæ vetustate ea est, ut ipsa ex sese[5] suos cives genuisse dicatur, et eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur; auctoritate autem tanta est, ut jam fractum prope ac debilitatum Græciæ nomen hujus urbis laude nitatur. Adsunt Lacedæmonii; cujus civitatis spectata ac nobilitata virtus, non solum natura corroborata, verum etiam disciplina putatur; qui soli toto orbe terrarum septingentos jam annos[6] amplius unis moribus, et numquam mutatis legibus vivunt. Adsunt ex Achaia cuncta multi legati, Bœotia, Thessalia; quibus locis nuper legatus L. Flaccus, imperatore Metello[7], præfuit.

Neque vero te, Massilia[8], prætereo, quæ L. Flaccum militem quæstoremque cognosti: cujus ego ci-

vinciam Achaiam, illam veram et meram Græciam, in qua primum humanitas, literæ, etiam fruges inventæ esse creduntur ». Vide etiam quos citavit ad h. l. Cortius et Victor. Var. Lect. XIX, 6.

3. Vett. edd. *opponant*. Græv. e multis codd. *anteponant*. J. V. L.

4. *Fruges, jura*. Atheniensibus attributa juris ac victus humani origo, ut fusius demonstrat in Panegyrico Isocrates, unde plura h. l. petivit Cicero, et Lucr. VI, 1: « Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris, Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ, Et recreaverunt vitam legesque rogarunt ».

5. *Ex sese*. Volebant enim videri αὐτόχθονες, ut docet Thucydides sub initium historiæ, et Justin. II, 6.

6. *Septingentos annos*. Scribit T. Livius Lycurgi disciplinam, cui per octingentos annos Lacedæmonii adsueverant, ab Achæis sublatam esse; eamdem a Romanis restitutam esse Plutarchus in Philopœm. scripsit. Cf. Drak. ad Liv. III, 64.

7. *Metello*. Cretico.

8. *Massilia*. De cujus origine adeundus Justin. XIV, 3; de ejus severitate ac virtute Aristotel. Polit. VI, 7; Strab. III; Val. Max. II, 6 et 7. In eumdem sensum Cl. *Montesquieu*: « Il fallut qu'ils fussent laborieux, pour suppléer à la nature qui se refusait; qu'ils fussent justes, pour vi-

vitatis disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam[9]; quæ tam procul a Græcorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, quum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint, quam æmulari. Hisce utitur laudatoribus Flaccus, his innocentiæ testibus, ut Græcorum cupiditati Græcorum auxilio resistamus.

XXVII. Quamquam quis ignorat, qui modo umquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Græcorum genera sint vere? quorum uni sunt Athenienses, quæ gens Ionum[1] habebatur; Æoles[2] alteri; Dores[3] tertii nominabantur. Atque hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio et bellica laude floruit, parvum quemdam locum, ut scitis, Europæ tenet, semperque tenuit. Asiæ maritimam oram, bello superatam, cinxit urbibus, non ut munitam coloniis illam augeret[4], sed ut obsessam teneret. Quamobrem quæso a vobis, Asiatici testes, quum vere recordari voletis, quantum auctoritatis in judicium afferatis,

vre parmi des nations barbares qui devaient faire leur prospérité, etc.» *Esprit des Lois*, XX, 5.

9. Olim, «jure dicam»; sed abest *jure* a MSS pluribus, et deleverunt Lambin. Græv. Ernest. Lallem. etc. J. V. L.

XXVII. 1. *Ionum*. Iones dicti olim Attici, ab Ione Xuthi filio; quorum coloniæ in Asiam deductæ appellatæ Ionicæ, et regio Ionia.

2. *Æoles*. Antiquissimi fuerunt Thessaliæ populi, ab Æolo Hellenis filio dicti, qui postea Peloponnesum occuparunt. Conf. Pomp. Mel. I, 18; Vell. Pat. I, 4, etc.

3. *Dores*. Origine et ipsi Thessali, a Doro Hellenis filio sic appellati; qui circa Parnassum regionem occuparunt, et inde, ut Æoles, in Siciliam ac Italiam sæpius migrarunt.

4. *Illam augeret*. Non ut Asiam coloniis suis muniret et ditaret, sed potius ut eam obsessam teneret. Alii habent *illa*. Retinenda vulgata lectio, ut in summa varietate tutior.

vosmet ipsi describatis Asiam[5]; nec, quid alienigenæ de vobis loqui soleant, sed quid vosmet ipsi de genere vestro statuatis, memineritis.

Namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Utrum igitur nostrum est, an vestrum, hoc proverbium, « Phrygem plagis fieri solere meliorem? » Quid de tota Caria[6]? nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care[7] id potissimum esse faciendum? Quid porro in græco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? quis umquam Græcus comœdiam scripsit, in qua servus primarum partium[8] non Lydus esset? Quamobrem quæ vobis fit injuria, si statuimus, vestro nobis judicio standum esse de vobis?

Equidem mihi jam satis superque dixisse videor de Asiatico genere testium: sed tamen vestrum est, judices, omnia, quæ dici possunt in hominum levitatem, inconstantiam, cupiditatem, etiamsi a me minus dicuntur, vestris animis et cogitatione comprehendere[9].

XXVIII. Sequitur auri illa invidia Judaici[1]. Hoc nimirum est illud, quod non longe a gradibus Aure-

5. *Describatis Asiam.* Varias Asiæ regiones adspicite.

6. *Quid de tota Caria? nonne,* etc. Mallet Schütz. « quid? de Caria nonne ».

7. *In Care.* Proverbium erat: ἐν Καρὶ κίνδυνος.

8. *Primarum partium.* Qui actionis præcipuum onus sustineat, qui plura dicat et agat.

9. *Comprehendere.* Ista omnia animo cogitare, quæ dici in tales homines possunt. Multa sic arte digressum concludit Cicero in Asiaticos testes, quo facilius causæ suæ hoc in loco infirmitatem occultet.

XXVIII. 1. *Judaici.* Solebant olim Judæi quotannis aurum collatum Hierosolyma mittere, unde templum instrueretur. Flaccus autem illud in ærarium publicum retulerat, unde religionum contemptor a Judæis, qui Romæ multi versabantur, et turbam concitaverant, appellabatur.

liis[2] hæc causa dicitur; ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atque illa turba quæsita est. Scis, quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. Summissa voce agam, tantum ut judices audiant. Neque enim desunt, qui istos in me, atque in optimum quemque incitent : quos ego, quo id facilius faciant, non adjuvabo.

Quum aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italia, et ex omnibus[3] provinciis Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, judices, qui hoc non vere laudare possit? Exportari aurum non oportere, quum sæpe antea senatus, tum, me consule, gravissime judicavit. Huic autem barbaræ superstitioni[4] resistere, severitatis; multitudinem Judæorum, flagrantem[5] nonnumquam in concionibus, pro republica contemnere, gravitatis summæ fuit. At Cn. Pompeius, captis Hierosolymis[6], victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, sapienter, quod in tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim, credo, religionem et Judæorum, et hostium, impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem, fuisse. Ubi ergo crimen est? quoniam quidem furtum nusquam re-

2. *Gradibus Aureliis.* Quem in locum sæpius homines ad tumultum concitandum parati conveniebant; et forsan hoc Judæorum erat forum. Vide Cluent. 34; post Redit. ad Quir. 5; Sext. 15; in Pis. 5.

3. Olim edebatur, « ex omnibus vestris provinciis », quod Lallem. servavit. At *vestris* non est in MS Goelf. quatuor Oxon. et vett. edd. nonnullis. Post dedimus *Hierosolyma*, non, ut Lallem. et fere omnes, *Hierosolymam*. Infra enim, « captis Hierosolymis, stantibus Hierosolymis ». J. V. L.

4. *Barbaræ superstitioni.* Quod nomen sæpius Judaicæ religioni, nempe ignotæ, veteres attribuerunt.

5. *Flagrantem.* Furentem, vehementer incitatam.

6. *Captis Hierosolymis.* Quo anno consul fuit Cicero, vid. Joseph. Antiq. Jud. XIV, 8.

prehendis, edictum [7] probas, judicatum fateris, quæsitum et prolatum [8] palam, non negas; actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameæ manifesto comprehensum [9], ante pedes prætoris in foro expensum est auri pondo centum paullo minus per Sext. Cæsium [10], equitem romanum, castissimum hominem atque integerrimum; Laodiceæ [11] viginti pondo paullo amplius per hunc ipsum L. Peducæum, judicem nostrum; Adramyttii [12] per Cn. Domitium, legatum; Pergami non multum. Auri ratio constat; aurum in ærario est. Furtum non reprehenditur; invidia quæritur; a judicibus oratio avertitur; vox in [13] coronam turbamque effunditur. Sua cuique civitati religio, Læli, est; nostra nobis [14]. Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis, abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis; quam cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa [15], quod elocata [16], quod servata [17].

7. *Edictum.* Flacci prætoris, ne exportaretur aurum ex Asia. — *Judicatum.* A senatu.

8. *Prolatum.* Aurum, quod exportabant Judæi.

9. Cod. Car. Steph. edit. Lambin. *deprehensum.* J. V. L.

10. MSS alii, « Sext. Ecinium »; alii, « Cesinium »; alii, « Sext. Cosinium ». J. V. L.

11. *Laodiceæ.* In urbe Lysiæ, ad Lycum amnem, condita ab Antiocho.

12. Male vett. edd. « Adrymeti », vel « Hadrumeti ». J. V. L.

13. *In coronam.* In multitudinis et coronæ gratiam illud declamatur.

14. *Nostra nobis.* Non disputabo qualis sit Judæorum religio; verum et nos nostram habemus, a cujus majestate nimium abhorret judaica superstitio.

15. *Victa.* A Pompeio. Habent alii *vincta*, alii *juncta.* Verum non hic præcipuus difficultatis nodus.

16. *Elocata.* Grævius malit « quod est pacata »; quia Judæa a Pompeio devicta et vectigalis reddita. Nondum tamen in provinciæ formam redacta erat, nec publicanis elocata.

17. *Servata.* Ed. Junt. *serva.* Pantagathus conjicit *enervata.* Cos. Scaliger « serva facta ». Manutius *servata*, idem fortasse valere putat, quod observata, in custodias tradita et quasi

XXIX. Quamobrem, quoniam, quod crimen esse voluisti, id totum vides in laudem esse conversum; veniamus jam ad civium romanorum querelas. Ex quibus sit sane prima Deciani [1]. Quid tibi tandem, Deciane, injuriæ factum est? Negotiaris in libera civitate [2]. Primum patere, me esse curiosum. Quousque negotiabere? præsertim quum sis isto loco natus. Annos jam triginta in foro versaris; sed tamen [3] in Pergameno. Longo intervallo, si quando tibi peregrinari commodum est, Romam venis; affers faciem novam, nomen vetus, purpuram Tyriam. In qua tibi invideo, quod unis vestimentis tamdiu lautus es. Verum esto : negotiari libet : cur non Pergami [4]? Smyrnæ? Trallibus? ubi et multi cives romani sunt, et jus a nostro magistratu dicitur? Otium te delectat; lites, turba, prætor odio est; Græcorum libertate gaudes. Cur ergo unus tu Apollonidenses, amantissimos populi romani, fidelissimosque socios, miseriores habes, quam aut Mithridates, aut etiam pater [5] tuus habuerit umquam? cur his per te frui libertate sua, cur denique esse liberis non licet? Homines sunt tota ex Asia frugalissimi, sanctissimi, a Græcorum luxuria

obsessa. Si conjectura eligenda esset aliqua, placeret satis ea quam dedit Scaliger. Manutii sensum plurimis defendit Garatonius, sed quæ non omnino fidem rei facere videntur.

XXIX. 1. *Deciani*. Unius e subscriptoribus Lælii.

2. *In libera civitate*. Apud Apollonidenses, Romanorum socios.

3. *Sed tamen*. In foro quidem versaris, non Romano, sed Pergameno. Festiva est correctio, et quæ suspensos faciat auditores.

4. Edidit *Pergæ* Victorius, quem sequuntur plerique; sic et legi testatur Camerar. in libro Veneto. Nos ob sequentia, non sine MSS, servamus *Pergami*. J. V. L.

5. *Pater tuus*. Videtur pater hujus Deciani, de quo etiam agitur pro C. Rabir. cap. 9, antequam tribunus pl. factus esset, in Asia fuisse, ibique Apollonidenses vexasse. Ernestus aliique accipiunt de sævitia fœneratoria patris Apollonide negotiantis. Ceterum nimis multis exemplis probatur quanta crudelitate romani negotiatores in provinciis agerent, quum magistratuum gratia et romani nominis metu essent subnixi.

et levitate remotissimi, patresfamilias suo contenti, aratores, rusticani; agros habent et natura perbonos, et diligentia culturaque meliores. In hisce agris tu prædia habere voluisti. Omnino mallem (et magis erat tuum, si te crassi agri[6] delectabant), hic alicubi in Crustumino[7], aut in Capenati paravisses. Verum esto; Catonis est dictum : « Pedibus compensari[8] pecuniam ». Longe omnino a Tiberi ad Caicum[9] : quo in loco etiam Agamemnon cum exercitu errasset[10], nisi ducem Telephum invenisset. Sed concedo id quoque : placuit oppidum; regio delectavit. Emisses[11].

XXX. Amyntas est genere, honore, existimatione, pecunia, princeps illius civitatis : cujus socrum, mulierem imbecilli consilii, satis locupletem, pellexit Decianus ad sese : et, quum illa, quid ageretur, nesciret, in possessione prædiorum ejus familiam[1] suam collocavit; uxorem abduxit[2] ab Amynta prægnantem, quæ peperit apud Decianum filiam; hodieque apud Decianum est uxor Amyntæ, et filia. Num quid harum rerum a me fingitur, Deciane? Sciunt hæc omnes nobiles, sciunt boni viri, sciunt denique nostri homines, sciunt mediocres negotiatores. Exsurge, Amynta; repete a Deciano, non pecuniam, non prædia; socrum

6. *Crassi agri*. Feracissimi. Virgil. Georg. II, 236 : « Spissus ager; glebas cunctantes *crassa*que terga ».

7. *Crustumino*. Qui in Etruria fuit ager, ut Capenas. De agri hujus fertilitate vide Plin. III, 5; Cluver. Ital. Antiq. II, p. 549.

8. *Compensari pecuniam*. Quanta minore pecunia longe remoti agri emantur, tanto labor major in eis visendis capiendus; ita ut pro pecunia parva summa tanto opera requiratur. Sic Grævius ac Manutius. Melius quidem, ut mihi videtur, gallicus interpres, qui totam sententiam sic intelligit : Bene est; Catonis dicto audiens fuisti, nempe si longius distant campi, vili saltem pretio illud pensari.

9. *Caicum*. Qui Mysiam alluit.

10. *Errasset*. Historiam innuit, quæ ab Homero ne obiter quidem memorata, a tragicis autem est fusius explicita. Et Eustathius quidem hanc refert ad Iliad. A, sub init. qui fusius rem tibi narrabit.

11. *Emisses*. Saltem emere debuisses.

XXX. 1. *Famil. suam*. Servos suos.

2. *Abduxit*. Invito eripuit.

denique sibi habeat; restituat uxorem; reddat misero patri filiam: nam membra, quæ debilitavit lapidibus, fustibus, ferro; manus, quas contudit; digitos, quos confregit; nervos, quos concidit, restituere non potest. Filiam, filiam, inquam, ærumnoso patri, Deciane, redde. Hæc Flacco non probasse[3] te miraris? Cui, quæso, tandem probasti? Emptiones falsas, prædiorum proscriptiones cum mulierculis, aperta circumscriptione[4], fecisti. Tutor[5] his rebus[6] Græcorum legibus adscribendus fuit. Polemocratem scripsisti[7], mercenarium et administrum consiliorum tuorum. Adductus est in judicium Polemocrates de dolo malo et de fraude a Dione, hujus ipsius tutelæ nomine. Qui concursus ex oppidis finitimis undique? qui dolor animorum? quæ querela? Condemnatus est Polemocrates sententiis omnibus; irritæ venditiones[8], irritæ proscriptiones. Num restituis[9]? Defers ad Pergamenos, ut illi reciperent in suas literas publicas præclaras proscriptiones et emptiones tuas. Repudiant, rejiciunt. At qui homines? Pergameni, laudatores tui. Ita enim mihi gloriari visus es laudatione Pergamenorum, quasi honorem majorum tuorum[10] assequutus esses; et hoc te superiorem putabas esse, quam Lælium, quod te civitas Pergamena laudaret. Num honestior est civitas Pergamena, quam Smyrna[11]? at ne ipsi quidem dicunt.

3. *Non probasse.* Effecisse ut hæc non Flacco placeant.

4. *Aperta circumscriptione.* Manifesta fraude.

5. *Tutor.* Ejus mulieris, a qua se prædia emisse Decianus dicebat.

6. MSS quidam, « his verbis ». Male Grævius conj. *mulieribus.* Sed vidit Ernest. nihil mutandum esse. J. V. L.

7. *Scripsisti.* Quasi tutorem, quum esset mercenarius.

8. *Irritæ venditiones.* Judices pronuntiavere nullas esse venditiones.

9. Alii, « Non restituis. D. »

10. *Honorem majorum tuorum.* Qui maximos gesserant magistratus, quamvis plebeii: quum in Fastis ad annum 426 legatur C. Plautius Decianus consul.

11. *Smyrna.* Deridet laudationem tam Pergamenorum, quam Smyrnæorum. Honestior, inquit, Smyrnæa ci-

XXXI. Vellem tantum habere otii, ut possem recitare psephisma Smyrnæorum[1], quod fecerunt in Castricium mortuum : primum, ut in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur[2]; deinde, ut ferrent ephebi; postremo, ut imponeretur aurea corona mortuo. Hæc P. Scipioni[3], clarissimo viro, quum esset Pergami mortuus, facta non sunt. At Castricium quibus verbis, dii immortales! decus patriæ, ornamentum populi romani, florem juventutis appellant. Quare, Deciane, si cupidus es gloriæ, alia ornamenta[4] censeo, quæras. Pergameni te deriserunt. Quid? tu ludi te non intelligebas, quum tibi hæc recitabant, clarissimum virum, præstantissima sapientia, singulari ingenio : mihi crede, ludebant. Quum vero coronam auream literis imponebant[5], re vera non plus aurum tibi, quam monedulæ[6] committebant; ne tum quidem ho-

vitas est, quam Pergamena; quod ne ipsi quidem Pergamani negant; at Smyrnæi Castricium mortuum ita laudarunt, ut eum derisisse videantur; quod si laudatio Smyrnæorum honorem non affert, quanto minus Pergamenorum? — Olim legebatur *Smyrnæ*. Alii malint *Smyrnæa*, quam veram lectionem esse putat Garatonius.

XXXI. 1. Sic optimi codd. Habent quidam editi libri, « psephismata Smyrnæorum, quæ, etc. » J. V. L.

2. *Non conceditur*. Quod erat legibus antiquis vetitum, ne quis intra urbem combureretur.

3. *P. Scipioni*. Qui Tib. Gracchum occidit; quo facto, in exsilium Pergamum abiit.

4. *Alia ornamenta*. Alios gloriæ titulos; multo præclariorem laudationem.

5. *Literis imponebant*. Quum tibi psephismate perscripto coronam auream imponendam censebant.

6. *Monedulæ*. Quæ avis auri et argenti furacissima habetur. Apparet jocum hunc non in omnibus scriptis codicibus exstitisse, quum Macrobius dicat, « Atque ego, ni longum esset, referrem in quibus causis Cicero quum nocentissimos reos tueretur, victoriam jocis adeptus sit; ut ecce pro L. Flacco, quem repetundarum reum joci opportunitate de manifestissimis criminibus exemit. Is jocus in oratione non exstat; mihi ex libro Fusii Bibaculi notus est, et inter alia ejus dicta celebratur ». Nos vero non credemus dicenti Macrobio frigidum jocum Flacco salutem attulisse; credemus autem, quum de apertissimis Flacci criminibus loquitur; et sane quamvis summam in hac oratione Ciceronis vim miremur, sæpius tamen eludere eum crimina quam refutare animadvertemus, dolebimusque provincialium querelas Romæ judicum avaritia, aut patronorum artibus semper fuisse oppressas, ita ut

minum venustatem et facetias perspicere potuisti? Isti igitur, isti Pergameni, proscriptiones[7], quas tu afferebas, repudiaverunt. P. Orbius, homo et prudens[8], et innocens, contra te omnia decrevit.

XXXII. In P. Globulum[1], meum necessarium, fuisti gratiosior. Utinam neque ipsum, neque me pœniteret! Flaccum[2] in curia decrevissent. Veridicas[3] adjungis causas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, ædili curuli[4], pater tuus, tribunus plebis, diem dixerit. At istud ne ipsi quidem patri Flacci valde molestum esse debuit: præsertim quum ille, cui dies dicta est, prætor[5] postea factus sit, et consul; ille, qui diem dixit, non potuerit privatus in civitate consistere[6]. Sed, si justas inimicitias putabas, cur, quum tribunus militum[7] Flaccus esset, in ejus legione miles fuisti, quum tibi per leges militares effugere liceret iniquitatem tribuni? Cur autem prætor te, inimicum paternum, in consilium vocavit? quæ quidem quam sancte solita

inter magistratuum crudelitatem et judicum iniquitatem destitutis miseris nihil jam reliqui esse posset.

7. Alii, « perscriptiones ».

8. *Prudens*. Frustra nonnulli corrigunt *pudens*. Vulgata lectio quum ad prætorem referatur optime juris dicendi peritum hominem sonat.

XXXII. 1. Alii non dubitant, quin legendum sit, « Apud P. Globulum ». Testatur Gruterus hic MSS suos omnes mutilos esse integro folio. J.V. L.

2. Mendosus locus. Cod. Stephan. « Flaccus vi et injuria decrevit, motus paternis odiis », quam lect. Schütz. sequutus est, paucis mutatis. Quæ, quum sensum aliquem justum præbeat, erat certe verbis nullum habentibus præferenda.

3. *Veridicas*. Cod. Stephan. habet *verasque*, quod multo præstat, nisi forte, ut Camerario placet, sit legendum *verissimas*.

4. *Ædili curuli*. Arguit ex h. l. Ferratius non potuisse eumdem Flaccum bis consulem fuisse, semel cum Mario, iterum cum Cinna; quum Decianus ille tribunus plebis fuerit post Saturnini mortem, quæ Flacco et Mario VI coss. evenit. Unde non potuisse fieri, ut qui consul erat vivo Saturnino, post illius mortem ædilis curulis fuerit.

5. *Prætor*. Fuit L. Valerius pater prætor anno U. C. 658, consul suffectus anno U. 667.

6. *Consistere*. Post tribunatum pater Decianus judicio damnatus exsulavit.

7. *Tribunus militum*. Imperante Servilio in Cilicia.

sint observari, scitis omnes. Nunc accusamur[8] ab iis, qui in consilio nobis fuerunt. Decrevit Flaccus. Num aliud, atque oportuit? In liberos[9]. Num aliter, ac censuit senatus? In absentem decrevit. Quum ibidem esses, quum prodire nolles. Non est hoc in absentem reum. SENATUSCONSULTUM, et DECRETUM FLACCI. Quid, si non decrevisset, sed edixisset[10]? quis posset vere reprehendere? Num etiam fratris mei[11] literas, plenissimas humanitatis et æquitatis, reprehensurus es? quas easdem[12] mulieri a me datas, apud Pataranos requisivit. Recita literas Q. Ciceronis. LITERÆ Q. CICERONIS. Quid? hæc Apollonidenses, occasione facta, ad Flaccum detulerunt? Apud Orbium[13] acta non sunt? ad Globulum delata non sunt? Ad senatum nostrum, me consule, nonne legati Apollonidenses omnia postulata de injuriis unius Deciani detulerunt?

At hæc[14] prædia etiam in censu[15] dedicavisti. Mitto, quod aliena; mitto, quod possessa per vim; mitto, quod convicta ab Apollonidensibus; mitto, quod a Pergamenis repudiata[16]; mitto etiam, quod a nostris magistratibus in integrum restituta; mitto, quod nullo jure, neque in re, neque in possessione

8. Male olim, *accusantur*. J.V. L.

9. *In liberos*. In homines liberos ac etiam cives romanos.

10. Ant. Augustin. malebat *addixisset*. J. V. L.

11. *Fratris mei*. Qui Flacco successit.

12. Emendatio Pantagathi, «queis easdem mulieres amandatas apud Pataranos requisivit». Nihil tamen mutamus in loco dubio; nec Lallem. mutavit. — Amyntæ autem uxorem ac filiam Pataras a Deciano amandatas Q. Cicero literis repetierat.

13. *Orbium*. Qui anno 690 proprætor Asiæ factus, P. Servilio Globulo successit.

14. Sic Ern. Lallem. al. pro vulg. «Ad hæc». Et jam sic Lamb. Grævio probante, legendum esse conjecerat. J. V. L.

15. *In censu*. Bona mulieris hujus quasi tua in censum retulisti. — *Dedicavisti*. Verbum hoc idem sonat ac «indicasti, protulisti, professus es». Frustra alii correxere «dicasti», alii «judicavisti».

16. *Repudiata*. Quod Pergameni in tabulas publicas bonorum proscriptionem referre renuerunt.

tua[17]. Illud quæro, sintne ista prædia censui censendo[18]; habeant jus civile; sint, necne sint, mancipi[19]; subsignari[20] apud ærarium, apud censorem possint: in qua tribu[21] denique ista prædia censuisti? Commisisti, si tempus aliquod gravius accidisset, ut ex iisdem prædiis et Apollonide[22], et Romæ imperatum esset tributum. Verum esto. Gloriosus fuisti. Voluisti magnum agri modum censeri, et ejus agri, qui dividi plebi romanæ non potest[23]. Census es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta H-S millia[24]. Eam opinor tibi numeratam non esse abs te. Sed hæc omitto. Census es mancipia Amyntæ. Neque huic ullam in eo fecisti injuriam: possidet enim ea mancipia Amyntas. Ac primo quidem pertimuit, quum te audisset servos suos esse censum. Retulit ad jurisconsultos. Constabat inter omnes, si aliena[25] censendo

17. *In possessione tua.* Non possedisti, neque buno aliquo titulo juris tennisti.

18. *Censui censendo.* Sic agri proprie appellantur, qui et emi et venire jure civili possunt; ea tantum prædia censebantur, quæ erant mancipi, id est, juris solive Italici.

19. *Mancipi.* Ita tui juris, ut abalienari possint.

20. *Subsignari.* Quum probatum erat ab eo, qui profitebatur, bonum aliquod jus civile habere, tum in tabulas publicas referebatur.

21. *In qua tribu.* Si Romæ bona ea in censum retulisti, in qua tribu ea addixisti?

22. *Apollonide.* Commissum a te est, ut quum hæc bona et in censu Romæ scripta a te sint, et eadem tamen Apolloniæ quoque, ut bona socerus Amyntæ in censu sint, duplex tributum imperari posset, unum pro censu romano, alterum pro Apollonidensi, quasi duo omnino diversa bona essent. Sic optime Manutius: errat autem h. l. Ferratius, quum dicat Amyntam in Asia soluturum; Decianus enim ipse solvisset, qui omnia detinebat.

23. *Non potest.* Quum in regione sit Apollonidensium, qui socii liberi sunt ac suis legibus vivunt.

24. *Triginta H-S millia.* Circiter 6,135 f. nost. mon. Quum hæc summa nimis parva videatur, Manutius legendum conjicit « cxxx H-S », h. e. centies tricies: quæ tamen facultatum Deciani modum longe superare videtur. Fortasse verum, inquit Schützius, « tricies H-S ».

25. *Aliena censendo.* Docet hic Cicero, quod ad jus nostrum pertinet, quæ quis aliena in censum dedicat quasi sua, non ideo ejus fieri, census auctoritate non imminui verita-

Decianus sua facere posset, eum [maximam[26] habiturum esse familiam. Responsum est, ejus facta non videri. Idem visum est postea Flacco, quum rem cognosceret : itaque decrevit].

XXXIII. Habetis causam inimicitiarum ; qua causa inflammatus Decianus ad Lælium detulerit hanc opimam accusationem. Nam ita questus est Lælius, quum de perfidia Deciani diceret : Qui mihi auctor fuit, qui causam ad me detulit, quem ego sum sequutus; is a Flacco corruptus est, is me deseruit ac prodidit. Siccine tu auctor tandem eum, cui tu in consilio fuisses, apud quem omnes gradus dignitatis tuæ retinuisses, pudentissimum hominem, nobilissima familia natum, optime de republica meritum, in discrimen omnium fortunarum vocavisti? Sed defendam[1] Decianum, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit. Non est, mihi crede, corruptus. Quid enim fuit, quod ab eo redimeretur[2] ? ut duceret judicium[3] ? cui sex[4] horas omnino lex dedit. Quantum tandem ex his horis detraheret, si tibi morem gerere voluisset? Nimirum illud est, quod ipse suspicatur : invidisti ingenio subscriptoris tui[5]; quod ornabat facile[6] locum, quem pre-

tem. Erit igitur domino salva jure rei vindicatio, etiamsi in censu alii sit adscripta : sicut si quis census sit quasi liber homo sine voluntate domini, non ideo liber est. Cujac.

26. Hæc uncis circumsepta Lambinus invenisse se affirmat in margine veteris MSS, neque habent omnes pro germanis. Henricus vero Stephanus e codice suo protulit, « maximam habiturum esse rerum omnium copiam ». Quod libens prætulerim. J. V. L.

XXXIII. 1. Ediderunt Græv. Oliv. Lallem. al. « Scilicet defendam », quod jam placuerat Manutio. J. V. L.

2. *Redimeretur.* Quod ab eo Flaccus emeret.

3. *Duceret judicium.* Produceret, moram necteret.

4. *Sex horas.* Tres accusatori, totidem defendenti, in causa repetundarum.

5. *Subscriptoris sui.* Subscribere dicebantur ii, qui ad accusatoris nomen suum addebant, tamquam una accusaturi. De his vid. ad calc. vol. prim. Excurs. de jud. publ.

6. *Facile locum.* Lambinus conjicit *facete locum.*

henderat, et acute testes interrogabat, aut circumveniebat; fortasse fecistis[7] et tu, et populi sermo, ne exciperes. Idcirco Decianum[8] usque ad coronam applicuisti[9]. Sed, ut hoc verisimile est, ita haud verisimile, Decianum a Flacco esse corruptum. Ita scitote, judices, esse cetera: vel quod ait Lucceius[10], L. Flaccum sibi dare cupisse, ut a fide se abduceret, sestertium vicies. Et eum tu accusas avaritiæ, quem dicis sestertium vicies voluisse perdere? Nam quid emebat, quum te emebat? ut ad se transires? quam partem causæ[11] tibi daremus? An ut enuntiares consilia Lælii? qui testes ab eo prodirent[12]? Quid, nos non videbamus habitare una[13]? quis hoc nescit? tabulas in Lælii potestate fuisse, num dubium est? An, ne vehementer, ne copiose accusares? Nunc facis suspicionem[14]. Ita enim dixisti, ut nescio quid abs te impetratum esse videatur.

XXXIV. At enim Androni Sextilio gravis injuria facta est, et non ferenda: quod, quum esset uxor ejus Valeria intestato mortua, sic egit eam rem Flaccus, quasi ad ipsum hereditas pertineret. In quo[1] quid re-

7. *Fortasse fecistis.* Fortasse accidit ex tuo metu ac populi judicio, ne tu illi succedere velles. Sic locum hunc difficillimum interpretatur præclarissimus vir J. V. *Leclerc;* ceteri omnes, cum Manutio, refingunt « fortasse fecisset, ut tu populi sermone excideres ».

8. *Decianum.* Ideo Decianum adduxisti tantum in populi conspectum, ita ut nullas ei partes dicendi relinqueres. Qua ratione locum hunc correxerit Schütz. in sequenti nota videre licet.

9. Schütz. ait fortasse legendum, « Idcirco Decianum perfidiæ accusasti, teque ad coronam applicuisti ». Unde hæc? quæso. J. V. L.

10. Alii fere omnes, *Luceius.*

11. *Quam partem causæ.* Qua in re opera tua uti possemus?

12. *Ab eo prodirent.* An ut indicares, qui testes ex ejus domo exirent.

13. *Habitare una.* Quos supra Lælii contubernales appellavit.

14. *Facis suspicionem.* Te a Flacco corruptum, quum tam frigide, tam jejune eum accusaveris.

XXXIV. 1. *In quo.* Ad hoc Cicero sic respondet, ut ostendat nullam Sextilio injuriam factam, Valeriam

prehendas, scire cupio: quod falsum[2] intenderit? qui doces? Ingenua, inquit, fuit[3]. O peritum juris hominem! Quid? ab ingenuis mulieribus hereditates lege non veniunt? In manum[4], inquit, convenerat. Nunc audio. Sed quæro, usu[5], an coemptione? Usu non potuit. Nihil enim potest de tutela[6] legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coemptione? omnibus ergo auctoribus. In quibus certe Flaccum fuisse non dices[7]. Relinquitur illud, quod vociferari non destitit, non debuisse, quum prætor esset, suum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis. Maximas audio tibi, L. Luculle, qui de L. Flacco sententiam laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximisque beneficiis in tuos, venisse hereditates, quum Asiam provinciam consulari imperio obtineres: si quis eas suas esse dixisset, concessisses? Tu, T. Vetti[8], si qua tibi in Africa venerit hereditas, usu amittes[9]? an tuum, nulla avaritia, salva dignitate, retinebis? At istius hereditatis, jam Globulo prætore, Flacci nomine petita possessio est. Non igitur im-

autem illam propinquam fuisse vel gentilem Flacci.

2. *Falsum intenderit.* Hereditatem actione falsa petiverit.

3. *Ingenua fuit.* Significare volebat accusator, a libertinis mulieribus, intestato mortuis, non ab ingenuis, ad eamdem gentem hereditates venire.

4. *In manum convenerat.* Quod quum fiebat, mulieris bona, dotis nomine, viro erant subjecta.

5. *Sed quæro, usu, an coemptione?* De his matrimoniis, multis egerunt Brissonius et Hotomannus de nuptiis, et viri docti ad Topic. Ciceronis, cap. 3.

6. *De tutela legitima.* Si mulier, quæ in tutela legitima est, sine tutorum auctoritate, quam natura usucapionis excludit, usu in manum conveniat, tantum de tutela illa minuitur, ut penitus exstinguatur. Ergo mulier quæ in tutela legitima est, usu in manum convenire non potest. De h. l. plura disputant jureconsulti.

7. *Non dices.* Nec asseverare audebis tutorem de numero Flaccum hoc permisisse.

8. Ante Manut. et Lambin. legebatur *T. Vecti*, quod Ernest. et Lallem. servavere. Rectius, ut passim, *Vetti.* T. Vettius judex h. a. prætor fuit et in hoc judicio quæsitor. J. V. L.

9. *Usu amittes.* Non adibis illam hereditatem, sed ut alius eam usu capiat, permittes?

pressio[10], non occasio, non vis, non tempus, non imperium, non secures ad injuriam faciendam Flacci animum impulerunt.

Itaque eodem etiam M. Lurco, vir optimus, meus familiaris, convertit aculeum testimonii sui[11]: negavit, a privato pecuniam in provincia prætorem petere oportere. Cur tandem, M. Lurco, non oportet? eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, numquam ostendes, nisi docueris non licere. An legationes sumere liberas[12], exigendi causa, sicut et tu ipse nuper, et multi viri boni sæpe fecerunt, rectum est; quod ego non reprehendo; socios video queri[13]: prætorem, si hereditatem in provincia non reliquerit[14], non solum reprehendendum, verum etiam condemnandum putas?

XXXV. Doti, inquit[1], Valeria pecuniam omnem suam dixerat[2]. Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quæcumque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est. Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo religioni[3] suæ, tamen iratum Flacco esse vidistis. Neque enim occultavit causam iracundiæ suæ, neque reticendam puta-

10. *Impressio*. Impetus.

11. *Aculeum testimonii sui*, In eamdem partem infestum suum testimonium convertit.

12. *Legationes ... liberas*. Quibus instructi cives rom. socios sæpius vexabant, manus quippe et minas commodantibus proprætoribus.

13. *Socios video queri*. Quia nullus sit æquitati locus, quum inde vis, inde metus stet.

14. *Non reliquerit*. In MSS Faern. et Memm. aberat *non*. Unde Lambin. conj. « hereditatem in provincia creverit ».

XXXV. 1. *Inquit*. Beck. maluit *inquis*. J. V. L.

2. *Valeria pecuniam omnem suam dixerat*. Pecuniam omnem suam doti conficiendæ impenderat; pro dote suum omne patrimonium marito attulerat.

3. Schütz. rescripsit « orationi suæ ». Ernest. maluerat, pro « moderatus est », « obsequutus est », vel « obtemperavit ». J. V. L.

vit. Questus est, libertum suum, Flacco prætore, esse damnatum. O conditiones miseras administrandarum provinciarum! in quibus diligentia plena simultatum[4] est; negligentia, vituperationum: ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata; sermo insidiosus[5], assentatio perniciosa; frons omnium familiaris, multorum animus iratus; iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ: venientes prætores exspectant[6], præsentibus inserviunt, abeuntes deserunt. Sed omittamus querelas, ne nostrum consilium in prætermittendis[7] provinciis[8] laudare videamur. Literas[9] misit de villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus cædem fecerat: Septimium ardentem iracundia videre potuistis. In Lurconis libertum judicium ex edicto dedit: hostis est Lurco. Quid igitur? hominum gratiosorum splendidorumque libertis fuit Asia tradenda[10]? An simultates[11], nescio quas, cum libertis vestris Flaccus exercet? An vobis in vestris vestrorumque causis severitas odio est; eamdem laudatis, quum de nobis judicatis?

XXXVI. At iste Andro[1], spoliatus bonis, ut dicitis, ad dicendum testimonium non venit. Quid, si veniat? Decisionis arbiter[2] C. Cæcilius fuit. Quo splendore

4. *Pl. simultatum.* Excitant odia, si sint diligentiores in exercendo jure prætores.

5. *Sermo insidiosus,* Superiora de prætoribus, hæc de provincialibus, quorum sermo insidias tendit, assentatio perniciem molitur.

6. *Exspectant.* Magno cum studio exspectare videntur.

7. *Prætermittendis.* Edd. ante Lambinum, *omittendis.* J. V. L.

8. *Provinciis.* Quum scilicet e consulatu in provinciam ire noluit; et postea invitus in Ciliciam profectus est. Vid. Epistol. ad Atticum, V, 15.

9. *Literas misit.* Flaccus Asiæ prætor, ut Septimii villicus, qui cædem fecerat, comprehenderetur.

10. *Tradenda.* Omnino dedenda, quam pro arbitrio vexent.

11. *An simultates.* Nam fidem vos facere poteritis, ideo damnatos libertos vestros, quod cum eis simultates Flaccus exercebat.

XXXVI. 1. *Andro.* Valeriæ vir.

2. *Decisionis arbiter.* Testis transactionis, qui, tamquam testis, præsto fuit, quum paciscerentur.

vir? qua fide? qua religione? Obsignator[3] C. Sextilius, Lurconis sororis filius, homo et pudens, et constans, et gravis. Si vis erat, si fraus, si metus, si circumscriptio, quis pactionem fieri, quis adesse istos coegit? Quid? si ista omnis pecunia huic adolescentulo, L. Flacco[4], reddita est; si petita, si redacta[5], si per hunc Antiochum, paternum hujus adolescentis libertum, seni illi Flacco[6] probatissimum, videmurne non solum avaritiæ crimen effugere, sed etiam liberalitatis laudem assequi singularem? Communem enim hereditatem, quæ æqualiter ad utrumque lege venisset, concessit adolescenti, propinquo suo; nihil ipse attigit de Valerianis bonis: quod statuerat facere, adductus hujus pudore[7], et non amplissimis patrimonii copiis, id non solum fecit, sed etiam prolixe cumulateque fecit. Ex quo intelligi debet, eum contra leges pecunias non cepisse[8], qui tam fuerit in hereditate concedenda liberalis.

At Falcidianum crimen est ingens. Talenta quinquaginta[9] se Flacco dicit dedisse. Audiamus hominem.

3. *Obsig.* Pactionis ac decisionis.

4. *L. Flacco.* Quis fuerit Flaccus ille, et quo vinculo cum Valeria jungeretur, non liquet.

5. *Redacta.* In arcam, in loculos.

6. *Seni illi Flacco.* Patri hujus Flacci, quem Cicero defendit.

7. *Hujus pudore.* Summa hujus adolescentuli Flacci sapientia et modestia adductus, quod statuerat facere non solum fecit, sed magnificentissime et nobilissime fecit.

8. *Non cepisse.* Quo crimine causam dicebat.

9. *Talenta quinquaginta.* Prætori Flacco crimen erat, a Falcidio L talenta, seu H-S DCCCC millia abstulisse; quod sic diluit Cicero: « at fructus Trallianorum, Globulo prætore, Falcidius H-S DCCCC millibus emerat ». Dicebat accusator summam eam primo Globulo, dein Flacco iterum persolvere jussum Falcidium. Si quantum, ait orator, Globulo primum dederat, tantum postea Flacco dedit; eo consilio certe dedit, ne Flaccus irritam emptionem faceret, ut irritam, fructusque iterum alteri plus offerenti venderet: ostendit igitur ipse Trallianorum fructus multo plus valere quam ipse emerat, alioquin ipsam repudiasset emptionem; « dat de lucro, nihil detrahit de vivo ». Fac eos fructus CXX talenta valuisse; quum Globulo L dedisset, quamvis totidem sibi per vim a Flacco eripe-

Non adest. Quomodo igitur dicit? Epistolam mater ejus profert, et alteram soror; scriptum ad se dicunt esse ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. Ergo is, qui si[10] aram tenens juraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit? At qui vir? quam non amicus suis civibus? qui patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere[11] potuit, Græcorum conviviis maluit dissipare. Quid attinuit relinquere hanc urbem? libertate tam præclara carere? adire periculum navigandi? quasi bona comesse Romæ non liceret. Nunc denique materculæ suæ festivus filius, aniculæ minime suspiciosæ, purgat se per epistolam, ut eam pecuniam, quacum[12] trajecerat, non consumpsisse, sed Flacco dedisse videatur.

XXXVII. At fructus isti Trallianorum, Globulo prætore, venierunt[1]: Falcidius emerat H-S nongentis millibus. Si dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, ut rata sit emptio. Emit igitur aliquid, quod certe multo pluris esset: dat de lucro; nihil detrahit de vivo: minus igitur lucri facit. Cur Albanum[2] venire jubet? cur matri præterea blanditur? cur epistolis et sororis, et matris imbecillitatem aucupatur? Postremo cur non audimus ipsum? Retinetur, credo,

rentur, non detrahit illa Falcidius de vivo, h. e. de illis L talentis pro emptione datis; sed ex LXX quæ lucrabatur, adeoque tantum minus lucri facit, nihil damni patitur. Ceterum satis obscura argumentatio non optimo jure h. l. disputare Ciceronem monet.

10. Beck. recepit, « cui, si aram tenens », ex emendatione Grævii. Sine causa, ut recte monet Garaton. ad Philipp. II, 16. J. V. L.

11. *Conficere potuit.* Decoquere, consumere.

12. Codd. Franc. Guelf. al. « quam trajecerat ». J. V. L.

XXXVII. 1. Editores Lipsienses restituerunt nuper antiquam lectionem, *venierant*. J. V. L.

2. *Albanum.* Hoc est argumentum argumenti contra Flaccum: villam Albanam vendidit, ut talenta Flacco daret. Respondet Cicero dissipati patrimonii culpam in Flaccum a se transferre conari Falcidium, quum ideo tantum vendiderit, ut luxuriose cum Græcis viveret.

in provincia : mater negat. Venisset, inquit, si esset denuntiatum[3]. Tu certe coegisses, si ullum firmamentum in illo teste posuisses. Sed hominem ab[4] negotio abducere noluisti : magnum erat ei certamen propositum, magna cum Græcis contentio; qui tamen, ut opinor, jacent victi. Nam iste unus totam Asiam magnitudine poculorum, bibendoque superavit. Sed tamen quis tibi, Læli, de epistolis istis indicavit? Mulieres negant se scire. Quis is est igitur[5]? ille ipse tibi, se ad matrem et sororem scripsisse, narravit? An etiam scripsit oratu[6] tuo? At vero M. Æbutium, et constantissimum, et pudentissimum hominem, Falcidii affinem, nihil interrogas? nihil ejus generum, pari fide præditum, C. Manilium? qui profecto de tanta pecunia, si esset data, nihil audisse non posset. His tu igitur epistolis, Deciane, recitatis, his mulierculis productis, illo absente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putasti; præsertim quum ipse, non deducendo[7] Falcidium, judicium feceris[8], plus falsam epistolam habituram ponderis, quam ipsius præsentis fictam vocem et simulatum dolorem?

XXXVIII. Sed quid ego[1] de epistolis Falcidii, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani censu tamdiu disputo[2] et expostulo? de salute omnium nostrum, de

3. *Denuntiatum.* Denuntiabat accusator testibus, ut adessent.

4. *Ab negotio.* A re seria; quod jocando dicit, ut ex sequentibus patet.

5. Græv. et Garaton. in vett. edd. legi testantur, « Quid est igitur? ille tibi ». Gruter. e MSS suis, « negant se scire, qui sis. Ipse igitur ille tibi ». Sic jam Gulielmius. J. V. L.

6. Codd. al. *hortatu*; al. mendose, *ornatu*; Naug. ed. *rogatu*. J. V. L.

7. *Deducendo.* In judicium ex Asia adducendo.

8. *Judicium feceris.* De re judicaveris.

XXXVIII. 1. *Sed quid ego.* Orator jam abrupta defensione, quæ hac in parte non ita firma esse videtur, ad miserationum tragœdias, ut ipse in oratore ait, sese convertit, judicumque animos a privati hominis periculo ad reip. conditionem adducit.

2. Sic Lambinus e codd. Memm. Quem sequimur exemplo Lallem. et al. Vulg. « disputo, postulo ». Verbum hoc Ernest. delevit. J. V. L.

fortunis civitatis, de summa reipubl.[3] taceo? quam vos universam in hoc judicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris, judices, sustinetis. Videtis, in quo motu[4] temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur. Quum alia multa certi homines, tum hoc vel maxime moliuntur, ut vestræ quoque mentes, vestra judicia, vestræ sententiæ, optimo cuique infestissimæ atque inimicissimæ reperiantur. Gravia judicia, pro reipublicæ dignitate, multa de conjuratorum scelere fecistis. Non putant satis conversam rempublicam, nisi in eamdem impiorum pœnam optime meritos cives detruserint. Oppressus est C. Antonius[5]. Esto: habuit quamdam ille infamiam suam[6]: neque tamen ille ipse, pro meo jure[7] dico, vobis judicibus damnatus esset; cujus damnatione sepulcrum L. Catilinæ, floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est: justa Catilinæ facta sunt. Nunc a Flacco Lentuli pœnæ[8] per vos expetuntur. Quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum conjugumque vestrarum trucidatos, incendio patriæ sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius

3. *De summa reipubl. taceo.* Lallem. post Lambin. « de summa republica ». J. V. L.

4. *In quo motu.* Nutare jam cœperat reip. status, Cæsare et Bibulo coss. quæ malorum omnium ac publicæ servitutis causa et origo fuit.

5. *C. Antonius.* De Antonii, Ciceronis in consulatu collegæ condemnatione, vide Excursum ad calcem hujusce orationis.

6. *Infamiam suam.* Nempe et conjurationis, cujus olim particeps fuerat, infamia laborabat, et summam in provincia avaritiam exercuerat, quum de eo ad Att. I, 12, Cicero scribat: « Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, et a me custodem communis quæstus libertum esse missum ».

7. *Pro meo jure.* Hoc jure affirmare possum, vestra sapientia ac prudentia fretum.

8. *Lentuli pœnæ.* P. Lentuli Suræ in conjuratione Catilinæ socii et cum aliis senatus jussu interfecti.

nefarium in nos omnes odium saturaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego[9], revocemus ejectos: nimiæ pietatis et summi amoris in patriam vicissim nos pœnas, si ita placet, sufferamus. Nos jam ab indicibus nominamur; in nos crimina finguntur; nobis pericula comparantur. Quæ si per alios agerent, si denique per populi nomen civium imperitorum multitudinem concitassent, æquiore animo ferre possemus: illud vero ferri non potest, quod per senatores et per equites romanos, qui hæc omnia pro salute omnium, communi consilio, una mente atque virtute[10] gesserunt, harum rerum auctores, duces, principes spoliari omnibus fortunis, atque[11] civitate expelli posse arbitrantur. Etenim populi romani perspiciunt jam[12] mentem et voluntatem: omnibus rebus, quibus potest, populus romanus significat, quid sentiat; nulla varietas est inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla sermonis. Quare, si quis illuc me vocat, venio: populum romanum disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deposco. Vis absit; ferrum ac lapides removeantur; operæ[13] facessant; servitia sileant. Nemo erit tam injustus, qui me audierit, sit modo liber et civis, quin potius de præmiis meis, quam de pœna cogitandum putet.

XXXIX. O dii immortales! quid hoc miserius? Nos, qui P. Lentulo ferrum et flammam de manibus extorsimus, imperitæ multitudinis judicio confidimus; lectissimorum civium et amplissimorum sententias pertimescimus. M'. Aquillium[1] patres nostri multis ava-

9. *Cethego*. C. Cornelio Cethego, qui cum Lentulo in carcere est necatus.

10. *Atque virtute*. Cod. Faern. edd. Lamb. Græv. Beck. « ac virtute ».

11. *Atque civitate*. Edd. Naug. Man. Herv. al. « de civitate ».

12. Al. edit. *eam mentem*. J. V. L.

13. *Operæ*. Operarii, quorum auxilio improbi utebantur ad vim faciendam. — *Facessant*. Recedant, absint.

XXXIX. 1. *M'. Aquillium*. Quem a Catone repetundarum accusatum ita

ritiæ criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis[2] fortiter bellum gesserat, judicio liberaverunt. Consul ego nuper defendi C. Pisonem : qui quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est reipublicæ conservatus. Defendi item consul L. Murenam, consulem designatum : nemo illorum judicum, clarissimis viris[3] accusantibus, audiendum sibi de ambitu putavit, quum, bellum jam gerente Catilina, omnes, me auctore[4], duos consules kalendis jan. scirent esse oportere. Innocens et bonus vir, et omnibus rebus ornatus, bis hoc anno, me defendente, absolutus est A. Thermus. Quanta, reipublicæ causa, lætitia populi romani, quanta gratulatio consequuta est! Semper graves et sapientes judices in rebus judicandis, quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid reipublicæ tempora poscerent, cogitaverunt. Quum tabella[5] vobis dabitur, judices, non de Flacco dabitur solum; dabitur de ducibus auctoribusque conservandæ civitatis; dabitur de omnibus bonis civibus[6]; dabitur de vobismet ipsis; dabitur de liberis vestris, de vita, de patria, de salute communi. Non judicatis in hac causa de exteris nationibus, non de sociis : de vobis, ac vestra republica judicatis.

XL. Quod si provinciarum vos ratio magis movet, quam vestra, ego vero non modo non recuso, sed etiam postulo, ut provinciarum auctoritate movea-

in causa peroranda defendit Antonius, ut, abscissa tunica, senis imperatoris cicatrices adversas judicibus ostenderit.

2. *Cum fugitivis.* M'. Aquillius consul in Sicilia bellum servile concitatum confecit.

3. *Clarissimis viris.* Servio Sulpicio, summo jurisconsulto, et M. Catone, qui postea Uticensis fuit.

4. *Quum, bellum jam gerente Catilina, omnes me auctore.* Monente et hortante.

5. *Tabella.* Tres tabellæ judicibus dabantur, quibus aut absolverent, aut damnarent, aut rem non liquere declararent.

6. Vocem hanc Lambin. auctoritate codd. omisit; Beck. uncis inclusit, ut dubiam. J. V. L.

mini. Etenim opponemus Asiæ provinciæ primum magnam partem ejusdem provinciæ, quæ pro hujus periculis legatos laudatoresque misit; deinde provinciam Galliam[1], provinciam Ciliciam[2], provinciam Hispaniam[3], provinciam Cretam[4]. Græcis autem, Lydis, et Phrygibus, et Mysis obsistent Massilienses, Rhodii, Lacedæmonii, Athenienses, cuncta Achaia, Thessalia, Bœotia. Septimio et Cœlio[5] testibus, P. Servilius et Q. Metellus[6], hujus pudoris integritatisque testes, repugnabunt: Asiaticæ jurisdictioni urbana[7] jurisdictio respondebit. Annui temporis[8] criminationem omnis ætas L. Flacci, et perpetua vita defendet. Et, si prodesse L. Flacco, judices, debet, quod se tribunum militum, quod quæstorem, quod legatum imperatoribus clarissimis, exercitibus ornatissimis, provinciis gravissimis, dignum suis majoribus præstitit; prosit, quod hic, vobis videntibus, in periculis communibus omnium vestrum, sua pericula cum meis conjunxit; prosint honestissimorum municipiorum coloniarumque laudationes; prosit etiam senatus populique romani præclara et vera laudatio.

O nox illa[9], quæ pæne æternas huic urbi tenebras attulisti! quum Galli ad bellum, Catilina ad urbem,

XL. 1. *Provinciam Galliam.* Quæ prætorem eum cognovit.

2. *Ciliciam.* In qua tribunus militum.

3. *Hispaniam.* In qua quæstor.

4. *Cretam.* In qua legatus.

5. *Cœlio.* Quis iste fuerit Cœlius nescio; ejus certe nulla mentio apud hanc orationem exstat.

6. Vulgatam olim lectionem restituimus, quam unice veram esse viri docti probant. Codd. alii, « M. Metellus »; alii, « A. Metellus », quos male Gruter. Ernest. Lallem. sequuntur. J.V. L.—Q. Metellus est Creticus, cujus legatus fuerat Flaccus in Cretico bello, anno U. C. 685 et 686. Vid. pro Planc. 11.

7. *Urbana jurisdictio.* Quam in temporibus periculosissimis summa virtute administravit.

8. *Annui temporis.* Quo provinciam administravit.

9. *O nox illa.* Qua Flaccus prætor in transitu pontis Milvii legatos Allobrogum, cum literis ad suos cives et eodem itinere ad Catilinam missos, comprehendit.

conjurati ad ferrum et flammam vocabantur; quum ego te, Flacce, cælum noctemque contestans, flens flentem obtestabar; quum tuæ fidei optimæ et spectatissimæ, salutem urbis et civium commendabam. Tu, tum, Flacce, prætor, communis exitii nuntios [10] cepisti; tu inclusam in literis reipublicæ pestem deprehendisti; tu periculorum indicia, tu salutis auxilia, ad me et ad senatum attulisti. Quæ tibi tum gratiæ sunt a me actæ? quæ ab senatu? quæ a bonis omnibus? Quis tibi, quis C. Pomptinio [11], fortissimo viro, quemquam bonum putaret [12] umquam, non salutem, verum honorem ullum denegaturum? O nonæ illæ decembres [13], quæ, me consule, fuistis [14]! quem ego diem vere natalem hujus urbis, aut certe salutarem appellare possum.

XLI. O nox illa [1], quam iste est dies consequutus, fausta huic urbi! miserum me, metuo, ne funesta nobis. Qui tum animus L. Flacci (nihil dicam enim de me)? qui amor in patriam? quæ virtus? quæ gravitas exstitit? Sed quid ea commemoro, quæ tum, quum agebantur, uno consensu omnium, una voce populi romani, uno orbis terræ testimonio, in cælum lau-

10. *Exitii nuntios.* Qui literis inclusam reip. pestem gerebant. Cf. Catil. III, 2; Sall. Catil. 46, etc.

11. *C. Pomptinio.* Qui in prætura Flacci collega fuit, et in deprehendendis conjuratis adjutor et socius.

12. *Quemquam bonum putaret.* Nihil opus, quod Ernest. sibi persuaserat, vel *putasset*, vel *putat* pro vulg. restituere. J. V. L.

13. *Nonæ illæ decembres.* Nempe die, qui noctem, qua comprehensi Allobroges sunt, consequutus est, scil. III non. dec. expositis indiciis factum est senatusconsultum, ut in custodiam conjurati traderentur, atque agerentur gratiæ; tum Ciceroni, tum Flacco et Pomptinio: sequenti die præmia indicibus delata; et tandem nonis decembr. facto SCto post quartam Ciceronis Catilinariam sumptum est de conjuratis supplicium.

14. *Fuistis.* Quantum ad illustrandum consulatum meum valuistis: quæ nonæ reip. salutares non fuissent, nisi opera L. Flacci comprehensi Allobroges atque adeo conjurati.

XLI. 1. *O nox illa.* Quæ quamvis non statim nonas decembr. præcessit, illas tamen præparavit.

dibus efferebantur? nunc vereor, ne non modo non prosint, verum etiam aliquid obsint. Etenim multo acriorem improborum interdum memoriam esse sentio, quam bonorum. Ego te, si quid gravius acciderit, ego te, inquam, Flacce, prodidero [2]: mea dextera illa, mea fides, mea promissa, quum te, si rempublicam conservaremus, omnium bonorum præsidio, quoad viveres, non modo munitum, sed etiam ornatum fore pollicebar. Putavi, speravi, etiamsi honos noster vobis vilior [3] fuisset, salutem certe caram futuram.

At, L. Flaccum quidem, judices, si (quod dii immortales omen avertant!) gravis injuria afflixerit, numquam tamen prospexisse vestræ saluti, consuluisse vobis, liberis, conjugibus, fortunis vestris, pœnitebit. Semper ita sentiet, talem se animum [4] et generis dignitati, et pietati suæ, et patriæ debuisse: vos ne pœniteat tali civi non pepercisse, per deos immortales! judices, providete. Quotus enim quisque est, qui hanc in republica sectam [5] sequatur? qui vobis, qui vestri similibus placere cupiat? qui optimi atque amplissimi cujusque hominis atque ordinis auctoritatem magni putet, quum illam viam [6] sibi videant expeditiorem ad honores, et ad omnia, quæ concupiverunt?

XLII. Sed cetera sint eorum; sibi habeant potentiam [1], sibi honores, sibi ceterorum commodorum summas facultates: liceat iis, qui hæc salva esse vo-

2. Sic optime Gruter. e codd. suis. Olim, *perdidero*. J. V. L.

3. *Vobis vilior*. Si nobis honores conferre nolletis; si de iis parum laborassetis.

4. *Talem se animum*. Qualem reipublicæ præstitit.

5. *Sectam*. Virtutis et studii in rempublicam.

6. *Illam viam*. Civium improborum, diversam ab ea quam secutus est Flaccus. Orator hoc in loco novarum rerum fautores innuit, qui, auspice et duce Cæsare, jam liberis Romanorum cervicibus imminebant.

XLII. 1. *Sibi habeant potentiam*. Olivet. Lallem. Oxoniens. edit. *potestatem*. J. V. L.

luerunt, ipsis esse salvis. Nolite, judices, existimare eos, quibus integrum est[2], qui nondum ad honores accesserunt, non exspectare hujus exitum judicii. Si L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in rempublicam studium, calamitati fuerit[3], quem posthac tam amentem fore putatis, qui non illam viam vitæ[4], quam ante præcipitem et lubricam[5] esse ducebat, huic planæ et stabili[6] præponendam esse arbitretur? Quod si talium civium vos, judices, tædet, ostendite: mutabunt sententiam, qui potuerint[7]; constituent, quid agant, quibus integrum est; nos, qui jam progressi sumus[8], hunc exitum nostræ temeritatis feremus. Sin hoc animo quam plurimos esse vultis, declarabitis hoc judicio, quid sentiatis.

Huic[9], huic misero puero[10], vestro ac liberorum vestrorum supplici, judices, hoc judicio vivendi præcepta dabitis. Cui si patrem conservatis, qualis ipse debeat esse civis, præscribetis. Sin eripitis, ostendetis, bonæ rationi[11], et constanti, et gravi nullum a vobis fructum esse propositum. Qui vos, quoniam est

2. *Quibus integrum est.* Quibus libera adhuc est electio, quale velint vitæ genus amplecti.

3. *Calamitatis fuerit.* Si damnatus fuerit. Cicero jam remota omni provincialium criminatione, fingit ideo tantum damnari posse Flaccum, quod contra seditiosos egerit.

4. *Viam vitæ.* Veræ laudis et virtutis.

5. *Lubricam.* Ejusmodi ut vix per eam ad honores perveniri possit.

6. *Planæ et stabili.* Quæ bonos antea viros honestis et apertis artibus ad magistratum deducebat.

7. Ernest. dedit *poterunt* sine libb. Malo exemplo. J.V. L.

8. *Progressi sumus.* Longius in hanc viam eo usque perreximus, ut jam non sit integrum hoc iter convertere.

9. Lacunæ hic fuere in MSS. Unde in multis olim editis libris varietas interpolandi. J.V. L.

10. *Misero puero.* Hic puer bello Pompeiano ad Dyrrhachium periit, quum Pompeii partes sequeretur, ut testatur Cæsar, Bell. Civ. III, 53: « in eo fuit numero (Pompeianorum, qui occubuerant) Valerius Flaccus Lucii filius, ejus qui prætor Asiam obtinuerat ».

11. *Bonæ rationi.* Quam sequutus est Flaccus.

id ætatis, ut sensum jam percipere[12] possit ex mœrore patrio, auxilium nondum patri ferre possit, orat, ne suum luctum[13] patris lacrymis, patris mœrorem suo fletu augeatis. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodam modo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriæ spoponderim, dignitatem. Miseremini familiæ, judices, miseremini fortissimi patris, miseremini filii: nomen[14] clarissimum et fortissimum, vel generis, vel vetustatis, vel hominis causa, reipublicæ reservate.

12. *Sensum percipere.* Periculi in quo et pater et ipse versetur.

13. *Ne suum luctum.* Vos orat, ne filii dolorem patris luctu augeatis, ne patrem suum filii dolori indolere cogatis.

14. *Nomen clarissimum.* Amicus Ursini maluit « hominem clarissimum ». Manut. « civem clarissimum ». Sed, ut observat Garatonius, nomen ipsius est Flacci; et respicit nobilitatem Valeriorum, factaque tum Flacci, tum ejus majorum fortia et reip. utilia. Ita post Reditum in Senatu, cap. 15: « Desiderium mei nominis renovari ».

EXCURSUS

AD ORATIONEM PRO FLACCO, CAP. 38.

P. Vatinius tribunus pl. Cæsare et Bibulo coss. legem tulit judiciariam, ut reus, et accusator totum consilium, et quæsitorem ipsum rejicere semel possent: neque tamen hujusmodi legis beneficio uti possent ii, quorum nomen delatum fuisset ante legem hanc latam. Hoc autem videbatur cavisse ad excludendum C. Antonium, qui jam accusatus fuerat a Q. Fabio Maximo de repetundis, et a M. Cœlio de majestate, apud duos prætores, Cn. Lentulum Marcellinum, et Q. Claudium, qui de iis criminibus quærebant. Inhumanum propterea facinus, et summam crudelitatem legis illius latori exprobrat Cicero in oratione contra eumdem habita, cap. 11: « Exspectarisne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, et Q. Claudium ». Quod ad ipsam accusationem attinet, duo hic veniunt in controversiam, fueritne Antonius de repetundis damnatus, an de majestate; et utrum repetundarum crimen capitale esset, necne. De crimine primum, mox de Antonio videbimus. Crimen illud capitale fuisse ostendunt viri docti, tum Pediani auctoritate, tum exemplis quibusdam. Pedianus quidem ad ea verba Verrinæ III, « Avaritiæ supplicio communi », subjungit: « Æstimatione litis, et exsilio », cum pecuniaria pœna exsilium quoque conjungens; constat autem, C. Catonem, P. Rutilium, C. Verrem, A. Gabinium, repetundarum damnatos exsulasse: quibus et Cn. Dolabella a Scauro accusatus addi potest, sicut est in Verrinis, et C. Antonius, de quo infra. Plurima tamen argumenta sunt, quæ me invitum pæne, ac reluctantem in contrariam partem prope-

modum pertrahant. Primo narrat Valerius, lib. IX, L. Lentulum consularem damnatum repetundarum, censuram postea populi suffragiis obtinuisse. At, inquiunt, posteriores leges Acilia et Servilia crimen esse capitale jusserunt, quum antea non esset; audio, sed illud verisimile non videtur, nullam a Cicerone ejus rei mentionem factam fuisse, quum tam multos hujusmodi reos defenderit; et aliquod est præjudicium in adversarios, si concedatur crimen illud aliquando capitale non fuisse. Secundo, Verrem non exsulasse, refert Plinius lib. XXXIV, cap. 2, quem proscriptum dicit a M. Antonio triumviro eam ob causam, quod illi vasa quædam Corinthia dono dare noluerit; Verrem autem repetundarum damnatum nemo inficiatur. An enim dicendum, exsules etiam, nedum cives rom. proscriptione triumvirali fuisse perculsos? Tertio, lib. I ad Herennium, hæc habet Cicero, aut quicumque tandem illius auctor est: « Lex vetat, eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in concione orationem habere; altera lex jubet, augurem in demortui locum, qui petat, in concione nominare ». Respondet Manutius, rhetorem ad veteres leges, et jam abrogatas, non ad posteriores, quibus pœna capitis inflicta est, respexisse; cujus ego conjecturæ non adquiesco. Cur enim, quum aliæ multæ suppeterent, exemplum ex abrogata lege desumpsit? Cur legem Calpurniam de repetundis jam abrogatam cum Domitia de sacerdotiis, quæ manebat, temere conjunxit? Cur de lege, quæ nulla erat, quippe e rep. sublata, *Vetat*, inquit, non *vetabat*, ad tempus præteritum significandum? Præterea, si lex Acilia crimen repetundarum capitale fecit, ut adversarii contendunt, et eadem Acilia ante Serviliam lata est, ut constat ex Verrina III, sequitur, Calpurniam legem per hanc alteram Aciliam abrogatam fuisse, antequam Domitius jus creandorum sacerdotum a collegiis transferret ad populum; tum vero Cicero loco laudato duas contrarias leges allaturus, perperam commemorasset Calpurniam, « Ne damnatus de repetundis in

concione orationem habeat », et Domitiam, « ut Augur nominet in concione, qui petat in demortui locum »; quum jam lex Calpurnia nulla esset, suffecta in ejus locum Acilia, ubi vigere cœpit Domitia lex de sacerdotiis. Demum Philip. II, de C. Antonio : « De quo ferre, quum de reliquis ferres, noluisti; quem etiam ad censuram petendam impulisti »; nondum restitutus (1), Romæ adhuc erat C. Antonius, in senatum veniebat, petebatque censuram. Quæ quum ita sint, atque ex altera parte Asconii testimonium, et allata pleraque exempla magnum pondus habeant, omnem dubitationem tollet una distinctio. Postquam judices quempiam damnaverant repetundarum, rursus accusator, et reus jam damnatus, de litis æstimatione apud eosdem judices certabant; qui tum poterant, altero quasi judicio constituto, vel capitalem, vel pecuniariam tantum pœnam infligere, ut iis opus esse videbatur. Oratione pro Cluentio,

(1) Immo jam restitutum a Cæsare C. Aotonium potat Abramius ad eum locum Philip. II, 38, quem omnino consule hac tota de re cum Ferratio sentientem, quique adeo erat ipsi Ferratio consulendus. Sed mihi quidem videtur Tullius eo loco diserte tradere, M. Antonium qua lege exsules revocavit, ea patruum suum Caium exsulantem restituere noluisse, ut postea restitutum dicere oporteat. Nam hæc certa esse videntur, C. Antonium exsulasse, et restitutum fuisse. De illius exsilio testatur Cicero tum ibi, tum aliis locis, et potissimum in Vatin. cap. 11 : « Ac nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris, et fratris sui, fratrisque filiam non in familia, sed in carcere collocatam audire maluit, quam videre ». Quo ex loco Abramius consequi existimat, exsilium ab Antonio vitari aliqua ratione potuisse. Ego vero ita intelligo, miseriam exsilii sui hac una re Aotonium consolari, quod minore molestia res illas audiverit, qoam visurus fuisset. Utriusque rei, quam affirmavi, testis est locuples etiam Strabo lib. X, p. 455, ab Abramio l. c. prolatus. Non erat itaqoe Romæ C. Antonius, sed absens censuram petere cœpit, si Manutio crediderimus. At hæsit merito vir summus, quum legit apud Tullium eodem Phil. II capite, C. Antonium in senatu fuisse kal. januariis, quibus M. Antonius cum Cæsare iniit consulatum. Quomodo enim posterioris illius legis ope indigebat, si hoc verum est? Nodum non dissolvit, quum potet, Abramius. Forte igitur, fratris filio cos. designato, redierat, nulla tamen lege, ut tuto quidem, sed non jure Romæ illi esse licuerit, quod Strabonis verba, καθόδου τυχὼν, pati aliqoo modo possunt. Sed res est periocerta in medio relinquenda. GARATONIUS.

c. 41 : « In litibus æstimandis fere judices, aut, quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putant esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt; aut, etc. » Si lis capitis illata in eum, qui repetundarum jam fuerat damnatus, a judicibus poterat non admitti, et plerumque non admittebatur, non semper crimen illud capitale erat; prosequitur : « Itaque et majestatis absoluti sunt permulti, quibus damnatis de pecuniis repetundis lites essent æstimatæ ». Sæpe multati pecunia majestatis, hoc est, capitis pœnam evaserunt. Paullo post de Scævola repetundarum damnato : « Omni contentione pugnatum est, ut lis hæc capitis æstimaretur »; poterat igitur a judicibus condemnari capitis Scævola : « Quæ res si rei judicatæ pondus habuisset, ille postea vel aliis inimicis reus hac lege ipsa factus esset ». Hic P. Septimius Scævola damnatus est de repetundis, Cicerone teste Verrina II; potuerat ei lis inferri capitis, ut omni contentione ab accusatore certatum est : sed lis capitis illata ab accusatore non fuit admissa, et pecunia multatus civitatem non amisit, mansitque Romæ; quum potuerit alia lege vocari in judicium, exsul autem qui esset nequaquam vocari in judicium posset. Jam vero objectorum solutio in promptu est : nam et Asconius geminam pœnam crimini repetundarum attribuit, quia utraque pendebat ab arbitrio judicum; et multi damnati eo crimine exsulasse leguntur, quia lis capitis in eos illata, a judicibus fuerat admissa. Præcipue C. Cato consularis, cui lis æstimata est tantum H-S XVIII millibus, referente Cicerone in Verrinis, in altero illo judicio, quum de litis æstimatione certarunt, majestatis, hoc est, capitis condemnatus est, adeoque in exsilium pulsus ab iratis judicibus, qui ejus culpa, et amissas legiones, et diminutam fuisse imperii majestatem putabant, bello contra Scordiscos improspere gesto. Neque vero abnuerim, alios quosdam exsulare coactos, licet non damnatos capitis, quia solvendo non erant, ut Gabinium, ac Dolabellam; nam Verres, qui septuagies tantummodo exigi jussus est, ex

Asconio ad Verrinam II, potuit summam illam solvere, et civitatem, quodque illi reliquum erat bonorum retinere; idemque de Antonio sentiendum, quum tamen uterque damnationis ipsius infamiam, et si quæ aliæ pœnæ erant præter exsilium, non effugerit (1).

Quod attinet ad alteram partem, C. Antonium, quem in consulatu, sicut etiam in prætura, collegam habuerat, sociis pecuniam per vim abstulisse, scribit Cicero, Epist. 12, lib. I, ad Atticum, quum ita queratur: « Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, et a me custodem communis quæstus libertum esse missum »; eumdem etiam copias trucidandas hostibus objecisse, quum ipse turpiter fugerit cum equitatu, Dio tradit lib. XXXVIII, quod unum erat ex majestatis criminibus. Hinc et a Cœlio de majestate, et a Maximo accusatus est de repetundis: utram ille causam dixerit, non est manifestum; reliqui fere

(1) Quum Antonium, ut diximus, exsulasse constet, quærendum est potius, quale illius fuerit exsilium. Accusatum de repetundis non fuisse, ostendimus ad cap. 38 pro Flacco, sed, Ferratio repugnante, de vi publica, hoc est, de conjuratione, ad cap. 33 pro Sulla. Leges autem Cæsaris jussisse, ut de vi publica, itemque de majestate damnatis aqua, et igni interdiceretur, tradit Cicero Philip. I, 9. An hoc Cæsar ex superioribus legibus tralatitium habuerit, an perpetuum antea quoque fuerit, non disputo. Fuit quidem ante has Cæsaris leges damnatus Antonius. Si Dioni credimus, non potuit de conjuratione convinci: sed damnationem subiit, propter crimina Macedonica, quæ ad legem, qua postulatus fuerat, non pertinebant. In his erat etiam crimen majestatis, sed vel præcipuum erat expilatio provinciæ, ut Juvenalis locus a Ferratio infra productus ostendit. Quamvis itaque negari non possit, potuisse illum exsilio multari, nimis tamen severum hoc videatur. Quidquid sit, illud libenter exsilium C. Antonio tribuo, quo graviores certe pœnas vitare illum oportuerit: nam litium æstimatio non vitabatur exsilio. Qui autem ea tantum pœna, et senatorii ordinis amissione multabantur, Romæ manebant, neque voluntarium exsilium sibi præterea irrogabant ipsi. Quod si etiam ab urbe secederent, numquam exsulare putabantur, ut qui sponte, majores pœnas, atque ipsam ignis, et aquæ interdictionem subterfugientes, solum vertebant. C. Verri quoque aqua et igne interdictum fuisse non videtur: qui tamen cur aut adhuc exsul ab Antonio proscribi non potuerit, aut ab eodem antea, lege illa, de qua Phil. II, 38, restitutus, quod est probabilius, non intelligo. GARATONIUS.

omnes hanc Cœlio palmam concedunt; ego dederim Maximo. De utroque Cicero non eodem loco, in ea pro Cœlio, c. 32: « Neque enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo remp. violatam diceret, in judicium vocarit, ipse esse in rep. civis turbulentus »; cur vocatum in judicium Antonium a Cœlio, non item damnatum commemorat, quod ei multo gloriosius fuisset? In Vatinium, c. 11: « Dices familiaritatem tibi fuisse cum Q. Maximo, præclara defensio facinoris tui; nam Maximi quidem summa laus est, sumptis inimicitiis, suscepta causa, quæsitore, consilio delecto, commodiorem inimico suo contentionem rejectionis dare noluisse ». Qui causam susceperit, quæsitorem, consiliumque delegerit, judicum rejectionem fieri noluerit; videturne inimici nomen tantum detulisse, an ipsam etiam accusationem peregisse? Quamobrem Juvenalis, Sat. VIII, 105 seqq.

Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres, referebant navibus altis
Occulta spolia, et plures de pace triumphos.

Poeta mentionem Antonii fecit, non quia senatu motus fuerat a censoribus propter spoliatam Achaiam, ut opinatur Farnabius; sed quia repetundarum damnatus fuerat a Q. Maximo æque, ac Dolabella a M. Scauro, Verres a M. Tullio. Sæpe fieri solebat, ut idem pluribus eodem tempore legibus interrogaretur, qui si in primo, quod de eo exercebatur, judicio damnaretur præsens, dicta jam causa, in reliquis absens damnabatur. Gabinium absolutum de majestate, damnavit Memmius de repetundis; Milo apud Asconium præsens damnatus de vi lege Pompeia, postero die damnatus est etiam de ambitu, et post paucos dies de sodalitiis, iterumque lege Plautia de vi, quum absens esset. C. Antonio idem contigit, ut victus a Maximo in judicio repetundarum, et ea lege damnatus, absens deinde condemnaretur a M. Cœlio de majestate; non tamen in exsilium ire coactus, quod absentes damnati non eamdem, ac reli-

qui fortasse pœnam subirent; vel certe accusationem suam Cœlius abjecit, ubi vidit inimicum de repetundis condemnatum.

In Cœliana hoc præterea habetur de C. Antonio, c. 31: « Cui misero præclari in remp. beneficii memoria nihil profuit; nocuit opinio maleficii cogitati ». Inde colligit Manutius, damnatum a Cœlio fuisse C. Antonium, quippe conjurationis participem, et contra opinari Dionem tradit (1): quæram statim de crimine, et causa damnationis, neque omittam respondere de Dione. Quum duo fuerint accusatores Antonii, Q. Fabius Maximus, qui de repetundis, et M. Cœlius, qui de majestate nomen illius detulit; quumque reus semel in judicio capitis (voco judicium capitis, non cujus pœna esset exsilium, ut supra, sed in quo ageretur de fama, fortunisque alicujus) præsens damnatus, salute jam desperata, adesse iterum negligeret, si apud alios præ-

(1) Manutius eo loco negare videtur, quod Dion affirmat, C. Antonium conjurationis participem creditum non fuisse. Quod si ea de causa damnatus fuit, qua fuit a Cœlio in judicium vocatus, ut ex Tullio Manutius deducit, minus mirum ejus erit exsilium, de quo supra quæsivimus. Ceterum ipse Manutius, ad c. 11 in Vatin. duplex Antonii judicium fuisse statuit, alterum conjurationis, de quo etiam Dionem allegat; alterum repetundarum ex eadem epistola 12 lib. I ad Atticum, quam supra citavit Ferratius. Sed hoc tantummodo ex eo loco, et altero Juvenalis conficitur, maxime insignem Antonii fuisse in cogendis pecuniis avaritiam, flagitiosamque cupiditatem. Itaque licet existimare, crimen pecuniarum captarum in eum fuisse subscriptum, quo de more Ferratius, nosque alibi monuimus: præsertim quum judices hoc etiam crimen in eo damnando secutos, ex Dione facile colligatur. At aliud est, nominatim aliquem repetundarum accessere, atque integram ejus rei accusationem instruere, quod probabilibus sane de causis in Antonio factum negasse mihi videor ad c. 38 pro Flacco. Creditum etiam a nonnullis fuit, legem Vatiniam de alternis consiliis rejiciendis ad unum spectasse repetundarum judicium: quam in sententiam celeb. Ernestius ivit in Legum Indice. Hoc si verum esset, Antonium certe repetundarum accusatum oporteret ex l. c. in Vatin. existimare. Sed eo loco nihil dicitur, quominus legem Vatiniam ad omnia publica judicia universe pertinere credamus: neque ullus est mihi notus illius sententiæ auctor idoneus. Me itaque Dionem sequi non pœnitet, qui Antonium negat alia lege, quam de vi publica, postulatum fuisse. Garatonius.

tores etiam postularetur, ut paullo ante dictum est, nisi abjiceret accusationem adversarius; necessario consequitur, accusatorum alterum detulisse quidem Antonii nomen, non autem ad accusandum accessisse; alterum et detulisse nomen, et accusationem ipsam peregisse. Jam vero ex oratione in P. Vatinium ostendi, Q. Maximum eum fuisse, qui quæsitore, et consilio delecto, et rejectione reo denegata, utrumque præstiterit, et Antonium repetundarum damnaverit; Cœlium proinde in damnatum, et absentem, eloquentiæ suæ periculum facere non potuisse. Cicero ipse hoc idem innuere videtur: qui, licet in eo sit assiduus, ut Cœlii facundiam summis efferat laudibus, nihil tamen de tam celebri accusatione commemorat, c. 19: « Audistis, inquit, quum pro se diceret; audistis antea, quum accusaret (patrem Atratini de ambitu accusaverat) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum, atque verborum, quæ vestra prudentia est, perspexistis »; cur non et illud addidit: audistis, quum triennio ante accusaret Antonium? hoc erat reipsa præclarum, damnato reo; et eo magis gloriosum, quod illo tempore specimen sui hujusmodi dedisset, quo libidinose, et luxuriose vixisse arguebatur. Sed fuerat Cœlii maxima laus, quum hominem consularem, delato nomine, accusavit, sors ita tulerat, ut post actam a Maximo causam, nulla ipse oratione uti posset. Hujus disputationis conclusio talis est: Si damnatum C. Antonium repetundarum fatemur a Q. Fabio; ergo neque damnationis causa transferri potest in crimen seu conjurationis, seu proditionis, hoc est, majestatis; neque ea verba Ciceronis: « Cui nocuit opinio maleficii cogitati », referuntur ad accusationem Cœlii, quæ peracta non fuit, sed ad Fabii actionem de repetundis. Deinde, illud æque perspicuum est, omnes, quicumque conjurasse cum Catilina dicebantur, causam de vi publica dixisse lege vel Plautia, vel Lutatia, quod negari non potest, si qua Ciceroni ac Sallustio sit fides; at de majestate accusatum

fuisse Antonium a Cœlio, quis non affirmat (1)? cujus quæstionis proprium crimen non erat conscientia conjurationis; quumque Cœlius acerbiori lege Lutatia postulare illum posset, numquam præoptasset mitiorem de majestate. Quæris, quo modo opinio maleficii cogitati nocuerit Antonio? In eadem Cœliana fit mentio M. Camurtii, et C. Esernii, qui damnati fuerant de vi, de quibus hæc subjungit orator, c. 30: « Qui quamquam lege de vi certe non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur » : ad cujus sententiæ normam ita paullo post ibid. Cœlii innocentiam tuetur : « Cui neque proprium quæstionis crimen objicitur », ut sit a juratis judicibus necessario damnandus; « nec vero aliquid ejusmodi, quod sit a lege sejunctum, et cum vestra severitate conjunctum », ut in odium aliorum facinorum damnari utcumque jure possit. Accusator ablatas a sociis contra leges pecunias repetebat, quod erat proprium crimen quæstionis; absolutus fortasse Antonius fuisset crimine repetundarum, nisi ea opinio præoccupasset animos judicum, conjurasse illum cum Catilina. Quamobrem illa verba de Cœlio, cap. 7: « Hoc dico; non modo si socius conjurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, numquam conjurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset »; indicant, eum a Cœlio fuisse de majestate accusatum, quem opinio erat, cum Catilina de evertenda patria cogitasse. Duo scilicet inter se conferuntur, memoria beneficii in

(1) Quis tandem affirmat? Nemo certe scriptorum veterum. Sed affirmant plurimi recentiorum, qui majestatis nomine vim publicam tamen intelligunt. Hi scilicet in errore illo communi versantur, quem refutavit ipse Ferratius ad argum. pro Sulla et pro Cœlio. Quamquam enim Cicero in Cœliana, c. 29, legem Lutatiam de vi publica dicat « ad majestatem pertinere »; et Philip. I, 9, crimen utrumque conjungens, « qui majestatem populi romani per vim minuerit », atque ista vere dicantur; tamen compertum est plane, duo hæc fuisse crimina, legibus, judiciis, actionibusque distincta: ut jam nihil ex alieno errore, veraque judiciorum distinctione hoc loco liceat Ferratio colligere. Garatonius.

remp. collati, quum armis Catilinam oppressit, et opinio maleficii cogitati, quod putaretur consensisse cum Catilina; illud infirmare accusationem debuerat; sed hoc alterum potius, quum plus apud judices valuisset, totam defensionem evertit. Quo enim nomine vocabatur a Cœlio in judicium Antonius? « Quod ab eo remp. violatam diceret », quod legiones in Macedonia trucidandas hostibus objecisset. Conjurati non violaverant remp. at de ea violanda cogitaverant; diminuta imperii majestate, resp. læditur. Oratione pro Flacco, c. 38: « Oppressus est C. Antonius; esto: habuit ille quamdam infamiam suam; neque tamen ille ipse (pro meo jure dico) vobis judicibus damnatus esset, cujus damnatione sepulcrum L. Catilinæ floribus ornatum hominum audacissimorum, ac domesticorum hostium conventu, epulisque celebratum est : justa Catilinæ facta sunt ». An, si Catilinariæ conjurationis nomine periisset, justa Catilinæ facta illius damnatione putassent? habuit scilicet quamdam infamiam, qua oppressus, repetundarum damnatus est; infamia stupri Vettiani effecerat, ut Camurtius, et Esernius damnarentur de vi; et patefacta conjuratione, non modo Antonium, sed P. Sullam, C. Cæsarem, M. Crassum hæc ipsa attigit infamia. Vis ipsa verbi notanda est. Cicero: « Qui istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem est aspersus »; si nemo in suspicione damnandus videtur, multo minus infamia. Nunc demum, quæ sit Dionis sententia, videamus; postquam enim lib. XXXVIII male administratam ab Antonio provinciam retulit, proditasque pedestres copias, quum ipse fugisset cum equitatu, subjicit: « Neque tamen his de causis in judicium pertractus, sed quum Catilinariæ conjurationis conscius accusaretur, ob prædictas res damnatus est » : ex quo apparet, idem illum cum Manutio, non diversa sensisse; adeoque utrumque simul hactenus confutavimus. Ferratius.

IN

M. T. CICERONIS

QUATUOR SEQUENTES ORATIONES

PROLEGOMENA.

Quum jam orationum hanc seriem attigimus, quæ Ciceroni a nonnullis abjudicantur, operæ pretium videtur de re pauca disserere, quæ, quamvis apud Germanos omnino acta ac profligata sit, nostrum plerisque aut ignota, aut certe dubia nunc etiam superest. Neque nobis illud in animo est de controversia hac omnino sententiam ferre, et universa in utramque partem recitare, quæ ad causam pertineant; qui plenus tædii labor in immensum excresceret volumen; et Ciceroniani operis seriem gravi digressu interturbaret; verum litis acta ex Schütziö desumpta in unum eumdemque brevem orbem colligemus, et subjectis præclarissimis ea de re J. V. *Leclerc* animadversionibus, qui paucis paginis, quo est ingenio et doctrina, quæstionem totam amplexus est, rem prorsus in medio legentibus judicandam relinquemus, si qua tamen eis dubitatio supersit.

Postquam *Conyers Middleton* commentarium suum de vita M. T. Ciceronis ediderat, an. CIↃIↃCCXLI Jacobus Tunstallus epistolam ad eum scripsit, ita inscriptam: « Epistola ad virum eruditum *Conyers Middleton*, vitæ M. T. Ciceronis scriptorem, in qua ex locis ejus operis quam plurimis recensionem Ciceronis epistolarum ad Atticum et Q. fratrem desiderari ostenditur, de illarum vero quæ Ciceronis ad Marcum Brutum, Brutique ad Ciceronem vulgo feruntur Epistolarum αὐθεντία nonnulla disseruntur. Auctore

Jac. *Tunstall* coll. Div. Joan. Cantab. Socio et Academiæ Oratore. Accedit Jo. *Chapman* dissertatio chronologica de ætate Ciceronis librorum de Legibus. Cantabrigiæ, ap. Guil. *Thurlbourn*, 1741 ». In hoc libro, post varias de epistolis ad Atticum et Q. fratrem animadversiones partim historicas, partim criticas, aggreditur disputationem de epistolis, quæ vulgo dicuntur a Cicerone ad M. Brutum et a M. Bruto ad Ciceronem scriptæ, easque utrique viro suppositas esse, partim e genere scribendi, partim e rebus falso narratis, et genuinorum Cic. librorum testimonio repugnantibus demonstrat. Huic epistolæ Middlet. an. 1743 opposuit istarum epistolarum versionem Anglicam, præmissa dissertatione qua eas Ciceroni et Bruto vindicare studuit (Præfatory dissertation to the Epistles of M. T. Cicero to M. Brutus). Tunstallus vero, ut ejus defensionem infirmaret an. 1744, hunc librum edidit : « Observations on the present Collection of Epistles between Cicero and M. Brutus, representing several evident marks of forgery in those Epistles, and the true state of many important particulars in the life and writings of Cicero. In answer to the late pretens of the reverend Dr. Conyers Middleton. By James Tunstall B. D. Fellow of M. John's college and orator of the university of Cambridge. To which is added a letter from the reverend Dr. Chapman on the ancient numeral characters of the roman legions. London, printed for J. and P. Knapton, etc. MDCCXLIV ». Sequutus est Jer. Marklandus, qui anno sequente edidit librum sic inscriptum : « Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus, and of Brutus to Cicero in a letter to a friend. With a dissertation upon four Orations ascribed to M. Tullius Cicero, viz. 1° ad Quirites post reditum; 2° post reditum in senatu; 3° pro domo sua ad Pontifices; 4° de Haruspicum responsis. To which are added some extracts out of the notes of learned men upon those Orations, and observations on them. By Jer. Markland Fellow of St. Peter's college Cambridge. London, printed by M. Cooper

MDCCXLV ». Ac de priore Tunstalli epistola expositum est in Actis eruditorum Lipsiensibus an. 1747, p. 407, seqq. de Marklandi autem libro ibidem an. 1753. Et hujus quidem censuræ auctor initio statim : « Jeremias Marklandus, inquit, edito hoc libro tam acute docteque et solide νοθείας convicit illas epistolas, et simul quatuor in titulo libri citatas orationes, ut non putemus fore quemquam nisi aut stupidum, aut contentiosum hominem, qui de impostura porro dubitare velit». Idem his verbis censuram finit: «Tempus docebit num aliquis vir doctus ad solidissima hæc et acutissima argumenta et ἀφύκτους νοθείας ἐλέγχους responsurus sit, aut respondere valeat». Cujus quidem sententiæ auctor non omnino Ciceronianum dicendi genus callere se demonstrabat.

Itaque his minis non deterritus, ecce exortus est in Germania vir magni nominis Jo. Matthias Gesnerus, qui causam harum orationum, quæ censori in Actis Eruditorum prorsus desperata videbatur, susciperet, habitis in societate regia Scient. Goetingensi aliquot prælectionibus, insertis tomo tertio commentariorum ejusdem societatis, p. 223-284, et sic inscriptis : «Jo. Matthiæ Gesneri Cicero restitutus». In hac igitur commentatione de epistolis ad Brutum longiorem ait esse fabulam, disputationem impeditiorem, a se quidem nondum ita excussam et exquisitam, ut abscisse pronuntiare audeat, nisi quod sufficere sibi hactenus videatur Middletoniana defensio, ut nova opera ne valde quidem opus sit. Orationes autem quatuor istas post Reditum in Senatu, ad Quirites, pro Domo sua et de Haruspicum responsis ita pertractat, ut eas adversus Marklandi reprehensiones defendere, et tamquam genuinas Ciceroni vindicare studeat. Ac Gesneri quidem sive auctoritas, sive argumentorum species hanc vim habuit, ut postea, in Germania quidem, nemo esse videretur, quin rem a Gesnero extra omnem dubitationis aleam esse positam existimaret. In primis Jo. Aug. Ernestius, qui Ciceronis opera bis ex Gronovii, deinde e

sua ipsius recensione edidit, nusquam ejus controversiæ mentionem fecit, atque in Fabricii Bibliotheca Latina a se cum accessionibus suis edita, tom. I, p. 161, ad orationes post reditum prorsus nihil de ea adnotavit; ad orationem pro Domo, satis pro imperio et parum accurate sic pronuntiat: « Spuriam judicat Tunstallus, cujus dubitationes sustulit J. M. Gesnerus »; et ad orationem de Haruspicum responsis: « Hanc quoque, inquit, spuriam putat Tunstallus, cui respondit idem »; perinde quasi Gesnerus Tunstallo, non Marklando respondisset. Quod tamen erratum ejus transcripserunt, nihil monitis lectoribus, editores Bipontini.

Itaque in priorem dignitatem restitutæ orationes solitum locum apud Ciceronem obtinebant, quum anno hujus sæculi primo Frid. Aug. Wolfius acerrimi vir et audacissimi ingenii, causæ, quæ ab omnibus deserta esse putabatur, denuo patronum se tulit, libroque quem Larchero nostro dedicavit, quatuor orationes edidit hoc titulo : M. Tullii Ciceronis quæ vulgo feruntur orationes quatuor, 1° post Reditum in Senatu; 2° ad Quirites post reditum; 3° pro Domo sua ad Pontifices; 4° de Haruspicum responsis. Recognovit Wolfius Berolini 1801; quo in volumine primum suæ præfationi Marklandi et Gesneri præfationes, deinde amborum in utramque partem animadversiones, una cum sua sententia subjecit. Neque statim bene alteri Aristarcho successit, quum ei plurimi tum falsas aut inanes animadversiones, tum dicendi genus durum nec ita latino sermoni consentaneum, tum maxime atrocem arrogantiam objicerent. Verum nonnulli postea viri docti probaverunt, in primis Beckius, Schützius, et Orellius, quos omnino in hujus magistri verba jurare non piguit.

Jam successu ferox Wolfius, tam feliciter expertas artes in aliam orationem vertit, multo sane expugnatu difficiliorem, sed quæ vincenti pulchriorem laudum copiam præstaret. Quamvis enim oratio pro M. Marcello a plurimis præconio singulari ornata semper esset, hanc eodem, quo

post reditum orationes, subruere modo aggressus est, et quod ad Germanorum nonnullos pertinet, evicit. Non defuere tamen qui inauditum illum audaciæ impetum retunderent; inter primos exstitit B. Weiskius, qui tamen ita Ciceroni orationem pro Marcello vindicavit, ut hanc pro Ligario omnino notham et pessimi declamatoris opus esse assereret. Mirum sane et ferme ridiculum ingenii humani errorem, quum nulla jam res ab illo furore inviolata esse possit, et jam unam e Philippicis Wolfius, pro Archia poeta Lipsiæ anonymus ut notham designaverint; nisi forte dum Cic. opera et laudem miris laboribus augent Itali, eidem detrahere falsis opinionibus Germani æquum censeant. Qua quidem omnia tentandi et labefactandi prurigine pessime illi de literis merentur; quum jam apud eos Plato fere nullus supersit; et ei abjudicet Ionem alius, alius Critonem, Socratis defensionem, de Legibus, Menexenum, etc. Quid enim, judice grammatico, codicum auctoritas, omnium ætatum, populorum, doctorum virorum admiratio? Namque ex grammatici arbitrio pulcherrima veterum opera pendebunt, qui quo anno verbum viguerit, quo defecerit, ex cathedra pronuntiet; qui quibus vocabulis, quibus sententiis veteres usi sint, se modum imponere æquum censeat, et auctores brevissimis circumscribat terminis, quos ne excedant!

Quamquam enim ex barbarie renascentibus decimo quinto sæculo literis, nonnulla apparuerunt, quæ quasi genuini Ciceronis fœtus docti circumferrent, ut in falsam Sallustii invectivam responsio, quinta Catilinaria, oratio ad populum et ad equites antequàm iret in exsilium; quæ verecundia est cum ineptissimis illis scioli cujusdam commentis quatuor illas orationes conferre, quæ ut sæpe facundum, ita semper elegans dicendi genus præ se ferunt, et antiquitate consecratæ esse declarantur? Et quidem illi non semel contra historiam peccasse auctorem contendunt: quam multa autem vel Ciceronis ævo facta, nondum criti-

corum face collustrari potuerunt? Quasi non sæpius ingenio et moribus facta accommodaret orator, nec ipse responderet Cicero in Cluentiana! « Errat vehementer si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illæ orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum, etc.»

Notha existimabitur oratio pro Murena, quod cap. 29 non apud *imperitam* multitudinem verba facere profiteatur, quum contra de Finibus, IV, 27, se apud imperitos pro Murena dixisse contendat. Quod si hanc inconstantiæ suspicionem veritus esset Cicero, numquam orationes edidisset, quum in Pisonem et Antonium gravis morum censor, idem pro Cœlio vitia excuset; quum Vatinium acerbissima persequutus oratione, biennio post defenderit; quum Catilinam ipsum defendere cogitaverit?

Quod ad excutiendum dicendi genus attinet, dicam quod sentio. Non ita eleganti sermone Marklandus et Wolfius utuntur, ut omnino de re tam difficili optime judicare et Ciceronianæ latinitatis gustum tenere videantur. Immo iis quibus a pueris imbuti sunt opinionibus sæpius parent, dum illud tantum pro latino ducunt, quod apud alios auctores occurrit; quodcumque autem propriam linguam aut minus, aut nimis multum refert, illud Ciceroni abjudicant, quasi non sæpius apud eum invenirentur peculiares dicendi modi, qui aut ad ipsum unum, aut ad linguæ usum pertinent, aut etiam ad recentiores manaverunt. Declamator, inquit Schützius, verba ea post Red. in Sen. cap. 15: « Italia cuncta pæne suis humeris reportarit », a Plutarcho in Cic. 43, et Macrobio, Saturn. II, 3, mutuatus videtur. Illud certe addere decebat periodum totam ex Asconii in Cæcilium, cap. 6, scholiis ab auctore declamatiunculæ pro Marcello desumptam. Quod quum eos prædicare puderet, satius eis visum est, si Asconium reprehenderent, quod illud opus Ciceroni tribuerit; qui tamen commentator quum paullo

post Ciceronem vixerit, et genuina ejusdem auctoris a falsis operibus discriminare studuerit (orat. in Tog. cand.), nobis veniam hanc concedi æquum censemus, qui cum illo et apud recentiores cum elegantisssimis scriptoribus Politiano, Vida, Sannazaro, Mureto, Scaligero, Juvencio errare maluerimus, quam cum iis sapere, qui, ut summa eruditione pollent, ita elegantissime scribendi laudem ne ipsi quidem sibi vindicaverint.

Illud quoque animadvertendum censeamus ex illis dictis declamatiunculis quatuor inter se eodem cohærere vinculo, et ad Ciceronis reditum pertinere. Quas legentem et excutientem Marklandum mihi videre videor, qui, quum sæpius laudato consulatu, victo Catilina, servata patria, etc. aures gravarentur, jam priores duas orationes rhetoris exercitationem habuerit; et quum in sequenti declamatoria vis, quod vere est in novissima, Clodius iterum appareret; jam facta nulla historiæ auctoritate confirmata, phrases implicitas, non ita latina verba perspicere se arbitratur; et quamvis locum post Red. in Sen. omnino expresserit Mamertinus junior in Grat. Act. ad Julian. cap. 31, ubi ait « Nunc si tibi, imperator, parum ampla, nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quæso obtestorque te, ne meæ naturæ potius, quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum »; quamvis Cicero pro Plancio, cap. 30, partem quæ adhuc exstat recitari ad judices jubeat; quamvis e sequenti, ut elata et nobili, harmoniæ exempla hauserit Quintilianus, IX, 4, 107; quamvis orationem pro Domo verbo ad verbum recitent grammatici Aquila, Rufinianus, Priscianus et Servius, et extremam Asconius, eadem ruina et judicio quatuor illas involvit atrox censor.

Non quod negare velim, nonnullos esse locos in quibus vitium manifesto deprehendatur, nec ullos in alia oratione magis peccare aut variare codices. Libens etiam illud confitear, pannos aliquot a rhetoribus insertos ex orationibus

pro Sextio, in Pisonem, etc. aut fuse amplificatos. Mediam hanc viam ingressus est adolescens eruditissimus A. L. G. Jacob, edito pro summis in philosophia honoribus rite capessendis libello, quem sic inscripsit: « de oratione, quæ inscribitur pro M. Marcello, Ciceroni vel abjudicanda, vel adjudicanda Quæstio, novaque conjectura. Halæ, 1813 ». Temperamentum illud, quo minime oratio pro Marcello indiget, ad nonnullas orationum, quas Marklandus aggressus est, partes valere crediderim. Quod si quis tandem omnino eas Ciceroni abjudicet, eas certe æquali, ut peritissimo, ita ingeniosissimo tribuat necesse est. Verum vim illam, non solertia carentem; artem illam, qua ad populum loquens, Clodium non appellat, quod certe vitium declamator non effugisset, illud laudis studium, longam illam et magnificam amplificationem, qua præcipue ejus eminet eloquentia, illam singularem et reipublicæ et romanarum gentium peritiam, qua ad obscure facta alludit, quæ tantum in ejusdem literis indicantur, magis mirer, quam quædam aut minus vera, aut non semel dicta, quæ in glossatores aut grammaticos facile cadant. Hanc unam inire possum rationem, qua diversas opiniones inter se conjungam, aut saltem alteri non nimium favere videar.

Neque me fugit quantum eæ ex tempore scriptæ animadversiones quæstione sæpius agitata sint inferiores. Verum præterquam quod de ea vix apud nostrates nota opinione primus disseruit vir clarissimus J. V. *Leclerc*, ipsi fateantur necesse est non ita semper hujus sectæ magistros et auctores faventibus discipulorum rumoribus acquievisse. Non constat quid animi aut consilii fuerit Marklando, quum alius disputatione in risum et jocum versa, similibus criticæ legibus ad alia opera traductis, orationes Ciceronis pro Sulla, pro Milone, pro Cœlio, pro Murena, pro Flacco, duas ex Catilinariis, duos libros Tusculanarum, tum etiam duas Tillotsoni conciones, unam Atterburii labefactare et convellere tentavit. Neque sane Wolfium delectavit, quod unus

eodem ductus consilio, longa argumentorum serie invectivas Wolfii in Ciceronem non e Wolfio profectas demonstravit, qui non ita difficilis labor erat, quum vere inusitatæ observationes, et aut parum latine, aut barbare dicta apud Wolfium sæpius occurrerent. Ceterum ea dixisse satis est: nec ad legentes pertineat, si cum Wolfio quæramus « idemne sit Marcellianæ et reliquarum, an diversi auctores et plures », quos tamen quum ex unius opificis manibus, certe ex unius scholæ officina venisse declaret; non minime nobis favet, quippe facillime, si vacaret, neque illud alius reposceret locus, ex Cicerone profectam Marcellianam demonstraturis. Neque operæ pretium interrogantem eum audire « Romæne scriptæ sint, an in provincia; nam inscitiam rerum urbanarum, etsi minus provincialem quam romanum hominem dedecet, tamen etiam negligenti tardoque, in urbe degenti, imputari posse » (Wolf. pro Marcell. p. xxxix). Verum et illa satis jam longa oratio est, qua plura de re non disputanda disputavimus; si quis legentium plura velit, adeat scriptos commentarios; nos abunde fecisse rati sumus, si Marklandi et Gesneri præfationes huic nostræ supponeremus. Placuit argumenta fere tota ex Wolfio exscribere, utpote summa cura condita; et ejusdem ac ceterorum notis sæpius usi sumus, sed ita, ut paucissima in commentario de tota hac controversia in posterum diceremus. Ed.

MARKLANDI ET GESNERI

PRÆFATIONES

ANIMADVERSIONUM.

I. Absoluta disputatione de fide epistolarum Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem, aliud periculum nobis subeundum est, ultro quæsituris de auctoritate quatuor orationum, quæ communi doctorum consensu Ciceroni tribui, cum ejusque operibus ab omnibus editoribus conjungi solent. Loquimur de orationibus duabus post Reditum, pro Domo sua, ad Pontifices, de Haruspicum responsis. Quas quum dico mihi spurias et supposititias videri, id novum et admirabile accidet plerisque; quandoquidem tot eruditi, multiplici doctrina me longe superiores, per tot sæcula non modo nihil ejusmodi notaverunt, sed etiam a pluribus ac primi ordinis viris docte accurateque scripta ad illas, tamquam probas et Ciceronianas, commentaria habemus, in quibus nulla usquam hujus opinionis suspicio reperitur. Neque vero tantum recentioris ævi scriptores, sed ipsi quoque veteres Romani, sententiæ nostræ speciose objici possunt. Nam primum Asconius Pedianus, quem sub Augusti principatu vel non ita multo post vixisse ponunt, aliquot versus attulit ex una harum orationum, ea, quæ est de Haruspicum responsis; quam, si non pessimam omnium, certe reliquis nulla parte meliorem judico : tum hujus ipsius orationis alium locum fortasse respexit Quintilianus : deinde tertium quemdam ejusdem orationis locum totidem prope verbis legimus apud Valerium Maximum : denique quartum ab Arnobio excerptum : postremo illius,

quæ est ad Quirites post Reditum, quædam verba Ammianus Marcellinus ad usum suum convertisse creditur.

II. Enimvero si qui erunt, qui, quidquid ab vetere teste ut probum ac genuinum antiqui scriptoris opus laudatur, propter unam hanc causam pro tali habendum, nihilque præter eam auctoritatem spectandum et animadvertendum esse arbitrentur: ego nequaquam recusabo, quo minus, cognita illa professione, in caput meum statuant, quodcumque ipsis libuerit. Nihil habeo quod respondeam, nisi ut huic generi lectorum patientiam suam et gravitatem palati gratuler, optemque, ut ex legendis talibus libris quam plurimum voluptatis capere nullo tempore desinant: mihi vero animum confirmabo cogitatione eorum, qui me verum vidisse, re subtilius pensitata, quandoque judicabunt. Quippe non is ego sum, qui ullo meo facto cujusquam hominis libertatem et gaudia sollicitare vel atterere cupiam. Cum aliis mihi negotium est, qui, majore subtilitate judicii et eruditiore palato præditi, nihil temere probant et germanæ vetustati tribuunt, quod manifestis vitiis linguæ et sententiarum peccatisque historicis deformatum sit; cujusmodi peccata multa hactenus in istis epistolis indicavimus, atque nunc similiter in his orationibus arguemus. Tales, inquam, ego mihi lectores operam dare velim, iisque animadversiones meas expendendas tradiderim, qui didicerunt in hisce rebus recta ratione addubitare, instructique accedunt facultate latini sermonis et satis magna Ciceronis et veterum classicorum scriptorum omnino omnium familiaritate.

Jam quid illis eventurum sit, has orationes mecum tractantibus, palam aperteque prædicam, dum, quid ipse de iis in universum sentiam, declarabo. Nam si diligens et sæpius repetita lectio alicujus scriptoris nobis sensum formare et acuere potest, uti haud dubie potest, ad celeriter judicandum, quid intersit inter ejusdem scriptoris et aliorum scripta; minime dubito, quin, qui in Cicerone co-

gnoscendo diu multumque versatus sit, ingeniumque afferat idoneum diversis scripturæ generibus distinguendis, quum istas sumpserit in manus, sic integro animo lecturus, quasi eas numquam ante legisset, solaque conjectura earum auctorem assequi vellet, paucis paginis perlectis sensurus sit ac penitus intellecturus, quemvis alium quam Ciceronem auctorem earum esse oportere; interque eas et indubitabiles libros Ciceronis tantum differre, quantum inter hominem incorrupta sanitate et vigore atque inter eum, qui paralysi captus et debilitatus est. Sed animum, ut dixi, postulo integrum, nulla cupiditate corruptum, sine pertinacia sequentem, quocumque res ipsa ducat. Hæc prima lex esto, quæ, ut maxime necessaria, ita difficillima observatu erit ei, qui judex sedere in hac causa voluerit. Sic animo affectum nactus judicem, prælegerim brevem locum ex orat. de Harusp. resp. c. 27, ubi in Clodio intemperantia libidinis absurdissima comparatione notatur: « Quis minus umquam pepercit hostium castris, quam ille omnibus corporis sui partibus? » vel aliam, quæ statim sequitur, ejusdem venustatis comparationem: « Quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius ætas fuit? » ubi simul *ætas* præter consuetudinem latinam pro *adolescentia* usurpatur: vel denique ejusdem orat. c. 18, legerim hæc pæne humano sensu carentia: « An tibi luminis obesset cæcitas plus quam libidinis? » His, inquam, et similibus ridiculis sententiis demonstratis, hominem sibi relinquam, causamque integram ipsius existimationi permittam: et sua sponte, opinor, mecum fatebitur, his nihil inesse simile Ciceronis, immo omnes has ineptias longe infra sanam illius eloquentiam jacere; talesque esse, quas, undecumque petitas, ne puer quidem de schola, qui paullo erectiore indole sit et bona institutione usus, sine rubore pro suis venditare audeat.

III. At quum cogitamus, hæc et alia quam plurima ejusdem ineptæ affectatæque formæ specimina, quæ in istis

orationibus deprehendimus, non hodie primum legi a nobis, sed multorum ante nos elegantium spectatorum oculis lustrata esse, fieri vix ac ne vix quidem potest, quin animus noster ea re maximo opere sollicitetur. Etenim talis cogitatio facile nos inducit ut credamus, locos istos non modo lectos, sed accurate excussos probatosque fuisse Manutiis, Lambinis, Hotomanis, Græviis, aliisque editoribus: atque hic inauspicatus error repente obruit omnes suspiciones, et oculis nostris caliginem offundit, ut, quæ prius nobis evidentia erant, mox non amplius cernere videamur. Quantum enim nominum splendore superetur ratio et ipse cujusque sensus communis, experimur quotidie; idque etiam iis subinde usu venit, qui maximos in aliqua studiorum parte progressus fecerunt: denique obliviscimur, illos « summos quidem homines fuisse, sed homines tamen ». Accedit, quod non reputamus, ipsos quoque fortasse iisdem, quibus nos, rebus offensos fuisse, verum offensiones suas vel eodem solatio levasse, quo nos utebamur, quum difficultates rejiciebamus in literatos priorum temporum, qui nihil simile sensissent, vel ipsis eodem genere fraudis imposuisse aut titulos scriptorum librorum, qui Ciceronis nomen præferrent, aut antiquorum testium auctoritatem, a quibus aliquis illarum orationum locus pro Ciceroniano laudatus esset. Videlicet nulla est ætas, in qua non obnoxii erroribus simus, qui homines sumus. Nec vero ulla mala et inficeta scriptura ideo minus mala existimanda est, quod in codicibus inventa est ante septem vel octo sæcula exaratis, præscripto nomine Ciceronis; neque ullius literati aut sodalitii literatorum, sive antiqui, sive recentioris, consentiens vox nobis persuadere potest, aut Ciceronem esse inelegantem et ineptum scriptorem, tardum in inveniendo, affectatum in eloquendo, aut hunc, quo de agimus, auctorem quatuor orationum in ea classe censendum non esse. Mihi certe nullo pacto credibile videtur, hunc, qui orationes scripsit pro Milone, pro Cœlio, pro Murena, pro Plan-

cio, etc. eumdem scribere potuisse tres sententias istius vitiosi generis, cujus illa exempla sunt supra allata, ex magno numero similium sine cupido delectu excerpta. Quid? si Cicero ipse in scriptis suis easdem sententias laudasset, et pro speciminibus recte intelligendi politeque scribendi exhibuisset; quisquamne esset nostrum, qui quidem judicare posset, adeo serviliter addictus in viri maximi verba judicare, ut suum judicium non ab ipsius Ciceronis sejungendum putaret? Etenim omnibus et temporibus et locis eadem sunt præcepta rectæ rationis et perfectæ eloquentiæ; nec nostræ ætatis homines harum rerum minus idonei existimatores sunt quam veteres, etsi illi forsan in hoc genere acutius cernebant: verum tamen, si illa putanda sunt exempla *bene scribendi*, aut omnino ignorare nos necesse est, quid sit *male scribere*, aut, inversis et conturbatis judicandi legibus, exempla *male scribendi* petere oportebit ex reliquis Ciceronis scriptis, utpote quorum longe diversum genus est ab eo, quod in his orationibus conspicimus.

Quamobrem magnopere velim, ut, quisquis optimos linguæ latinæ auctores, nominatim Ciceronem, assidue tractarit et probe cognitos habeat, ita aliquando hanc lectionem aggrediatur, ut a nonnullis indubitatis orationibus illius transeat protinus ad quatuor istas, atque experimenti causa animum advertat, num lectione earum aliter afficiatur, ac si a Tillotsono ad Bunyanum, vel a carmine Popii de natura hominis ad Quarlesii emblemata sit progressus. Tametsi enim permagna pars harum orationum contexta est verbis et sententiis Ciceronianis, quæ ductæ sunt maxime ex orationibus pro Q. Sextio et in L. Pisonem: hujus scriptoris imperitia, et, ut ita dicam, sinisteritas hanc præclaram materiem tam male tractavit, tamque multa de suo admiscuit, ut universa operum forma vix umbram retineat artis Ciceronianæ, et ubique pravi ingenii sordibus oppleta sit. Ceterum quæ hactenus dixi de meo sensu, simpliciter et ingenue dixi, eaque libertate, qua unumquem-

que uti æquum est suo periculo; neque alios, ut meæ sententiæ adstipulentur, subigere et cogere volo; neque hujus rei faciendæ cuiquam jus est, neque etiam facultas, si causa apud probos et intelligentes judices agitur. Hos autem sicut non fugit, opinionem et auctoritatem nullius, ne doctissimi quidem, hominis plus valere ratione et vi argumentorum : sic eosdem sibi statutum et fixum habere oportet, vel unam ab infimo literatorum allatam probabilem dubitationem, unum gravius argumentum, priusquam responsum et satisfactum est, præponderare in altera lance positis meris opinionibus omnium Scaligerorum, Casaubonorum, Salmasiorum, ceterorumque, qui fuerunt umquam, summorum criticorum.

IV. Ne quis tamen erret, haudquaquam abnuerim, antiquas esse istas orationes : immo non multis annis post ætatem Ciceronis scriptas esse conjicio. Quare non dubitem earum auctoritatem sequi in historia rerum gestarum, nisi repugnante Cicerone, aut alio probatæ fidei scriptore; itemque in verbis et sententiis, nisi ubi manifestos errores et vitia ab auctore admissa consensus codicum ostendit, qualia par est imputari declamatoribus ejus temporis, quorum inscitiam rerum, frigidam ignaviam, putidum elegantiæ studium et corruptum judicium, jam ipso Augusteo sæculo, plures nobis testantur auctores illius et supparis ætatis. Neque vero ausim divinando indagare, a quo conscriptæ sint hæ orationes; siquidem nullum in iis reperio argumentum, quod nos ad verisimilem de ea re conjecturam ducere possit. Quis igitur fuerit auctor, nihil quærere attinet : hoc affirmo et omnibus viribus contendo, non fuisse Ciceronem; quamquam nonnullis rebus mihi intelligere videor, hominem fuisse externum, seu provincialem, h. e. eum, qui domicilium non habuit in Urbe. Cujus suspicionis quæ mihi indicia videntur, ea suo loco inferius annotabo.

V. Animadverti paullo ante, res et argumenta oratio-

num maximam partem sumpta esse ex egregia Sextiana, qua Cicero rationem reddit actionum et consiliorum suorum tum in causa Clodiana, tum in discessu suo ab Urbe; adeo nulla fere in istis est bona sententia, aut dictio, quam non in illa et adversus Pisonem invenias, præter paucos quosdam locos, qui ex tribus quatuorve aliis libris Ciceronis adumbrati sunt. Hic in primis operæ pretium est cognoscere declamatoris dementissimam temeritatem. Nam finguntur tres priores harum orationum a Cicerone habitæ intra spatium unius mensis primi a reditu, septembris an. U. C. 697. Atqui Sextianam illam, in qua pleræque res eædem recitantur, sequenti demum anno habitam esse, inter omnes constat. Igitur quum in hac Sextiana, c. 16, Cicero sic alloquatur judices: « Exponam hodierno die omnem rationem facti et consilii mei »: nolo commemorare, id perinde dictum videri, quasi non prius de eodem argumento publice verba fecisset, sed illud quæro et percontor, annon ii, qui pro Sextio dicenti adstabant, oratorem ita compellare deberent: « Supersedere potes, M. Tulli, isto labore; pulchre scimus, quæ nobis narraturus es; jam bis terve eamdem ex te fabulam audivimus anno proximo superiore »: certe ita secum cogitare debebat quisque auditorum, si istæ orationes ejusdem essent auctoris. Ergo necesse erit alterum sit de duobus, ut aut Cicero ipse has tres orationes, anno 697 habitas, mutuatus sit ex propria Sextiana, quam an. 698 dictam esse monui; aut (si hoc fieri non potuit), ut Sextianam composuerit ex tribus, quas habuerat anno priore, atque etiam in vulgus ediderat: nam duas saltem earum paullo post dictionem etiam editas esse, intelligimus ex orat. pro Planc. c. 30, et Epp. ad Att. IV, 2. Sed quum neutrum eorum, quæ posui, verisimile sit; alterum enim ipsa re tollitur, nec cogitari ullo modo potest; alterum ingenii Ciceroniani copia ubertasque dicendi nos credere non sinit: tertium reliquum est, ut declamator materiam suam, uni singulari anno congruentem, imprudenter

excerpsisse videatur ex oratione ea, quæ non nisi sequenti anno haberi divulgarique potuit.

VI. At primum et maximum harum orationum vitium est in eo, quod penitus carent nervis, et a principio usque ad extremum laborant molestissimo languore. Vix usquam apud verum Ciceronem legimus vocem supervacaneam, aut quæ nihil conferat ad vim argumentandi, vel ad ornatum et elegantiam. Quin iis quoque locis, ubi eum machinas rhetorum tractare videmus et arte efficere, ut in fraudem impellatur auditorium, numquam illud non ratione facit; nihil temere et inconsiderate molitur. Jam hunc personatum Ciceronem compares : raro ab eo affertur sententia, quin aliquot voces te offendant inutiles; raro locus paullo longior, qui non aliquot sententias habeat, in quibus exclamandum sit attento auditori, « Heus tu, quis locus nunc erat istis? » Sic ubique loquitur, sic garrit magister iste, velut otiosus; nullo certo consilio, quasi aliquid dicere cupiens, ut aliquid dixisse videatur; redditque plane illud genus eloquentiæ, quod ab Auctore ad Herennium appellatur « fluctuans et dissolutum. » Age ergo, ex hujus libro IV, cap. 2, adscribamus verba, ad propositum nostrum mirifice pertinentia : « Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt, errantes perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans et dissolutum, eo quod sine nervis et articulis fluctuat huc et illuc, nec potest confirmare, neque viriliter sese expedire ». Id genus cujusmodi sit, ibi simul hoc exemplo ostenditur : « Socii nostri quum belligerare nobiscum vellent, profecto ratiocinati essent etiam atque etiam, quid possent facere, siquidem sua sponte facerent, et non haberent hic adjutores multos, et malos homines et audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere ». De his, quæ multos hodie æquis auribus accepturos puto, memorabile judicium subjicitur : « Non potest hujusmodi sermo tenere attentum auditorem : diffluit

enim totus, neque quidquam comprehendens perfectis verbis amplectitur». Id vero quam recte animadversum sit, nusquam et frequentius et efficacius sentire licet, quam apud oratorem istum, quem patienter et alacriter ad finem audire, aut summæ vigilantiæ, aut summæ inertiæ esse arbitror. Specimina quidem illius *fluctuantis generis* apponere omnia, nihil aliud foret quam ipsas totas orationes repetere: unum tamen et alterum afferam, simile ejus, quod ex vetere artis auctore adscripsi. In orat. pro Domo sua, c. 14, loquens de Clodii adoptione, Fonteium, adolescentem, plebeium, componit cum Clodio patricio, illum adoptivum patrem sibi expetente: « Quæ major calumnia est, quam venire imberbem adolescentulum, bene valentem, ac maritum; dicere, filium senatorem populi rom. sibi velle adoptare; id autem scire et videre omnes, non ut ille filius instituatur, sed ut e patriciis exeat, et tribunus pl. fieri possit, idcirco adoptari? neque id obscure: nam adoptatum emancipari statim, ne sit ejus filius, qui adoptarit». Alterum exemplum accipe sublimioris eloquentiæ, positum ibidem c. 52, ubi interrogatur Clodius, cur tum, quum Ciceronis domum dedicaret, non consuluerit collegium pontificum, vel certe aliquem ex viris gravibus et auctoritate pollentibus, ut P. Servilium, ut M. Lucullum, qui cerimoniæ dedicationis rite præesset: « Quid diceres, o nefanda et perniciosa labes civitatis! Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi præeatis, postemque teneatis. Es tu quidem quum audacia, tum impudentia singulari: sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, quum te viri, qui sua dignitate personam populi romani atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis perterruissent, neque sibi fas esse dixissent, furori interesse tuo, atque in patriæ parricidio et scelere ». In his omnia sunt ex ingenio declamatoris, præter unam Ciceronis sententiam, « qui sua dignitate... sustinerent ».

VII. Aliud jam nobis attingendum est, quod pertinet in

universum ad omnes scriptores hujus ordinis. Aucupantur illi singulari studio vocabula et genera loquendi, quæ frequentiore in usu vident apud eos, quorum sibi personam accommodarunt; ea sine modo et fine adhibent, neque dimittunt ante, quam prorsus detrita eviluerunt. Ita quum Cicero in Philippicis et alias sæpe usurparit præsidium, auctor Epp. Cic. ad Brutum (10 extr.) eamdem illam vocem eadem pagina quater posuit ineptissime : « Romam perveni, nulloque præsidio quatefeci Antonium; contraque ejus arma nefanda præsidia, quæ oblata sunt, Cæsaris consilio et auctoritate firmavi. Qui si steterit idem, mihique paruerit, satis videmur habituri præsidii... » mox, paucis interjectis : « Hoc adolescentis præsidium equidem adhuc firmum esse confido ». Item Cicero jungendis diversis partibus sententiarum ponere solet voculas *quum* et *tum :* id iste epistolarum fictor sic imitatur, ut in una brevi scriptura (ep. 12) eas particulas quinquies inculcet : « Quum multa graviter ferrem, tum nihil tuli gravius... Quum honoribus esset Lepidus ornatus, tum etiam... literas ad senatum misisset »; atque ad finem epistolæ : « Quum ad reipublicæ summam, tum ad gloriam tuam vehementer pertinet... Eget enim vehementer quum viribus tuis, tum etiam consilio respublica... eumque quum tui, tum reipubl. studiosissimum... cognovi ». Quam ad rem in transcursu notandum est, in priore libro Epistolarum hunc modum construendi septemdecim locis usurpari, in posteriore ne semel quidem : quod etsi fortuito factum esse potuit, quoniam hic liber multo brevior est, tamen Tunstalli opinio, non eumdem utrique libro auctorem assignantis, quum aliis rebus probabilis fit, tum hac quoque observatione firmatur quodammodo, eaque diversitas ad diversitatem scriptorum trahi potest. Sed redeundum est ad nostrum oratorem, ut ejus unum alterumque exemplum talis imitationis notemus : plura lectores in Cicerone assidue versati per se animadvertent. Sæpe Cicero in orationibus suis in eadem sententia

jungit « aras, focos, penates », vel « deos penates » : ecce, adamavit hanc juncturam orator pro Domo sic, ut eam etiam atque etiam usurpet. Statim cap. 1 ciet illa vocabula; item, cap. 40, 41 et 56. Similiter ad fastidium usque citat « deos immortales, res incredibiles et divinas », de quibus vide quæ diximus in orat. ad Quir. § 2.

VIII. Nunc paucis dicendum est de ordine, quo priores duæ harum orationum vulgo collocantur; dein varias ad unamquamque observationes adjiciam.

De illis quidem orationibus recte monuerunt P. Manutius et Hotomanus, eas ita transponendas videri, ut primum locum occupet hæc, quæ in senatu, secundum ea, quæ ad Quirites habita inscribitur. Atque hunc ordinem meliores codices tuentur, suadetque ipsa res, ut primum senatui gratias actas credamus, postea populo romano: idque ita factum esse tradidit Dio Cass. XXXIX, 9 : « Reversus igitur est Romam Cicero; factaque sibi a consulibus potestate, senatui in curia, populoque in concione, gratias egit ».

IX. De illa vero oratione, quam ab exsilio reductus Cicero primam habuit in senatu, sic statuendum est, eam magna diligentia compositam, et, quod in causa non quotidiana extemporali impetu aut memoria fidere non auderet, *de scripto* dictam fuisse, ut ipse refert in orat. pro Planc. l. l. Hæc enim consuetudo fuit senatorum, quum sententia ferenda erat de re, quæ intentiore cura egere videbatur. Vide pro Sext. c. 61. Philipp. I, 1; X, 2, etc. Ista autem oratio, quam hodie velut in senatu dictam legimus, perlonge abest a tali cura et diligentia. Nam etsi nihilo quidem deterior esse videtur reliquis tribus, tamen varia inesse reperiemus, quæ alius scriptoris quam Ciceronis manum nos tenere ostendant.

X. De altera oratione, ad Quirites inscripta, accuratius nobis est dicendum. Apparet enim, totam ferme breviarium esse prioris, ab hujusque similitudine omne de ca

judicium repetendum est, siquidem sententiæ et exempla et ipsæ locutiones in utraque magnam partem eædem sunt. Cujus rei causa satis fuerit aliquot locos comparasse. Post Red. in Sen. c. 1 : « Immensum quiddam et infinitum est, quod vobis debeamus, qui vestro singulari studio atque consensu parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi rom. honores, vestra de me multa judicia, nobis omnia uno tempore reddidistis : ut, quum multa vobis, magna populo romano, innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debeamus, hæc antea singula per illos habuerimus, nunc universa per vos recuperaverimus ». Hoc in orat. ad Quir. c. 2, ita expressum est, postquam ibi, plane ut illo loco, commemorata sunt *parentum* et *deorum* beneficia : « Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assequuti, nunc a vobis universos habemus : ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore universim cuncto populo rom. debeamus... » Rursus orat. in Sen. c. 3 : « Quo quidem mense quid inter me et meos inimicos interesset, existimare potuistis. Ego meam salutem deserui... illi meum reditum non populi rom. suffragiis, sed flumine sanguinis intercludendum putaverunt ». Ad Quir. c. 5 : « Hic tantum interfuit inter me et inimicos meos. Ego, quum homines in tribunali... at inimici mei mense jan. quum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt... » In Sen. c. 4 : « Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, etc. » Ad Quir. c. 5 : « P. Lentulus consul, parens, deus, salus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, etc. » In Sen. c. 4 : « Nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem ». Ad Quir. c. 6 : « An ego... dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret ? » In Sen. c. 15 : « Nihil umquam senatus de P. Popillio decrevit; numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio

facta est: tribunitiis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate senatus, restituti». Ad Quir. c. 4: «Numquam de P. Popillio... numquam de Q. Metello... in senatu mentio facta est: tribunitiis superiores illi rogationibus, nulla auctoritate senatus, sunt restituti». In Sen. ibidem: «Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me consularis tempestate civili expulsus est, non modo a senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum cunctum pæne delevit». Ad Quir. c. 3: «Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos consulares vestra patrumque memoria tertius ante me consularis subiit indignissimam fortunam, etc.» Et c. 4: «Marius vero non modo non a senatu, sed etiam oppresso senatu est restitutus».

Hanc verborum et dictionum et compositionum in utraque oratione convenientiam, cujus exemplorum vix sextam partem attulimus, facile quivis accuratė legens observabit; eademque opera intelliget, ex longiore pleraque socordius transcripta esse in breviorem. Quod si quis videre cupiat, quanto hujus brevioris auctor semet ipso inferior sit, conferat v. c. locum primum ex illis paullo ante positis orat. ad Quir. c. 2, inde a verbis, «A parentibus, etc.» et hunc in Sen. c. 1: «Quod si parentes, etc.» In quo posteriore sententiam reperies non sine cura explicatam, quum in altero appareat rudis manus indocti imitatoris, propria scrinia compilantis. Ac talia specimina si quis plura notaverit, qui probe norit Ciceronem suum, consideret velim, an credibile sit, admirabilem in illo vim et copiam inventionis adeo exaruisse, ut, quum ei ad populum verba facienda essent, nihil fere aliud quam easdem sententias recoqueret, quas modo apud senatores protulisset, præsertim quando ipsum tempus animum ejus vehementius commovere deberet, omnemque ingenii facultatem excitare ad rem, quæ magna et copiosa per se esset, varie exornandam. Mihi quidem certe hæc egestatis argumenta nimium aliena videntur ab ubertate ingenii Ciceroniani.

Ceterum Manutius in argum. orat. post Red. in Sen. ait se suspicari interdum, orationem ad Quirites scriptam fuisse, non habitam, quia, si habita esset, Cicero ejus rei non minus quam gratiarum senatui actarum mentionem fecisse videretur. Sed ipse Manutius videtur postea mutasse sententiam suam, quum in Epistolas ad Atticum commentaretur; satisque planum testimonium habemus Dionis, supra a nobis prolatum, quo docet, Ciceronem et senatui et populo gratias egisse: quamquam omnia nos cogunt, ut neutram harum orationum, quæ nunc feruntur, a Cicerone aut dictam, aut scripto mandatam esse arbitremur.

XI. Tertia, quæ est pro Domo sua, vel potius de Domo sua, ad (seu *apud*) pontifices, pertinet ad eumdem annum et ultimum diem septembris. Eo tempore præter Ciceronem etiam M. Calidius, illius familiaris, cujus honorifica censura legitur in libro de claris Oratt. c. 79, oravit eamdem causam, ut Quintilianus refert X, 1, 23: « Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire: nam pro Domo Ciceronis dixit Calidius. » Ubi Burmannus animadvertit, in quibusdam MSS non pro Domo, sed de Domo scriptum esse; eaque posterior scriptura confirmatur ab ipso Cicerone per verba, quibus, quantum ipse sibi illo die satisfecerit, testatur, Epp. ad Att. IV, 2: « Post datas illas literas sequuta est summa contentio de Domo: diximus apud pontifices pridie kal. octobres. Acta res est accurate a nobis; et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto dolor et magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit ». Quem locum quum legimus, genuinæ orationis jacturam tanto ægrius ferre nos necesse est: nam hæc nostra si placuisset Ciceroni, novum id exemplum esset φιλαυτίας, prudentissimis hominibus infestæ, et prorsus sublatum foret omne de propriis operibus verum judicium. Nihil enim hac oratione, si eam, quæ est de Harusp. responsis, excipias, fingi aut cogitari potest jejunius, insulsius, putidius. Priora duodecim capita, quinta

fere totius pars, nihil habent, quod ad ipsam rem pertineat excideruntque scriptori « præter opinionem atque voluntatem suam » : ipsi hoc nos accredere par est § 32. Nam, « intelligo, inquit, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerat, aut voluntas mea ». Quod si ita erat, licebat interrogare, quæ vis eum coegissset, ut tot supervacua verba temere profunderet. Et qui ista in ipso limine digressio a proposita re convenit cum illa veri Ciceronis professione, qua rem a se accurate actam scribit l. l. Numne aliqua accuratio intelligitur in scriptione, cujus *quintam* partem auctor non dissimulat « extra causam esse », aliam *quintam* facile demonstrari posset, vel contra dicente auctore, « non magis ad causam facere ». Nimirum tota oratio videtur quasi ad quemdam imperatum modum longitudinis contexta esse, pagina paginæ conserenda; id quod aliter fieri non potuit, quam ut tertia pars tralatitiæ historiæ de Clodio et Clodiana factione recitaretur, quas res jam in duabus orationibus audivimus, et deinde etiam in libello de Harusp. resp. repetitas audiemus. At ego non dubito, hunc declamatorem, si ei de Ciceronis et Publiliæ nuptiis dicendum fuisset, potuisse sibi viam expedire, qua ad Clodii, Pisonis et Gabinii scelera deverteret.

XII. Quod ad postremam orationem attinet, an umquam Cicero dixerit vel scripserit de responsis Haruspicum, apud ipsum nondum reperire potui. Dio Cassius adeo lib. XXXIX, 20, quem unum hujus rei auctorem esse video, etsi responsa quædam haruspicum de violatis religiosis locis a Clodio in Ciceronem conversa refert, tamen ne verbum quidem adjicit de oratione, quam in ea causa habuerit Cicero. Asconius Pedianus autem, qui multis annis ante Dionem fuit, sine ulla dubitatione hanc orationem ut Ciceronianam laudat in comment. ad quoddam fragm. or. pro C. Cornelio (t. VI edit. Græv. p. 961): « P. Africanus ille superior non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso, sæpe accusatus est,

quod, quum consul esset cum T. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari». Ad hunc Ciceronis locum Asconius, postquam ex Valerio Antiate, vetere historico, notavit annum, quo illa senatus subselliorum secretio facta esset, hanc subjicit annotationem: «Videtur in hac oratione, hunc quidem auctorem (Valerium Antiatem) sequutus Cicero, dixisse, passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum; in ea autem, quam post aliquot annos habuit de Haruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus, videtur significare. Verba ejus hæc sunt: Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum Matris Magnæ fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi concessum (leg. *consessum*) senatui locum P. Africanus iterum cos. et collega ejus Sempronius Longus, hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium. Ædiles enim eos ludos facere soliti erant: votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus coss. fecerunt». Nolo huic Asconii loco immorari: alioquin eum parum convenire cum edito textu nostræ orat. c. 12, et pluribus vitiis corruptum esse monerem. Videtur is certe mutilatus: quippe deest verbum *dederunt*, mox aliquid aliud post nomen «Sempronii Longi»; nec distinguenda sunt, tamquam Ciceronis, sequentia verba, «hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium,» quum hæc manifesto sint Asconii: denique ante vocem *votivis* excidisse videtur nomen auctoris cujusdam; opinor, Clodii Licinii, de quo vide Liv. XXIX, 22. Hæc qui accuratius excutere operæ pretium putabit, adeat præterea Livium, XXXVI, 36, et XXXVIII, 43, 53, ex quo postremo loco apparet, etiam pro *T. Scribonio* in loco Asconii ponendum esse *L. Scribonium*. Conf. eumdem Livium, XXXV, 10.

Magis dignum est notatu, in ipsa re, ob quam hujus

orationis ut Ciceronianæ meminit Asconius, haud leve argumentum latere contra auctoritatem ejus. Nam si ab evidentibus anachronismis discesseris, ut, quum personatus scriptor ea loquitur, quæ post veri auctoris mortem evenisse constat, nullum certius judicium νοθείας afferri potest, quam talis duorum ejusdem locorum repugnantia. Ita enim pergit Asconius : « Non præterire autem vos volo, esse oratoriæ calliditatis, ut, quum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utantur. Nam quum secundum Ciceronis opinionem auctore Scipione cos. ædiles secretum ante omnes locum spectandi senatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque senatus auctoritate, atque ob id dignitatem ejus ordinis quam possit maxime elevari causæ expediebat, pœnituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri : in ea oratione de haruspicum responso, quia in senatu habebatur, cujus auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse dandi (nam id erat levius), sed ipsum etiam dedisse dicit ». In quo loco primum jocularis error notandus est commentatoris, qui dum in Cicerone repugnantiam excusat, semet ipse manifesto impedit, et res inter se repugnantes profert. Nam prior pars animadversionis Ciceronem tradit in eadem oratione dicere, Scipionem « ipsum auctorém fuisse dandi » eum locum senatoribus; posterior, « non auctorem fuisse dandi », sed « ipsum etiam dedisse ». Quare hæc nimis festinanter scripta videntur ab Asconio : qui ut sibi melius constaret, scribere debuisset, in priore parte, non, « ipsum fuisse auctorem dandi », sed « ipsum dedisse », in posteriore autem, « non passum fuisse ». Deinde, quomodo ista talis repugnantia ad « calliditatem oratoriam » referri possit, equidem non capio. Nam si cui ex arte licebit, aliquem, quemadmodum ibi Scipionem, uno loco dicere, « ipsum fecisse aliquid », alio loco « passum esse aliquid fieri », atque « minime æquo animo passum esse », non video, quid differat

inter id, « quod repugnat », et « quod omnino falsum est »; et eædem res erunt, « oratorem » et « falsarium agere »; postremo, quum olim orator putaretur esse « vir bonus, dicendi peritus », eodem jure dici poterit « vir malus, mentiendi peritus ».

Verum, ut in viam revertamur, id, quod de pluribus inter se contrariis sententiis ejusdem scriptoris, tamquam gravi argumento suppositionis, diximus, transferendum est ex parte ad ipsum Quintiliani de hoc libro testimonium V, 11, 42. Etenim hic ubi monuit, in quodam genere probationum rhetoricarum locum esse « auctoritati deorum », quæ vel oraculorum responsis vel effatis hariolorum contineretur, in exemplum afferens Ciceronem, sic scribit: « Ponitur a quibusdam, et quidem in parte prima, deorum auctoritas, quæ est ex responsis; ut, Socratem esse sapientissimum. Id rarum est; tamen utitur ea Cicero in libro de Haruspicum responsis ». Sed non urgebo, « raritatem » illius probationis minime facere ad firmandam auctoritatem dubitabilis libri variisque suspicionibus obnoxii; dicam potius, sagacitatis ejus, quæ in dignoscendis spuriis et germanis operibus cernitur, aliud singulare specimen exhiberi a Quintiliano, eruditissimo rhetore, et quem multis nominibus maximi facimus, sane quam mirabile nobis, qui veteres solemus immunes existimare ab iis erroribus, in quos ipsi tam facile abripimur. Nam invectivam orationem in Ciceronem, quæ Sallustii nomine fertur, quam vix ullus recentiorum est, qui, quæ Sallustio sit digna scriptura, cognorit, quin prima statim lectione cum P. Victorio (Varr. Lectt. XV, 3) spuriam et supposititiam esse intelligat; illam igitur declamationem ut Sallustianam tribus locis Quintilianus laudat, Instit. Orat. IV, 1, 68; IX, 3, 89; XI, 1, 24. Atqui si præclarus hic oratoriæ artis magister sibi *semel* imponi passus est supposito libello, quid obstat, quo minus *iterum* in talem fraudem inciderit? multoque minus mirandum est, Asconio verba data esse in re eadem, utpote homini, criticis

studiis non tam exercitato, quam is debebat esse, qui omnem ætatem in evolvendis atque perscrutandis clarissimorum oratorum scriptis consumpsisset. Quamquam non est incredibile, Quintilianum in errorem incidisse ipsius exemplo Asconii, cujus forsan fuerat auditor (Inst. Orat. I, 7, 24), vel in cujus commentariis eam opinionem invenerat, adeoque neutrum illorum, ut fieri solet, suscepisse accuratiorem tractationem libelli, qui jam tum corpori Ciceronianorum scriptorum illatus pro sincero ac genuino haberetur. Et Asconius quidem natus est temporibus Augusti; scripsit autem Commentarios suos ad aliquot Ciceronis orationes in gratiam suorum liberorum sub Claudii aut Neronis principatu, vel, diligentius ducta conjectura ex loco quodam ad fragm. orat. pro M. Scauro, p. 1013, circa an. U. 812, aut certe post annum 795. Quarum rationum utracumque potior videatur, restabit intervallum prope 100 annorum, satis longum his orationibus conscribendis.

XIII. Licebit tamen fortasse rem secare tenuius, ut confectio orationum ponatur inter editum librum Valerii Maximi, h. e. circiter inter annum U. C. 786, et illum ante definitum 795. Quod cur mihi sic statuam, hanc habeo causam. Duæ vel tres sententiæ exstant apud Valerium Maximum, quæ et in hac, quam Ciceronianam vocat Asconius, oratione leguntur; et apud Valerium quidem sermo rectus est ac proprius, apud oratorem nostrum vitiosus, certe abhorrens ab optimorum scriptorum consuetudine. Vide orat. pro Domo, c. 38; de Har. resp. c. 9. Jam minime verisimile est, Valerium ita usum esse verbis Ciceronis, ut hujus latinitate non acquiesceret, eamque correctione egere putaret; verisimillimum autem, imperito declamatori placuisse aliquid surripere a Valerio, sed vestigia plagii obliterasse immutanda auctoris sui latinitate. Atque ad hanc conjecturam etiam ratio temporis congruit. Nam, ut minimum numeres, decem anni intersunt inter editionem Valerii Maximi et scriptionem libri Asconiani.

Hanc igitur opinionem si sequare, nulla relinquetur difficultas, quæ non probabiliter solvi queat: potuit declamator mutuari sententias suas ab Valerio, easque edere sub Ciceronis nomine, mox in fraudem inducere Asconium, postea Quintilianum et Arnobium: ex contrario, si statuas, Valerium illa mutua sumpsisse ex oratione, quam pro Ciceroniana habuerit, nulla poterit ratio afferri, cur Valerius pro «pontificatu» ponat «pontificum scientia», et «augurum observatione» pro «augurio»; nisi forte putarit, improbum latinitatis auctorem esse Ciceronem. Quocirca videor mihi conjiciendo non aberrasse a vero tempore suppositionis harum orationum.

XIV. Sed ut fallax sit illa conjectura, ipsæ satis manifestæ fraudes sunt, sive ante Valerium Maximum, sive post eum compositæ: quamquam conjectura de posteriore ætate verisimilior est. Reliqua sunt nobis hodieque plurima scripta Ciceronis, quorum istæ orationes tam aperte dissimiles sunt et sententiis et toto genere dicendi; codices autem manu exarati prorsus conveniunt in tot gravissimis vitiis non unius modi, quæ nunc in iis videmus, et quorum culpam non in librarios conferre, textumque critica lege ad justam similitudinem Ciceronis revocare possumus. Itaque, quamvis licet multis aliorum scriptorum testimoniis defendantur istæ orationes, manebit in ipsis perpetuum quoddam atque inexpugnabile testimonium, quo tamquam falso inscriptæ et subdititiæ convincantur. Etenim si quis putet fieri potuisse, ut, quum compositæ essent a Cicerone, dein paullatim in eas vel librariorum oscitatione vel interpolatorum artibus immigrarent illa manifesta peccata; in promptu responsio est, etiam fieri potuisse, ut in codices insinuaret falsa inscriptio, et, quum ab aliquo Thusco vel Murrhedio (quos duos insigni fatuitate rhetores sub Augusto docuisse testatur M. Seneca Suas. 2), vel ab alio nobis ignoto declamatore compositæ essent, posteriore ætate nomen Ciceronianum in titulum adsciscerent. Nam si tam magnæ muta-

tiones locum habere potuerunt in toto libro, quidni aliquid simile, et levius quidem, accidere potuerit in fronte? Præterea ista argumentatio etiam plus valeret, quam illi vellent ipsi, qui ea uterentur. Eadem enim ratione nobis uti liceat, si Ciceroni restituere voluerimus epistolam ad Octavium, quæ post Ciceronianas epistolas edi solet, vel responsionem in Sallustii invectivam, vel allocutionem ad populum et equites Rom. antequam iret in exsilium: quippe non deest auctoritas codicum, qui nomen Ciceronis in fronte inscriptum gerant; loci autem, ingenio illius indigni, per alienam manum illati videri poterunt: nec tamen hos libellos hodie quisquam literatorum pro germanis habere audeat, nisi quod nuper allocutionem istam pro Ciceroniana laudarunt duo viri doctissimi, Borrichius Cogitatt. de variis L. L. ætatibus, p. 192, et Vorstius de latinitate selecta, p. 63.

Quid multa? Utramcumque sententiam prætuleris, « hac canis, hac lupus », aiunt. Tu credibile putas, graves quasdam mutationes factas esse in ipsis orationibus; adversarius tuus eodem jure respondebit, forsan errore quodam factum esse, ut Ciceronis nomen titulo inscriberetur: jam ad contrarium relaberis, textum præter vulgaria peccata librariorum adhuc eumdem esse, qualis ex scriptoris sui manu prodierit; nihil ultra quæret adversarius. Nam magnus numerus vitiorum omnis generis in eo textu facultatem ipsi præbet demonstrandi, illam manum esse non potuisse Ciceronis.

Hæc in universum disputata sufficiant ad harum orationum fidem infirmandam.

MARKLANDUS.

MARKLANDI ET GESNERI

PRÆFATIONES

ANIMADVERSIONUM.

Si quod est in literis antiquis difficile munus, quod non committi unicuique, sed iis demum mandari debeat, qui vel longo illarum usu, et multarum rerum scientia, facultatem sibi judicandi peperere non vulgarem, vel naturæ felicitate ea utuntur, quæ sagaciter odoretur, et subtiliter sine longa disputatione intelligat, ad quæ pervidenda alii vix longa exercitatione atque studio fiunt idonei: in eo sane genere illud esse fatendum est, quo de librorum in controversiam vocatorum conditione ac statu cognoscitur, et sententia, non absurda quidem et probabilis, pronuntiatur. Sed quum duæ illius facultatis partes sint, quarum una argumentis quibusdam oppugnet possessionem scriptoris antiqui aut nominis adeo, ut neget, verbi causa, hunc librum ejus esse, cujus in fronte nomen gerit; altera vero velut interdicto antiquam possessionem defendat, et quæ ab adversa parte argumenta proferuntur, ea depellat atque elevet: hæc altera tanto difficilior esse ratio videtur, quanto facilius in universum est impugnare quamcumque causam, quam defendere, quanto facilius est infligere vulnus, quam sanare. Nempe ut antiqua possessione liber depellatur, satis est, si vel unum ostendatur aliquid, quod ab eo, qui auctor illius esse dicitur, scribi non potuisse, rebus manifestis vincas: pleniore omnium cognitione instructus esse debet, si quis libro veteri vocatam in dubium antiquitatis fidem velit asserere.

Quum vero præclare mereantur de studiosis bonarum literarum, qui nihil moti antiquis titulis et longa laudatorum serie, si quem librum male respondere suo auctori sentiant, fraudem illam vestigiis omnibus, sagaci nare atque oculo intento, persequuti, in lucem protrahunt, et falli ultra homines non patiuntur: tum illi non minori videntur laude digni esse, qui studio omni intercedunt, ne justa possessione, ne veris titulis quisquam privetur. Adeo, quod de singulorum locorum in libris antiquis lectione dicere soleo, illud de integris veterum scriptorum opusculis magis etiam verum est: ut olim multo majoris fuit corona civica, ob civem quemcumque servatum data, quam multæ ob percussos tributæ hostes: ita melius de literis mereri, si quis bene scripta tueatur, quam qui errores in tali re admissos coarguat et quasi jugulet. Nisi quis putet, parum honestissimis studiis profuisse La-Crozium et ceteros, quum Harduini importunitates a vetustis scriptoribus defenderunt; quem si audiamus, omnis pæne fides historica eadem perierit.

Hæc quum ita sint, puto me non alienum facere a meæ vitæ instituto, si, ut quondam adolescens abjudicatum necessariis rebus Luciano Philopatrin, ducentis annis juniorem probabili, probata certe idoneis judicibus, ratione ostendi; ita nunc senili studio, quid pro vindicandis M. Tullio Ciceroni orationibus, quas redux ab exsilio primas habuit, dici possit, ea et moderatione et libertate, quæ hanc ætatem decere videtur, proferam. Fecit hanc disputationem si non necessariam, opportunam certe, virorum doctorum in Anglia concertatio, cujus historiam proponere, et omnes partes prosequi, ab hoc certe loco abhorret. Equidem in præsentia ea tantum consideranda proponam lectoribus, quæ vir ingeniosus ut pauci et doctus, Marklandus, contra γνησιότητα quatuor illarum orationum disputavit, quæ etiam atque etiam per hos aliquot annos a me perpensa nondum potuerunt vel veteres avias mihi de

pulmone revellere (ut forte dicet aliquis calidior paullo et novitatis studiosior), vel sententiam ut mutarem, perficere.

I. *Conatus subjiciendi Tullio aliena scripta vani: certe res difficilis fuit illa ætate, quam ponit V. C.* Quod igitur plerisque fere ab Homero inde nobilibus scriptoribus evenit, ut in nomen illorum darentur vel ab ipsis auctoribus, vel a librariis certe, ea opera, quæ sic lectoribus commendari posse, et auctoritatem nancisci putarent: illud M. Tullio etiam accidisse, propter maximam viri opinionem non mirandum est. Ac libros quidem ad Herennium sua commendasse præstantia videtur, quod opus tam elegans, tam perfectum, vix ab alio proficisci potuisse, homines putarent. Declamationes antequam iret in exsilium, et in Sallustium invectiva, statim sub renatas literas agnitæ et damnatæ sunt. Liber *de Consolatione* vix emerserat, quum suo auctori est redonatus. De epistolis ad Brutum longior fabula, disputatio impeditior est, a me quidem nondum ita excussa et exquisita, ut abscisse pronunciare audeam: nisi quod sufficere mihi hactenus videbatur Middletoniana defensio, ut nova opera ne valde quidem opus sit. In orationibus post Reditum in senatu, et ad Quirites, pro Domo sua, et de Haruspicum responsis nunc manebimus. Hæ si ab alio quam a Cicerone scriptæ sunt, factum hoc sit necesse est non post instauratas profecto literas: sunt enim codices antiqui, in quibus eæ habentur (v. g. unus sæculi IX in bibliotheca reg. Paris. n. 7794): nec durante illa superiorum sæculorum barbarie; quis enim post Lactantii ætatem talia scriberet? ut de Asconii Pediani, Quintiliani, grammaticorum, testimoniis jam nihil dicam, de quibus paullo post commemorandum sit. Neque vero vir doctus, adversus quem hæc suscepta disputatio est, h. e. adversus cujus rationes: neque enim cum quoquam homine nobis disceptatio est; causam ipsam tractamus... neque ergo ipse Marklandus obscuris illis et barbaris sæculis confictas ait has

orationes, verum non ita multo post ætatem Tullii, eo intervallo, quod inter edita a Valerio Maximo exempla, et inter Asconianos in Ciceronem commentarios intercessit, quod intervallum annis circiter XXVI ipse finit. Itaque neque fidem historicam illis, neque auctoritatem linguæ abjudicat simpliciter, sed *ignorantiam* tamen, *ignaviam quamdam frigidam*, *cacozelian* et *corruptum judicium* quibusdam locis (quibus nempe auctor, ut sorex, suo se judicio prodat) illis tribuit.

Dicam primo universim, cur mihi non videatur probabile, hoc primo et proximo a vita Tullii tempore potuisse aliquid in illius nomen falso conferri. Diligens, ut inde incipiam, si quis alius, erat Cicero in suis libris sua quasi moneta signandis, efficiendoque, ne parum illa ab aliis discerni possent. Quam ille non habuit etiam singulorum dictorum suorum fiduciam, quæ « ita speraret notata se reliquisse, ut cognosci sua sponte possent »? Epist. ad Div. VII, 32 : « Ipse Cæsar, inquit, ibidem IX, 16, habet peracre judicium, et, ut Servius... facile diceret : Hic versus Plauti non est, hic est... sic audio Cæsarem, quum volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, rejicere solere, etc. » Quid putamus? nonne multo magis majoribus operibus eas imprimere notas studuisse virum credibile est, quibus illa facile ab imitatoris alicujus affectatione distinguerentur? Deinde qui scribere tum potuit ea, quæ pro Ciceronianis approbare se speraret posse, ille ne facturus quidem hoc erat, uti tam præclara monumenta ultro sibi abjudicaret. Ipsius intererat, si ludere omnino placuit, facere, quod Muretus fecit in Scaligero, quem diu errare non est passus in versiculis, quos Trabeæ Accioque ipse subjecerat : quem enim alium potest habere finem ejusmodi vanitas, quam ut ostendas, eam tibi esse orationis copiam, quæ Ciceronis assequi gloriam possit; nisi forte Michael Angelus Bonarota Cupidinem illum ad vetustatis imitationem a se factum et expolitum

relinquere debuit hominum judiciis, pro antiquo illum habentium, non potius reservato, antequam clanculum eum defoderet, brachio, certissimo vindiciarum instrumento, gloriæ suæ cavere.

Cogitemus etiam illud, obiisse Tullium relicto filio, relicto Tirone, salvo Attico suo et Varrone et multis aliis vel amicis vel discipulis: cogitemus, cœpisse tum strui bibliothecas, in quibus reponerentur vel maxime Tulliana volumina, fuisse tabernas librarias, superfuisse tum judiciorum, in quibus egerat Cicero, commentarios, ab ipso Asconio adhibitos, acta item senatus et urbana, ipsas manus nobilium scriptorum (1), quæ sane tantas objiciunt fraudi et imposturæ, de qua agimus, difficultates, quas superare omnes, vix summa posset industria. Accedit, quod non minimam habere vim existimo, mutatio reipublicæ, quæ a Tullii morte ingruit, et cum ea eloquentiæ. Qui Cæsaribus et sæculo suo adulabantur, iidem de Cicerone detrahebant. Ne Quintilianus quidem poterat suos discipulos, Tacitum et Plinium, revocare ad splendidam Tullii simplicitatem. Declamationes et exercitationes ejus ævi quæ fuerint et quales, Senecæ excerpta, et declamationes, quæ subjungi Quintiliano solent, ostendunt. Nihil certe simile his nostris orationibus exstat, ne una quidem ejus ævi oratio, unde ostendi possit, fuisse alios, qui Ciceronis imitatione, qui simili genere eloquentiæ, quo ille floruit, censeri cuperent. Ecquis autem solo illudendi aliis studio hoc laboris suscipiet, ut non paucos aliquot versus, non declamatiunculam aliquam, non velut excerpta fragmenta, sed librum pæne justæ molis, quin libros aliquot justos (2) scribat,

(1) Vide v. c. Plin. XIII, 12, sect. 26: « Jam vero Ciceronis ac divi Augusti Virgiliique (manus) sæpenumero videmus ». Adde Gell. IX, 14.

(2) Quam magnæ vel impudentiæ fuerit in declamatore, fingere istas genealogias, quæ habentur pro Domo, c. 47, vel diligentiæ et operæ, illas requirere et invenire? Consideret mihi aliquis locum illum et quam plurima in his orationibus similia, quorum nihildum convictum est: quæ cum monumentis aliis plane consentiant videlicet.

quos, magnam suæ laudis materiam, pignus velut immortalitatis, non suos dici velit, sed celebratissimi hominis, a quo homine nihil vel boni ipse exspectet, vel mali metuat? Vereor, ne vel solum illud Cassianum : Cui bono? securim toti illi sententiæ impingat, certe plagam imponat, non nisi magnis valde et potentibus remediis sanabilem.

Denique egregie oportuit esse impudentem, si quis tam propinqua Tulliano sæculo ætate audere talem fraudem potuit, qua fuere quam plurimi, qui vitæ et rerum et librorum. et styli præsertim accuratissimam habuere notitiam, quibus verba dare difficile fuit.

II. *Objicitur, potuisse tamen decipi ipsum Quintilianum, et respondetur.* Video, quid dici possit, quid dicat adeo Marklandus. Verba nimirum data ipsi Quintiliano (IV, 1, 68; IX, 3, 89), in declamatione, quæ exstat Sallustii in Ciceronem, quam pro supposita habeant hodie omnes, quam Tullio tribuat aperte Fabius. Sed non pœnitet eorum, quæ ad Fabium ante hos XV annos disputavi, fuisse nempe olim aliquam Sallustii orationem in Ciceronem, quæ quum interisset, ex illius apud Fabium fragmentis natam declamatori exercendi ingenii occasionem. Versamur autem hic in loco aliquantum lubrico. Laudavit Fabius (X, 1, 23), etiam orationem de Domo : laudavit (V, 11, 42) librum de Haruspicum responsis. Quid, si dixerit aliquis ad hoc exemplum : Fuit olim talis liber; non hic, quem habemus hodie? Protulit Valerius Maximus in ipso operis sui principio, si non singula verba, certe sententiam, verbis leviter immutatis de oratione pro Domo (c. 9). Quid, si, quod suspicatur, quin pæne asseverat Marklandus, hæc verba Valerii vix vulgata arripuit declamator, et persuadere potuit Asconio, eam a Tullio orationem esse? Verumenimvero quum Ciceronis nomen non ponat Valerius : unde in mentem venit declamatori, hac purpura se posse centonem suum exornare? Porro diversa admodum ratio est declamatiunculæ illius, antequam iret in exsilium, et orationum, de

quibus modo disputatur. In his satis signorum est, seriam rem agi: sunt hic libri aliquot, rerum pleni, attentione nostra dignissimi, quos si notæ internæ non convincant, possessione tot sæculorum, quam luculenta illis testimonia vindicant, dejicere durum fuerit.

III. *Generale argumentum Marklandi de stylo examinatur.* Nempe eo nunc veniendum est, ut quæramus, sitne prolatum quidquam, quod abjudicet M. Tullio quatuor istas orationes, h. e. quod non potuerit ab illo scribi, quod adeo nec scriptum sit? Multum ea in re operæ posuit Marklandus. Videamus, an, quod voluit, perfecerit. Ne autem longa nimis sit et molesta disputatio, ea maxime tractabuntur, quæ eminent, quod speciem habent aliquam necessitatis; quibus stantibus stare fides quatuor orationum non potest. Siquidem asseverationem videas viri docti, sunt in illis orationibus talia sententiarum et verborum vitia, quæ non magis tribui possunt Ciceroni, quam summo poetæ versus alicujus Bavii: præsertim *fluctuans et dissolutum*, quod vocatur ab Auctore ad Herennium, dicendi genus. Quum totum hoc judicio quodam interiore, cujus quisque sibi conscius est, et velut gustu quodam constet, quem communicare cum aliis difficile est; satis fuerit hic profiteri, me, postquam non multo minus quinquaginta annis familiaritatem quamdam cum M. Tullio habui, similemque cum illo notitiam conciliare aliis studui, postquam diligenter, semel, iterum, tertium, perpendi et examinavi illos locos, qui Marklando displicent, nihildum reperisse, quod non eodem jure vero Ciceroni et ipsissimo (ut verbo utar non Tulliano) posse putem objici. Sed potest fieri, ut inveterata etiam cum ipsis quatuor orationibus, quæ in judicium adducuntur, consuetudo mihi obsit. Igitur, qui ipse plurimum tribuo illi argumento, quod a dicendi genere petitur, qui in simili causa Philopatridem, libellum totum pæne Luciani verbis contextum, non aliunde magis Luciani non esse deprehendi, quam quod inepti imitatoris ludi-

brium esse viderem; idem ego fateor, me in his orationibus ita vocem veteris amici mihi videri intelligere, ut non magis de eo dubitare, quam de voce ac sermone admodum familiaris mihi hominis possim. Rem interea non iniquam postulo: totum hoc aliorum judicio permitto. Et quia duos locos posuit Marklandus, in quibus declamatoris antiqui quidem, sed non ideo cum Tullio comparandi, ineptias ita eminere putat, ut dubitare nemo, cui sit purgata auris, possit: arrigendæ sunt aures et exquisitum earum judicium adhibendum. Ego vero hellebori vicem hac hebdomade Pyrmontanis acidulis usus sum: sed profecto nondum satis vel aures purgatas habeo, vel cerebrum, ut possim sentire, vel suspicari adeo, hic quidquam indignum Tullio: agnoscere mihi in utroque loco videor illum, quem si post quinquaginta annorum consuetudinem meum dicam, qui me norunt, arrogantiæ crimine ne me damnent, non metuam. Idem mihi evenit in locis ceteris, de quibus dixit V. C. Si qua sunt, nondum vel apud Ciceronem, vel in bonæ notæ scriptore alio reperta, ea non ideo sunt indigna Cicerone; quum præsertim Marklandus assignet illis ætatem nondum centum annis a morte Ciceronis distantem. Sed ancipiti gladio nempe utitur ille in hos libros: ubi convenientia cum Tullio invenit, accusat furtum, et imitationem puerilem; ubi aliquantum diversa, peregrinum se putat tenere. Videbimus mox de singulis. Sed moderatione quadam utemur, ne ponamus simpliciter omnia cum tædio lectorum: nihil autem eorum prætermittamus, quæ specie quadam videntur præstinguere oculos etiam eruditos posse.

IV. *Aliud item e Sextiana petitum.* Aliud est generale argumentum, quo has orationes jugulari putat posse vir doctus, illud, quod sumpsit ex longa relatione, quæ in Sextiana fit de rebus iisdem, quæ in his quatuor orationibus ita exponuntur, ut, qui adstabant in Sextii judicio, dicere possent: « Potes compendi facere istum laborem; eadem enim superiore jam anno rebus recentibus ex te audivimus

omnia ». Scilicet ineptus fuit et gloriosus præter rem et modum Tullius, si in Sextiana ea repetiit, quæ in orationibus a reditu proximis jam inculcaverat : at ineptus et gloriosus non fuit Tullius : ergo Tullii non sunt orationes illæ, de quibus quærimus. Vix dici potest breviter, quam hic fallatur vir præclarus. Potuerunt esse, et fuerunt adeo causæ idoneæ, propter quas commemoranda hic essent apud judices, quos causæ fautores vellet efficere, apud coronam, quam sibi conciliare cuperet, ea, quæ rebus recentibus plus semel jam dixerat, in Urbe præsertim ita plena omnium ordinum hominibus, ut nec intra paucos dies, nimis multum dixi, nec intra horam, nedum intra annum, eosdem in concione adstare homines, eorum, quæ superiore anno audierant, memores, arbitrari liceat. Deinde habuit hoc inter multas magnasque virtutes Tullius, ut magnus esset suarum rerum prædicator, de quo si quis dubitet, illum legere jubeam ipsum primum caput Ciceronis ab Andrea Schotto vindicati : sed nusquam magis de se prædicavit, quam post illum honorificentissimum ab exsilio reditum. Ipse in hoc « se spem fefellisse, ait (Div. I, 9), non modo invidorum, sed etiam inimicorum suorum... qui cogitarent ab exsilio abjectiore illum animo futurum, quum respublica, inquit, majorem etiam mihi animum, quam umquam habuissem, daret, quæ declarasset, se non potuisse me uno cive carere, etc. » Nihil igitur firmi est in his, quæ universim contra fidem harum orationum dicta sunt.

V. Sed consideremus deinceps singulatim, quæ speciem habere aliquam videntur, initio capto ab ea, quam in senatu habuit, quæ nempe etiam MSS quorumdam indicio, præter indicia alia, præcedere alteram ad Quirites debet. Hanc in senatu orationem de scripto a se dictam, propter magnitudinem rei, ipse refert, sine dubio propter multa nomina eorum, quibus gratias agere decreverat. Tanto audaciorem fuisse oportet declamatorem, si quis parvo adeo a Tullii morte intervallo subjicere aliam ei ausus sit.

VI. Orationi ad Quirites paupertatem quamdam objicit accusator doctissimus, quæ tota pæne ex priori sit expressa: et est sane magna inter utramque similitudo. Sed illud ipsum indicio est, puto, non esse hoc opus declamatoris scholastici, in umbra commentantis otiose, quod placeat, otiose conferentis omnia inter sese, comportantis undique, quidquid ad rem facere arbitretur: sed viri civilis in medio actu et ipsa contentione summarum rerum versantis, cui gratulantium multitudo, cui necessitudinum salutationes, spatium cogitandi non dederint, qui plenus rebus ipsis et personis diversa de se ratione meritis, plenus cura fluctuantis reipubl. non ierit, in ea præsertim oratione, quam ad Quirites habuit, de singulis verbis in consilium, sed uti animus illi quidque subjiciebat, ita protulerit. Nec profecto difficile fuerit, si opus esset, exempla colligere plura, ubi Cicero, qui quotidie, qui sæpe imparatus ad dicendum surgeret, eadem verbis leviter immutatis dixit, quæ scilicet mutare ne Tironi quidem, quo canone scriptorum suorum utebatur Cicero, placuerit, ne colorem illum extemporalitatis, ne gratiæ in tali viro negligentiæ vestigia amitterent. Sed hoc quidem genus disputationis illo comprehensum velim, quod supra posui, quod in gustu quodam et interiore judicio inesse dixi.

VII. Orationem pro Domo sua, quod hebes et tædii plenum opus esse putat Marklandus, multaque dicit continere, quæ nihil ad rem pertineant, valde commendarunt alii viri docti, in quibus etiam est M. Ant. Ferratius Epistt. V, 10, pr. Nobis propositum est, videre deinde singulatim, satisne valida sint Marklandi argumenta ad abjudicandam illam Tullio: quod autem multa præter rem hic inculcata esse dicit, non possumus nunc satis judicare, quid *præter rem* fuerit illo temporis articulo. Quod repetita aliquoties sunt in his post reditum orationibus, quæ semel dixisse satis ipse putat fuisse; parum cogitat, in qua urbe, apud quos homines dixerit.

VIII. In ultima oratione, de Haruspicum responsis, durior est causa accusatoris propter veterum testimonia. Sed nil volentibus arduum. Videamus, ut quam brevissime et lucidissime rem proponamus, quid de dissensione ipsius Ciceronis, quam Asconius notavit, judicandum sit. Nam in loco deperditæ Cornelianæ reprehenditur factum Africani majoris, in nostra oratione laudatur. Asconius eam rem assignat *calliditati* cuidam *oratoriæ*, quod in Corneliana populo placere contra senatum, in hac nostra senatui blande dicere orator voluerit. Marklandus hoc non patitur: oratorem vult esse virum bonum : hoc ipsum esse indicium, hanc nostram de H. R. non esse Ciceronis, quia non eodem ore frigidum et calidum ille flare potuerit. Honesta oratio; sed cui totis viribus repugnat ipse, qui defenditur. « Errat vehementer (inquit pro Cluent. c. 50), si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illæ orationes causarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum. Nam si causæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem ». Venustissime deinde narrat, quomodo L. Crassus ultus sit M. Brutum, a quo inconstantia illi objecta erat, quod in una oratione, quantum poterat, de auctoritate senatus detraxisset, in alia summis eumdem ornasset laudibus. Conf. de Orat. II, 55; et Quintil. VI, 3, 43, seqq. Quum igitur nolit sic defendi Cicero, quum non defugiat crimen, quod ex illa sententiarum contrarietate possit exsculpi; non est, quod moveamur illa bene longa et sat vehementi oratione censoris nostri, qua negat, ejusdem hominis esse utramque orationem. Ac nondum dixi, quod vel maxime ad rem facit, ne valde quidem utrumque locum pugnare. Potuit profecto salva constantia et gravitate Cicero in Corneliana dicere, pœnituisse Africanum, quod passus esset tantum senatui tribui, et in hac commendare senatoribus eos ludos, in

quibus, Africano auctore, primum separatas spectandi sedes obtinuerint.

Equidem, nisi majores afferantur dubitandi causæ, credam Asconio, illa verba, hanc totam orationem, esse Tullii; viro, cui, dum lego reliquias illius commentationum in Ciceronem, ita video affuisse omnia ad hoc judicium præsidia, ut non mirum, sed portentum sit, si ille falli hac in re potuit. Videat mihi vel exempli causa aliquis, quæ ad orat. in Toga candida disputata ab eo sunt; et dicat, an credibile sit, hunc virum potuisse non olfacere, quæ tot sæculis post deprehendisse sibi videtur Marklandus. Quam attentus ad hoc genus fraudis, quam acutus fuerit Pedianus, etiam ex annotatione illius intelligi potest, quam in fine commentationum in orat. in Toga cand. posuit, quæ ita habet: « Huic orationi Ciceronis et Catilina, et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. Feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare ». Qui hic ita cernebat acutum, an imponi sibi pateretur a scriptore ita imperito, ut videtur fuisse Marklando hujus orationis auctor?

Igitur in tali re Asconii et Fabii judicio stare melius est, dum apertis rerum argumentis depellamur, quod an fieri possit, jam, age, videndum est.

GESNERUS.



M. TULLII CICERONIS

ORATIO

POST REDITUM

IN SENATU

17.

ARGUMENTUM.

Quum Cicero urbe cessisset, quod factum est mense martio ann. U. 696, a. Chr. 58, etsi statim P. Clodius tribunus pl. comitiis tributis novam legem de exsilio ipsius et bonorum publicatione pertulerat, mox villas diripuerat, domum in Palatio incenderat, areamque consecraverat deæ Libertati; haud defuerunt tamen, qui illo tempore et eodem toto anno ad ejus restitutionem omnibus studiis incumberent. Epp. ad Att. III, 4, etc. priores epp. h. l. Plutarch. in Cic. p. 876; Dio Cass. XXXVIII, 17. Itaque kal. jun. de eo actum est in senatu, referente trib. pl. Ninnio Quadrato, ipsoque adjuvante Pompeio, quem paullo ante Clodius offenderat; atque jam tum ei reditus fuisset decretus, nisi alius trib. Ælius Stalenus intercessisset, ac consules L. Piso et A. Gabinius animum ab ea re alienum ostendissent. Pro Sext. cap. 31. Postea sæpe senatus frustra flagitabat consules, ut referrent, adeoque minabatur, priusquam id fecissent, nihil se acturum esse: isti vero constanter negabant, impediri se dicentes Clodii lege, cujus capite quodam erat cautum, ne quis verbum faceret, quo illa lex per senatum aut populum labefactari posset. Epp. ad Att. III, 15; in Pis. c. 13, seq. Igitur aliquandiu nihil efficere potuerunt necessarii, Quintus frater et L. Piso gener; nihil benivolentissimi et amicissimi viri. Ex quibus P. Sextius, is qui anno post trib. pl. fuit, mense sept. jam designatis novis consulibus, de Cicerone duobus nominibus bene merebatur; proximo autem mense octo tribuni, imminuta aliquantum Clodii potentia, causam eamdem agere de integro cœperunt, suscipiente eam etiam P. Lentulo, de eaque rogationem ad populum promulgaverunt. Epp. ad Att. III, 20 et 23; pro Sext. c. 32, seq. Sed caruit res sperato exitu.

Tandem kal. jan. an. 697, referente consule P. Lentulo, nec impediente ejus collega Q. Metello Nepote, qui olim Ciceroni inimicus, nunc moderatior ac pæne placatus erat, nova contentione actum est, ut vir de republica optime meritus quam primum reduceretur. Quam ad rem L. Cotta consularis nulla lege opus esse dixit, eumque ab uno senatu revocandum ornandum-

que; Pompeius autem censuit, ut senatus decreto populi quoque scitum jungeretur: in hujusque sententiam mox discessio facta est sine ulla varietate, nisi quod nonnihil moræ fecit trib. pl. Atilius Serranus. Pro Sext. c. 34; de Legg. III, 19. Ex hac tamen perscripta senatus auctoritate res d. 8 kal. febr. defertur ad populum, principe rogationis Q. Fabricio trib. pl. reliquisque ejus septem collegis subscriptoribus. Hic cruentus ille fuit dies, quo factio Clodii, quando aliis armis destituta erat, per gladiatorum et egentissimorum hominum manus impedivit, ne quid ageretur, crudelissima cæde civium effecta. Pro Sext. c. 35, seqq. pro Mil. c. 14; Dio, XXXIX, 7. Verum ne sic quidem a causa recesserunt magistratus; habitæ ab iis sæpius sunt conciones contrariæ concionibus Clodianis; maximus motus ad illum revocandum factus est municipiorum, coloniarum, collegiorum in urbe multorum, etiam privatim decernentium; denique facta sunt magnifica aliquot senatusconsulta, de quorum tamen numero et ordine nihil exploratum habemus.

Ac trium quidem (tot omnino SS.CC. numerat M. Ant. Ferratius, quum quinque fecerit P. Manutius ad Sextianæ c. 61) argumenta et loca indicata legimus, siquidem unum in templo Honoris Virtutis, alterum in Capitolio, tertium in curia perscriptum traditur a Cic. pro Sext. c. 54, 60, seq. pro Planc. c. 32; de Provv. conss. c. 9; de Divinat. I, 28. (Errabat Valerius Max. I, 7, 5.) Quod utcumque existimatum fuerit, inter omnes constat, decrevisse senatum, ut exteris nationibus et magistratibus provinciarum publice viri salus commendaretur; simul gratiæ agerentur iis, qui eum adhuc recepissent, utque cuncta ex Italia omnes, qui rempublicam salvam vellent, in urbem convocarentur ad eum restituendum; tum ut consules de ea re comitiis centuriatis legem ferrent; ut huic legi ne quis ullam moram afferret; ut, nisi diebus quinque comitialibus esset actum, ipse de senatus sententia rediret omni dignitate recuperata; ut iis agerentur gratiæ, qui ex oppidis Italiæ concurrissent ad concionem, iidemque rogarentur ad eum diem redirent, quo lex esset ferenda. Ad Att. III, 26; in Pis. c. 15; pro Mil. c. 15; ad orat. pro Domo, c. 32; Dio, XXXIX, 8. Jam lata vel potius perlata est comitiis illis splendidissimis, quæ habita sunt prid. non. sextil. Itaque reductus de exsilio Cicero Romam rediit prid. non. sept.

favente et per legatos plurimos congratulante omni Italia, obviamque effusa urbe ad conservatorem suum complectendum. Pro Sext. c. 63; in Pis. c. 22.

Prima ei reduci cura fuit, ut reditus auctori senatui ac deinde populo gratias ageret. Quamquam tamen ordinem hunc dicendi et nonnulli codices, et Dio Histor. XXXIX, 9, et quod grave indicium est, ipse Cicero ad Att. IV, 1, confirmaverit, plerique tamen editores interturbaverunt. Liquido tamen hoc ex Ciceronis epistola ad Atticum, IV, 1, constat, in qua post quam iter per Italiam descripsit, « Ad urbem, inquit, ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, præter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret, aut dissimulare, aut negare. Quum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant; a qua, plausu maximo, quum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit, in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in senatu, qui fuit dies non. septemb. senatui gratias egimus. Eo biduo quum esset annonæ summa caritas et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent, impulsu Clodii; mea opera frumenti inopiam esse clamarent; quum per eos dies senatus de annona haberetur, et ad ejus procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum, Pompeius vocaretur, idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet: feci, et accurate sententiam dixi, quum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, præter Messallam et Afranium. Factum est SCtum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur; quo in concione recitato, quum populus, more hoc insulso et novo, plausum, meo nomine recitando, dedisset; habui concionem: omnes magistratus præsentes, præter unum prætorem et duos tribunos plebis dederunt ».

Non minus clare liquet orationem hanc ad senatum de scripto dixisse Ciceronem, quum eam pro Plancio, cap. 30, recitari jubeat his verbis: « Nihil me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam illa testis est oratio, quæ est a me prima habita in senatu. In qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quem-

quam præteriri statuissemque eos solum nominare, qui causæ nostræ duces et quasi signiferi fuissent, in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quæ propter rei magnitudinem dicta de scripto est, in qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem, et hujus tanti officii servitutem adstringebam testimonio sempiterno».

M. T. CICERONIS

ORATIONES.

ORATIO

M. TULLII CICERONIS

POST REDITUM IN SENATU.

ORATIO SEPTIMA ET VICESIMA.

I. Si, patres conscripti, pro vestris immortalibus in me, fratremque meum [1], liberosque nostros meritis parum vobis cumulate [2] gratias egero; quæso, obtestorque, ne meæ naturæ potius [3], quam magnitudini vestrorum beneficiorum, id tribuendum putetis [4]. Quæ

I. 1. *Pro vestris immortalibus in me, fratremque meum.* Qui propter meum exsilium magno semper in luctu, mœrore ac squalore jacuerat. Ad Quirites, cap. 3, § 8.

2. *Parum vobis cumulate.* Minus quam par fuerit; verbis rei magnitudinem non æquantibus.

3. *Ne meæ naturæ potius.* Quasi aut beneficiorum obliviscar, aut in agendis gratiis natura sim tardior. Deprecatur naturæ culpam : ne quis eum noluisse putet, quod præstare non potuerit. Qui enim infinita beneficia accepit, is non potest dignas agere gratias.

4. *Tribuendum putetis.* In manifesta verborum istorum imitatione deprehenditur Mamertinus grat. act. ad Julian. c. 3 : « Nunc si tibi, imperator, parum ampla nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quæso obtestorque te, ne meæ id naturæ potius quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum ».

enim tanta potest exsistere ubertas ingenii[5], quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita, non dicam complecti[6] orando, sed percensere numerando? qui mihi fratrem optatissimum, me fratri amantissimo, liberis nostris parentes[7], nobis liberos; qui dignitatem[8], qui[9] ordinem, qui fortunas[10], qui amplissimam rempublicam, qui patriam, qua nihil potest esse jucundius[11], qui denique nosmet ipsos nobis[12] reddidistis. Quod si parentes carissimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est; si deos immortales, quorum beneficio et hæc tenuimus[13], et ceteris rebus aucti sumus; si populum romanum, cujus honoribus[14] in amplissimo consilio, et in altis-

5. *Ubertas ingenii.* In recordandis, ponderandisque beneficiis. *Dicendi copia :* in iis commemorandis. *Genus orationis :* in conquirendis verbis, quæ rei magnitudini satisfaciant.

6. *Non dicam complecti orando.* Id est, magnifica oratione beneficia universa persequi ac describere. *Orare* enim est orationem habere. Hinc *orator.*

7. *Liberis nostris parentes.* Nam etsi fratris liberi revera orbati suo parente non essent, tamen ille propter luctum et mœrorem parentis erga illos officium præstare non poterat.

8. *Qui dignitatem.* Intelligit eam amplitudinem, quam ex honoribus præclare gestis sibi in civitate maximam pepererat.

9. *Qui ordinem.* Suum in senatu locum putat : nam una cum civitate ordo illi restitutus fuit.

10. *Qui fortunas.* Omnia enim per iniquos suos erepta, per consules restituta sunt. Lib. IV ad Att. ep. 2.

11. *Nihil potest esse jucundius.* Quippe quum omnes omnium caritates patria una complectatur. Lib. I de Off. cap. 17.

12. *Nosmet ipsos nobis. Perditi* enim dicuntur, qui rebus iis omnibus, quas habebant carissimas, spoliati sunt. Cicero autem et fortunas, et uxorem, et liberos, et cognatos, dignitatem, patriam denique ipsam amiserat. Itaque lib. III ad Attic. « Desidero, inquit, non mea solum, neque meos, sed me ipsum ; quid enim sum ? »

13. *Quorum beneficio et hæc tenuimus.* Quæ sunt a parentibus tradita. — *Ceteris rebus,* Opibus et honoribus. *Libertas, civitas.* Hoc de ingenuis, et civium liberis dici satis intelligitur.

14. *Cujus honoribus.* Quasi oratorie dicta hæc accipienda putat Hottomannus, quasi senatores non a populo, sed a censoribus legerentur. Verum locum atque jus dicendi in senatu quisque de more accepit fungendis magistratibus, quæstura, ædilitate,

simo gradu dignitatis[15], atque in hac omnium terrarum arce[16] collocati sumus; si hunc ipsum ordinem, a quo sæpe magnificentissimis decretis[17] sumus honestati; immensum quiddam et infinitum est, quod vobis debemus, qui vestro singulari studio atque consensu[18], parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi romani honores, vestra de me multa judicia, nobis omnia uno tempore reddidistis: ut, quum multa vobis, magna populo romano, innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debeamus; hæc antea singula per illos habuerimus, nunc universa per vos recuperaverimus[19].

II. Itaque, patres conscripti, quod ne optandum

præturа, consulatu, quos *honores* populi beneficium dabat. Quamobrem vere dicere potuit senator, se populi honoribus in senatu collocatum, quandoquidem a populo non a censore creabantur magistratus. Eam quidem creationem constat a censoribus comprobatam vel firmatam esse nominibus in tabulas seu catalogum inferendis, quod dicebatur *legere senatum;* sed ipsa potestas in senatum veniendi ac sententiæ dicendæ hanc censoriam lectionem præcedebat.

15. *In altissimo gradu dignitatis.* Consulatu, quo nulla dignitas in civitate præstantior.

16. *Terrarum arce.* Ad quam præsidii causa gentes omnes confugiunt. Nam præter provincias, quæ sua omnia ad summam senatus potestatem referebant, reges etiam et liberi populi complures sæpe ad senatum auxilii causa confugiebant. Frequens periphrasis curiæ, uti pro Milone, cap. 33.

17. *Magnificentissimis decretis.* Divina senatusconsulta hæc appellat in orat. pro Sextio, cap. 60, 61, ibique quatuor enumerat: primum, ut cuncta ex Italia omnes, qui rempubl. salvam esse vellent, ad suffragia de Cicerone revocando ferenda convocarentur: alterum, quod de ipso revocando in templo Jovis Optimi Maximi factum est, utroque referente consule, quum Pompeius illi uni testimonium patriæ conservatæ dedit: tertium, ne quis, dum lex de ipso revocando ferretur, de cælo servaret, ne quis moram ullam afferret: quartum, ut iis, qui ex tota Italia ipsius salutis causa convenerant, agerentur gratiæ, atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur. Vid. et cap. 11.

18. *Studio atque consensu.* Nam ex CCCCXVII senatoribus et magistratibus omnibus unus dissensit P. Clodius. Cap. 10.

19. *Per vos recuperaverimus.* Sensus est: Etsi hæc olim acceptimus; tamen quum antea singula, hoc tempore universa recuperaverimus: multo majus hoc recens beneficium est, quam alia superiorum temporum universa. — *Per illos.* Per populum rom. per parentes, per deos immortales.

quidem est homini, immortalitatem quamdam[1] per vos adepti videmur. Quod enim tempus erit umquam, quo vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur? qui illo ipso tempore, quum vi, ferro[2], metu, minis obsessi teneremini, non multo post discessum[3] meum, universi me[4] revocavistis, referente L. Ninnio[5], fortissimo atque optimo viro; quem habuit ille pestifer annus et maxime fidelem, et minime timidum[6], si dimicare placuisset[7], defensorem salutis meæ: posteaquam[8] vobis potestas decernendi non est permissa per eum tribunum[9] plebis, qui, quum per se rempublicam lacerare non posset, sub alieno scelere[10] delevit; numquam de me siluistis, numquam meam salutem non ab his consulibus, qui vendiderant, flagitavistis. Itaque vestro studio atque auctoritate perfectum est, ut ille ipse

II. 1. *Immortalitatem quamdam.* Famæ scil. et nominis.

2. *Ferro.* Significat eam seditionem, quæ facta est VIII kal. febr. in qua P. Sextius, tribunus pl. vulneratus est.

3. *Post discessum meum.* Paucis post mensibus, kal. juniis.

4. *Me revocavistis.* Hoc est, me decreto senatus revocari voluistis.

5. *Referente L. Ninnio.* Quadrato, tribuno pl. qui kal. jun. ad senatum de Cicerone revocando retulit, senatui et populo persuasit, ut tamquam in publica calamitate Ciceronis causa vestitus mutaretur. Conf. orat. pro Sext. cap. 31.

6. *Et minime timidum.* Itaque in Sextiana: « Cujus, inquit, in mea causa numquam fides virtusque contremuit ».

7. *Dimicare placuisset.* Non placuit Ciceroni, ne suos cives, olim a se servatos, servis armatis objiceret. — *Per se.* Pro *ipse.*

8. Græv. uno codice suffragante, « postea vero quam ». J. V. L.

9. *Per eum tribunum pl.* Ælium Ligurem, qui Clodii scelus adjuvit intercessione sua, qua senatus auctoritatem impedivit. Putat Wolfius ad Clodium ipsum referenda verba hæc, cui sententiæ novum pondus addit Ferratius ex Sextiana IV: « qui tribunus plebis felix in evertenda rep. fuit nullis suis nervis... sed fuit profecto quædam illa reip. fortuna fatalis, ut ille cæcus atque amens tribunus pl. nancisceretur, quid dicam, consules, etc. »

10. *Sub alieno scelere.* Consulum Gabinii et Pisonis, quorum auctoritate ad quærendam Ciceroni perniciem usus est Clodius. Loco « delevit », alii frustra « delituit ».

annus, quem ego mihi, quam patriæ, malueram[11] esse fatalem[12], hos tribunos haberet, qui et[13] promulgarent[14] de salute mea, et ad vos sæpenumero referrent[15]. Nam consules modesti[16], legumque metuentes, impediebantur lege[17], non ea, quæ de me, sed, quæ[18] de ipsis lata erat, quum meus[19] inimicus promulgavit, ut, si revixissent[20] ii, qui hæc pæne delerunt[21], tum ego redirem : quo facto utrumque confessus est, et se illorum vitam desiderare, et magno in periculo rempublicam futuram, si aut hostes atque interfectores reipublicæ revixissent, aut ego non revertissem[22]. Itaque illo ipso tamen anno, quum ego

11. *Malueram.* Quia cedere malui, quam dimicatione suscepta, patriam in discrimen adducere.

12. *Esse fatalem. Fatalis* et in bona et in mala re dicitur : quasi fato et certo dei decreto vel salutaris, vel exitiosus. Cat. IV, cap. 1. Sensus: Exitium, quod in illum annum a diis erat decretum, malui ipse me, quam rempublicam, subire.

13. Abest *et*. J. V. L.

14. *Promulgarent. Promulgare legem* est eam publice in albo proponere ante comitia, ut populo sit facultas legendi, considerandi, an e re sua putet. Quum vero id assequebatur tribunus pl. ut a populo acciperetur lex promulgata, et rata esset, tum dicebatur *pertulisse legem.*

15. *Sæpenumero referrent.* Tribuni enim non tantum de re aliqua referre poterant, et ad relationem consulis aliquid addere; verum etiam, si ille referre nollet, ipsi id facere poterant, vel etiam ejus relationi intercedere.

16. *Consules modesti.* Qui legem se Clodiam timere dicebant. Ironice. Vid. Ernesti Clav.

17. *Lege.* Qua cavit Clodius, ne quis de revocando Cicerone in senatu referret, aut relationem egressus diceret. Quod autem dicit legem hanc « non de se, sed de coss. latam » significatur ea obstrictum non ipsum Ciceronem, sed consules ipsos quamvis summa esse deberent potestate. Quo facilius elucet regium Clodii imperium, qui summis magistratibus sua decreta injungere se æquum censebat.

18. Al. « sed ea, quæ ». J. V. L.

19. *Quum meus inimicus.* P. Clodius, qui lege lata Ciceronem in exsilium ejecit.

20. *Ut, si revixissent.* Dixerat Clodius tunc rediturum Ciceronem, quum interfecti ab eo conjurati ad vitam revocarentur. Quæ dicta in propriam laudem vertit Cicero; quasi dixisset Clodius, si reviviscerent conjurati, tunc necessario revocandum Ciceronem, qui eorum nefariis consiliis obsisteret. Subtilius sane, sed quod vitium non semel apud oratorem nostrum deprehenditur.

21. *Pæne delerunt.* Nempe Catilinarii conjurati. J. V. L.

22. *Non revertissem.* Ipsis reviviscentibus : ut rempublicam iterum

cessissem; princeps autem civitatis[23], non legum præsidio, sed parietum, vitam suam tueretur; respublica sine consulibus esset[24], neque solum parentibus perpetuis[25], verum etiam tutoribus annuis[26] esset orbata; sententias dicere prohiberemini; caput meæ proscriptionis[27] recitaretur : numquam dubitastis meam salutem cum communi salute conjungere.

III. Postea vero quam singulari et præstantissima virtute P. Lentuli consulis[1], ex superioris anni caligine et tenebris lucem in republica kal. jan. dispicere[2] cœpistis; quum Q. Metelli[3], nobilissimi hominis atque optimi viri, summa dignitas, quum prætorum,

contra perditos eorum conatus mea vigilantia tueri et servare possem. Quum enim conjunxit hæc : « ut ego tum redirem, quum ii revixissent »; id plane confiteri visus est, meum reditum, iis reviviscentibus, esse necessarium; ne scilicet vulneri medicina deesset : siquidem ego rempublicam contra perditos eorum conatus meo more defenderem.

23. *Princeps autem civitatis.* Pompeium significat : qui Clodii petitus insidiis, domi tamdiu se tenuit, quamdiu ille in tribunatu fuit. Pro Sext. cap. 32 : « Iuitur consilium de interitu Cn. Pompeii : quo patefacto, ferroque deprehenso, ille inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu ». Pro Mil. cap. 7, § 18.

24. *Sine consulibus esset.* Piso enim et Gabinius non erant digni, qui consules dicerentur. Sic pro Sext. « Quid dicam consules? hoccine et ego appellem nomine eversores hujus imperii? proditores vestræ dignitatis? hostes bonorum omnium? » et alibi : « si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed ex fastis evellendos non putet ».

25. *Parentibus perpetuis.* Quales esse consules debent. Plus autem præstare solet pater, quam tutor.

26. *Verum etiam tutoribus annuis.* Dicit consules; quorum imperium erat annuum.

27. *Caput meæ proscriptionis recitaretur.* Pars illa legis tribunitiæ, qua erat prohibitum, ne quis referret, neve sententiam de Cicerone revocando diceret. Cap. 4, eam vocat per ironiam *præclarum caput. Proscriptionis :* invidiosa appellatio legis Clodianæ, qua Cicero ejectus fuerat in exsilium. Cur autem *proscriptionem* hanc, non legem nominarit, posterius exponit, cap. 4.

III. 1. *P. Lentuli consulis.* Qui post annum Pisonis et Gabinii consulatum una cum Q. Metello adeptus est. Cujus vim omnem ad Ciceronem in patriam revocandum omni studio contulit.

2. *Dispicere.* Introspicere. Alii « despicere », alii « respicere ». Male.

3. *Q. Metelli.* Qui etsi inimicitias cum Cicerone exercuisset, tamen eas se inimicitias dixit patribus conscriptis et temporibus et reipublicæ remittere.

tribunorum plebis pæne omnium[4] virtus et fides, reipublicæ subvenisset; quum virtute, gloria, rebus gestis Cn. Pompeius, omnium gentium, omnium sæculorum, omnis memoriæ facile princeps, tuto se in senatum venire arbitraretur[5]: tantus vester consensus de salute mea fuit, ut corpus abesset meum, dignitas jam in patriam revertisset[6]. Quo quidem mense[7], quid inter me et meos inimicos interesset, existimare potuistis. Ego meam salutem deserui, ne propter[8] me civium vulneribus respublica cruentaretur: illi meum reditum non populi romani suffragiis[9], sed flumine sanguinis intercludendum putaverunt. Itaque postea nihil vos civibus, nihil sociis, nihil regibus[10] respondistis; nihil judices sententiis[11], nihil populus suffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. Quo quidem tempore, quum is excessis-

4. *Tribunorum plebis pæne omnium.* Nam e prætoribus solus adversatus est App. Clodius P. Clodii frater: e tribunis duo tantum Sex. Attilius Serranus, et Num. Quintius.

5. *Venire arbitraretur.* Aliis consulibus magistratum adeptis, et jam gerentibus.

6. *Dignitas jam in patriam revertisset.* Quum omnino jam mihi mea restituta dignitas esset; et nominis mei memoria ac laus in omnium ore versaretur.

7. *Mense.* Januario. Die enim VIII kalendas febr. Q. Fabricius, princeps rogationis, templum aliquanto ante lucem occupavit, ut rogationem perferret. Pro Sext. cap. 35.

8. *Propter me.* Sic in ea pro Sextio multis verbis exponit, se neque mortis terrore, neque victoriæ, si dimicare placuisset, diffidentia, ex urbe cessisse, sed ne propter se civile aliquod bellum exoriretur.

9. *Non pop. rom. suffragiis.* Non lege per pacatum populum ordine et bono modo ferenda. — *Sed flumine sanguinis.* Significat eam seditionem, quæ in foro VIII kalend. febr. facta est, quum corporibus civium Tiberis compleretur, e foro spongiis sanguis effingeretur. Ad Quirites, cap. 5, § 14; pro Sext. cap. 35. — *Intercludendum.* Translatione rem amplificat, et subjungit *intercludendum* ex eo quod accidere sæpe solet, ut, qui aliquo iter habent, auctis fluminibus intercludantur.

10. *Nihil sociis, nihil regibus.* Qui legationes ad senatum pro consuetudine mittebant.

11. *Nihil judices sententiis.* Non exercebantur judicia, comitia non habebantur, non cogebatur senatus.

set[12], qui cædi et flammæ, vobis auctoribus, restiterat; cum ferro et facibus homines tota urbe volitantes, magistratuum tecta impugnata[13], deorum templa inflammata, summi viri et clarissimi consulis[14] fasces fractos, fortissimi atque optimi viri, tribuni[15] plebis, sanctissimum corpus, non tactum ac violatum manu, sed vulneratum ferro confectumque vidistis[16]. Qua strage nonnulli permoti magistratus[17], partim metu mortis, partim desperatione reipublicæ, paullum a mea causa recesserunt. Reliqui fuerunt, quos neque terror, neque vis, nec spes, nec metus, nec promissa, nec minæ, nec tela, nec faces a vestra auctoritate, a populi romani dignitate, a mea salute depellerent.

IV. Princeps P. Lentulus, parens ac deus nostræ vitæ[1], fortunæ, memoriæ, nominis, hoc specimen

12. *Quum is excessisset.* De se ipso loquitur. Quum is in exsilium abiisset, qui non privato consilio, sed auctore senatu supplicium de conjuratis sumpserat.

13. Al. *oppugnata.* J. V. L.

14. *Consulis.* Intelligendum videtur Lentulus, qui anno eo cousul fuit. Quamquam enim simile facinus proximo priore anno in consule Gabinio commissum memoratur in Pis. c. 12, et Dion. XXXVIII, 30; nihil mirum, quo anno discessit Cicero, idem evenisse in turbidis temporibus; quod etiam in orat. alter. post red. c. 6, significatur. Nisi forte, ut Gesnero placet, rem non omnino certam in medio reliquerit Cicero, nec adjecto consulis nomine, se satis ab audientibus fore intelligendum sit arbitratus.

15. *Tribuni plebis.* P. Sextii, qui omnem magistratus sui vim ad conficiendum Ciceronis reditum contulit. Ad Quirites, cap. 6. — *Sanctissimum corpus.* Erant enim tribuni plebis legibus sacratis sacrosancti, ita, ut si quis re, vel verbo eos læsisset, *sacer,* h. e. *detestabilis* esset, ejusque bona publicarentur.

16. *Sed vulneratum ferro confectumque vidistis.* Pro Sextio, cap. 37, copiosius rem narrat.

17. *Magistratus.* Conjectabat Manutius ædiles significari et quæstores. Ac primum ii nec ferendarum legum nec vocandi senatus potestatem habuerunt, deinde siquis præter tribunos et prætores pro viro pugnaverat, ei non minus quam tribunis in reliqua oratione gratiæ debebantur. Probabiliter h. l. de Q. Fabricio loquitur orator, qui quum primum de revocando Cicerone retulisset, armatorum manu foro expulsus, eo per aliquod sane tempus abstinuit. Pro Sextio, cap. 35.

IV. 1. *Nostræ vitæ.* Quippe, qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exsilio ad salutem revocavit. Ad Quirites, cap. 5, § 11.

virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen consulatus sui[2] fore putavit, si me mihi, si meis, si vobis, si reipublicæ reddidisset: qui, ut est designatus[3], numquam dubitavit sententiam de salute mea, se et republica dignam, dicere. Quum a tribuno plebis[4] vetaretur, quum præclarum caput[5] recitaretur, NE QUIS AD VOS REFERRET, NE QUIS DECERNERET, NE DISPUTARET, NE LOQUERETUR[6], NE PEDIBUS IRET[7], NE SCRIBENDO ADESSET[8], totam illam[9], ut ante dixi, proscriptionem, non legem putavit, qua civis optime de republica meritus, nominatim[10], sine judicio, una cum senatu,

2. *Consulatus sui.* Hoc facinus omnium, quæ in consulatu suo gereret, maxime memorabile, quodque inter alia ipsius facta tamquam clarissimum lumen eluceret. V. Ern. Clav.

3. *Designatus.* Simulatque designatus fuit, quum ad gloriam suam atque ad amplissimi beneficii gratiam magis pertinere videret, causam illam integram ad suum consulatum reservari; tamen rem talem per alios, quam per se tardius confici maluit. Significat præterea eum morem, ut post comitia consularis consules designati primi sententias rogarentur, et eorum is prior, qui priore loco declaratus esset.

4. *Quum a trib. plebis.* Quamvis ei obsisteret tribunus plebis. J.V. L.

5. *Præclarum caput.* Egregium illud legis caput, de quo supra c. 2. J.V. L.

6. *Ne disputaret, ne loqueretur.* Hoc est, ne quis ea de re longiorem haberet sermonem, immo ne vel verbulum de ea faceret.

7. *Ne pedibus iret.* Fiebant senatusconsulta ordinarie « per discessionem », hoc est, ita, ut, qui censuisset, in certam curiæ partem « discederet », eumque, qui idem censerent, sequerentur; unde « pedibus in alicujus sententiam ire » dicimus pro « eam amplecti, idem sentire », et contra: « discedere in alia omnia ». Consules enim jubebant senatores discedere ad eum locum, ubi erat alicujus sententiæ pronuntiatæ auctor.

8. *Ne scribendo adesset.* Scilicet senatusconsulto. Scribendo adesse dicitur de his, qui SCto nomina sua præponi curant. Primis enim senatusconsultorum, quæ libera rep. fiebant, versibus præponi solebant nomina eorum, qui ad ea conscribenda adhibiti erant; qua in re usu recepta erant verba hæc, « scribendo adfuere ». Vid. Brissonius de formul. Rom. lib. II, p. 192.

9. Al. multi, « illam clausulam ».

10. *Nominatim.* Prius enim non nominatim Ciceronem damnarat Clodius. « Legem », inquit de Clodio Vell. Paterculus, lib. II, cap. 45, « in tribunatu tulit; qui civem romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur. Quibus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur ». Post discessum vero Ciceronis Clodius aliam legem tulit his verbis: « Velitis, jubeatis, Quirites, ut M. Tullio, quod falsum senatus-

reipublicæ esset ereptus[11]. Ut vero iniit magistratum, non dicam, quid egit[12] prius, sed quid omnino egit aliud, nisi, ut, me conservato, vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret[13]? Dii immortales, quantum mihi beneficium dedisse videmini, quod hoc anno P. Lentulus consul est! quanto majus dedissetis, si superiore anno fuisset! Nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari[14] vulnere concidissem. Audieram ex sapientissimo homine, atque optimo civi et viro, Q. Catulo, non sæpe unum consulem improbum, duos vero numquam, post Romam conditam, excepto illo Cinnano[15] tempore, fuisse. Quare meam causam semper fore firmissimam, dicere solebat, dum vel unus in republica consul esset. Quod vere dixerat, si illud de duobus consulibus, quod ante in republica non fuerat, perenne ac proprium manere potuisset. Quod si Q.[16] Metellus

consultum retulerit, et indemnatos cives necarit, aqua et igni interdicatur ». Pro Domo, cap. 18, 19, 20; pro Sext. cap. 30. Quæ lex Clodiana fuit contra leges sacratas et XII tabulas, quibus sancitum erat, ut ne privilegium irrogari liceret, neve de capite civis nisi comitiis centuriatis rogaretur. Utrumque autem Clodius proscriptione Ciceronis violarat. Nam et nominatim de ipsius capite tulerat, et eam legem tulerat non comitiis centuriatis, i. e. universo populo per classes et centurias convocato, sed tumultuaria servorum et operarum concione.

11. *Una cum senatu, reipublicæ esset ereptus.* Quia sententias dicere non licebat, senatus ipse sublatus videbatur.

12. Al. MSS, « quid egerit ». J.V.L.

13. *Sanciret.* Confirmaret. Nam quæ Cicero adversus conjuratos gesserat, auctore senatu gesserat. Violata igitur erat senatus auctoritas, quum ob eam causam, quia senatui paruerat, ipse violatus est.

14. *Nisi consulari vulnere.* Pisonis et Gabinii. Ad Quirites, cap. 6, § 15.

15. *Illo Cinnano tempore.* Cinnano tempore Cinna ipse et C. Octavius improbissimi consules rempubl. mutuis discordiis, belloque civili labefactarunt. Dictum Catuli recitat quoque pro Domo, cap. 43 : « O Q. Catule, tantumne te fefellit, quum mihi summa et quotidie majora præmia in republica fore putabas? Negabas fas esse, duos consules esse in hac civitate inimicos reipublicæ. Duo sunt inventi, qui senatum tribuno ferenti constrictum traderent ».

16. *Q. Metellus.* Hoc addit ad objectionem tacitam. Nam quum Q. Metellus P. Clodii affinis esset, et

illo tempore consul fuisset unicus, dubitatis, quo animo fuerit in me conservando futurus, quum in restituendo auctorem[17] fuisse, adscriptoremque videatis? Sed fuerunt duo consules, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ[18], oppletæ tenebris ac sordibus, nomen ipsum consulatus, splendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri[19], nec sustinere, nec capere potuerunt; non consules, sed mercatores provinciarum, ac venditores vestræ dignitatis[20]: quorum alter[21] a me Catilinam, amatorem suum, multis audientibus, alter[22] Cethegum, consobrinum, reposcebat; qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam, non consules, sed latrones, non modo deseruerunt, in causa præsertim publica et consulari, sed prodiderunt[23], oppugnarunt, omni auxilio, non solum suo, sed etiam vestro, ceterorumque ordinum, spoliatum esse voluerunt.

cum Cicerone inimicitias exercuisset, videbatur, si consul fuisset, Ciceronem non admodum adjuturus. Sensus est: si vel maxime Q. Metellus, qui antea mihi parum amicus fuit, illo tempore consul fuisset cum Pisone aut Gabinio, annon creditis, Clodii conatibus et armis eum fuisse restiturum, meque conservaturum? Fecisset, quamvis inimicus, quia vir bonus est, et bonus consul in republica fuisset.

17. *In restituendo auctorem.* Ambigue hic loquitur Noster, idque consulto. Non enim eo sensu Metellus *auctor* restituendi Ciceronis erat, quod primus ipsius causam suscepisset, sed isto sensu, quod assentiens tandem collegæ Lentulo Ciceronem adjuverit *auctoritate* sua consulari. *Adscriptor* fuit, quum pro more nomen ejus in perscribendo SC. apponeretur.

18. Ernest. *parvæ.* J. V. L.

19. Turnebi codd. et regii, *tueri.* J. V. L.

20. *Vestræ dignitatis.* Erat enim non consulum, sed senatus universi munus, futuris magistratibus decernere provincias, quas designati inter se sortirentur.

21. *Alter.* A. Gabinius, qui in pueritia male ob Catilinæ consuetudinem audierat: qua de causa Catilinam ipsius *virum* postea appellat, Gabinium vero *Catilinæ delicias.* Pro Domo, cap. 24.

22. *Alter.* L. Piso. *Cethegus* unus e conjurationis principibus fuerat, et decreto senatus cum aliis quatuor in carcere strangulatus.

23. *Sed prodiderunt.* Ad ipsos enim consules defensio maxime salutis meæ pertinebat: quum ego consul res illas pro salute patriæ gessissem, quarum causa vexari me iniquissime, et oppu-

Quorum alter[24] tamen neque me, neque quemquam fefellit.

V. Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cujus primum tempus ætatis palam fuisset ad omnium libidines divulgatum? qui ne a sanctissima quidem parte corporis[1] potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare? qui quum suam rem[2] non minus strenue, quam postea publicam confecisset, egestatem et luxuriam domestico lenocinio sustentavit[3]? qui nisi in aram tribunatus[4] confugisset, neque vim prætoris[5], nec multitudinem creditorum, nec bonorum proscriptionem[6] effugere potuisset? Quo in magistratu[7] nisi rogationem de piratico bello tulisset, profecto egestate et improbi-

gnari a tribuno plebis videbant. In Pisonem : « Quum enim esset omnis causa illa mea consularis, et senatoria; auxilio mihi opus fuerat, et consulis, et senatus ».

24. *Alter.* A. Gabinius. — *Neque me... fefellit.* Hoc est, non fecit id præter opinionem nostram : jam prævideramus, eum tam prave se gesturum esse.

V. 1. *Sanctissima parte corporis.* Notatur infamia oris, de qua Lactantius, nostri fortasse loci memor, scribit V, 9, 17 : « qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant, et profanent ». Plerique hoc in loco errant interpretes.

2. *Suam rem.* Qui quum privata bona tam cito consumpsisset, quam postea publicum ærarium exhausit.

3. *Sustentavit.* Egressus ætate puerili, quum se jam ad alienas libidines divulgare non posset, domi suæ lenocinium exercuit.

4. *Aram tribunatus.* *Ara* salutis asylum; hinc absolute salutis præsidium notat, quo qui confugiunt, servantur. Verr. lib. V, cap. 48 : « Hic portus, hæc arx, hæc ara sociorum », sc. lex de repetundis. *Tribunatus* autem magistratus est sacrosanctus. Itaque tribunis molestus esse privatæ rei causa nemo poterat.

5. *Prætoris.* Urbani, qui jus de pecuniis creditis reddebat.

6. *Nec bonorum proscriptionem.* Prætor urbanus ex edicto mittebat in bonorum possessionem eorum debitorum, qui absentes judicio defensi non fuerant. Quum dies triginta possessa essent, proscribebantur, i. e. libellis palam fixis denuntiabatur, ea bona auctione constituta venditum iri. Catil. II, cap. 10.

7. *In magistratu.* Tribunatu. Nam quum eo anno piratæ non solum maria, verum etiam oras maritimas suis latrociniis infestas redderent, legem tulit Gabinius, ut bellum adversus piratas Cn. Pompeio mandaretur. Cujus legatus quum esset factus, subvenit egestati suæ. Pro lege Manil. cap. 19.

tate coactus piraticam ipse fecisset; ac minore quidem cum reipublicæ detrimento, quam quod[8] intra mœnia nefarius hostis, prædoque versatus est: quo inspectante ac sedente[9], legem tribunus plebis tulit, ne auspiciis obtemperaretur; ne obnuntiare[10] concilio[11], aut comitiis; ne legi intercedere[12] liceret: ut lex Ælia[13] et Fufia[14] ne valerent[15]; quæ nostri majores certissima subsidia reipublicæ[16] contra tribunitios furores esse voluerunt. Idemque postea, quum innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio supplex ad eum sordidata[17] venisset, quumque adolescentes nobilissimi, cunctique equites romani se ad lenonis impurissimi[18] pedes abjecissent; quo vultu cincinnatus ganeo non solum civium lacrymas, verum etiam patriæ preces repudiavit? Neque eo contentus

8. Forte, *quum*. J. V. L.

9. *Inspectante ac sedente*. Quiescente, tacente. Confer in Pis. 9; pro Sext. c. 15; ad Att. III, 15.

10. *Obnuntiare*. Qui malam rem nuntiat, obnuntiat; qui bonam, annuntiat. Nam proprie *obnuntiare* dicuntur augures, qui, quum aliquid mali ominis sævumque vidissent, infausta signa comitia habenti nuntiabant, ut comitia dirimerentur. Nota est formula: *alio die*. Vid. Ern. Clav.

11. *Concilio*. *Concilium* est concio populi, vocata ad legem promulgandam et recitandam ante comitia. *Comitia* autem sunt conventus universi populi ad ferendum de aliqua re suffragium.

12. *Intercedere*. Quum lex ferebatur, tribuni plebis poterant intercedere legi, vetareque, ne perferretur, verbo illo solemni *veto*. Tulit ergo Clodius, ut tribuno pleb. legem ferenti nemo intercederet.

13. *Lex Ælia*. Ælia lex *de Comitiis*: ad tribunitios furores coercendos lata est a Q. Ælio consule. Ea cautum est, ut, quoties comitia essent, de cælo servare liceret, obnuntiare liceret, obnuntiationique cedere necesse esset.

14. Al. *Fusia*. J. V. L.

15. *Ne valerent*. Clodius ergo, quo posset arbitratu suo, quandocumque vellet, exitiosas reipublicæ leges ferre, sustulit auspicia, obnuntiationem, intercessionem, i. e. legem Æliam et Fufiam, quæ tria hæc confirmabant, ne perniciosis legibus improbi tribuni pl. reip. nocere possent.

16. *Subsidia reipublicæ*. In Pisoniana leges illas appellat « propugnacula murosque tranquillitatis et otii ».

17. *Supplex ad eum sordidata*. Hominum enim viginti millia vestem pro salute Ciceronis mutarunt. Ad Quirites, cap. 3.

18. Al. *impudicissimi*. J. V. L.

fuit, sed etiam in concionem adscendit, eaque dixit, quæ, si ejus vir [19] Catilina revixisset, dicere non esset ausus: se nonarum decembr. [20], quæ me consule fuissent, clivique Capitolini pœnas ab equitibus romanis esse repetiturum. Neque solum id dixit, sed quos ei commodum fuit, compellavit; L. vero Lamiam, equitem romanum, præstanti dignitate hominem [21], et saluti meæ pro familiaritate [22], reipublicæ pro fortunis suis, amicissimum [23], consul imperiosus exire urbe jussit [24]; et quum vos vestem mutandam censuissetis [25], cunctique mutassetis, atque idem omnes boni jam ante fecissent; ille unguentis oblitus, cum toga prætexta [26], quam omnes prætores ædilesque tum ab-

19. *Ejus vir.* Quasi Gabinius Catilinæ nupsisset, pudicitiamque suam illi prostituisset. *Amatorem* antea dixit § 10.

20. *Nonarum decembr.* Quo die SC. de conjuratis plectendis factum est. Erant autem illo die armati equites rom. in clivo Capitolino, circa templum Concordiæ, ubi sententiæ de supplicio conjuratorum dicebantur.

21. *Præstanti dignitate hominem.* Hoc addidit, quia non solum eques romanus, sed princeps etiam erat equestris ordinis: ut in ep. ad D. Brutum, lib. XI, ep. 16: « Clodianis temporibus, quum equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio consule relegatus est ».

22. *Pro familiaritate.* Quanta intercesserit Ciceroni cum Lamia hoc familiaritas, discas licet e lib. XI, ad Div. epist. 16 et 17, et lib. XII, epist. 29: « Neminem in populo romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum Lamia est ».

23. *Amicissimum.* Hoc dicit orator, Lamiam et suæ Ciceronis sc. saluti et reipublicæ amicum fuisse; et Ciceronis quidem saluti pro familiaritate cum ipso, reipublicæ vero pro fortunis et bonis suis. Quorum enim amplæ fortunæ sunt, ii præsentem reipublicæ statum amant, novari nihil volunt. Qui vero a fortunis rebusque domesticis sunt imparati, iis resp. cara non est: quærunt novitatem rerum vel cum publica pernicie, ut suis privatis vulneribus medeantur.

24. *Exire urbe jussit.* Vid. ad Div. lib. XI, ep. 16, et lib. XII, ep. 29, et pro Sextio: « L. Lamiam in concione relegavit: edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta, quod esset ausus pro cive, pro bene merito cive, pro amico, pro republica deprecari ».

25. *Et quum vos vestem mutandam censuissetis.* Senatusconsulto proprie de ea re facto.

26. *Cum toga prætexta.* Qua majores magistratus utebantur, et quam tum quasi in publica calamitate abjecerant.

jecerant, irrisit squalorem vestrum, et luctum gratissimæ civitatis; fecitque, quod nemo umquam tyrannus, ut, quo minus occulte vestrum malum gemeretis, nihil diceret; ne aperte incommoda patriæ lugeretis, ediceret[27].

Quum vero in circo Flaminio[28], non a tribuno plebis consul in concionem, sed a latrone archipirata, productus esset, primum processit, qua auctoritate vir? vini, somni, stupri plenus, madenti coma, composito capillo, gravibus oculis[29], fluentibus buccis, pressa voce et temulenta: quod in cives indemnatos esset animadversum, id sibi dixit, gravis auctor, vehementissime displicere. Ubi nobis hæc auctoritas tam diu tanta latuit? cur in lustris et helluationibus hujus calamistrati saltatoris[30] tam eximia virtus tam diu cessavit?

VI. Nam ille alter Cæsoninus Calventius[1], ab ado-

27. *Ediceret.* Ut nullam quidem causam afferret, cur non gemeretis occulte, nec quo minus doleretis meum exsilium impediret, sed, ne palam, veste mutata, incommoda patriæ lugeretis, ediceret. Hoc nemo umquam tyrannus fecit. Sic in Sextiana: « Quis umquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? »

28. *Circo Flaminio.* Circus Flaminius fuit extra portam Carmentalem prope ædem Apollinis, et forum olitorium. Nomen unde traxerit, non satis constat. In hoc loco nonnumquam conciones habitæ sunt a seditiosis tribunis plebis. Hæc concio habita est a Clodio, in quam jussit venire Gabinium consulem, ut interrogatus de Ciceronis causa responderet, per quæ sui conatus adjuvarentur. — *Qua auctoritate vir!* i. e. cogitate, quæso, quam turpiter se dederit vir tanta præditus auctoritate tantoque honore, consul quippe romanus.

29. *Gravibus oculis.* Graves oculi sunt eorum, qui nondum edormivere crapulam.

30. *Saltatoris.* Saltator, in convicii loco dicitur. Patet enim ex orat. pro Dejotaro, cap. 9, saltationem apud Romanos turpem fuisse, sive propter levitatem, sive propter obscœnitatem motus, qua saltantes utebantur. Æmilius Probus in Epaminonda, cap. 1: « Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona: saltare vero etiam in vitiis poni ». *Cessavit:* otiosa fuit.

VI. 1. *Alter Cæsoninus Calventius.* L. Piso consul alter, collega Gabinii: qui *Cæsonini* cognomen a patre: *Calventii* autem nomen a patris socero accepit, qui fuerat Calventius, homo

lescentia versatus est in foro, quum eum, præter simulatam versutamque tristitiam, nulla res commendaret, non juris studium, non dicendi, non rei militaris, non cognoscendorum hominum, non liberalitas [2]. Quem præteriens quum incultum, horridum, mœstumque vidisses, etiamsi agrestem et inhumanum existimares, tamen libidinosum et perditum non putares. Cum hoc homine, an cum stipite Æthiope [3] si in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elingue [4], tardum, inhumanum negotium [5]. Cappadocem [6] modo abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quam libidinosus? quam impurus? quam intemperans, non janua receptis, sed pseudothyro [7] intromissis voluptatibus? Quum vero etiam literis [8] studere incipit, et helluo immanis [9] cum Græculis philosophari, tum est Epicureus,

Gallus, Placentiæ civitate donatus. Inde Romam cum filia profectus, eam Pisoni Cæsonino, hujus L. Pisonis patri collocavit. Ceterum observes et hoc et superiori, et proximo in capite summam Ciceronis dicendi libertatem, vel potius intemperantiam et scurrilitatem, qua duos inimicos sibi, consules, insectatur.

2. *Non juris... liberalitas.* Hoc totum Ernestio videtur esse delendum, quia abest a MSS et in aliis varie corrupteque legitur. Grævius vero hanc scripturam tuetur, eamque laudat Heumannus, qui præterea tironibus præcipit, ut discant hinc, quinque Romanis vias fuisse ad honores. Alius scilicet se commendabat civibus suis juris scientia, alius eloquentia, alius virtute militari, alius prudentia civili, alius denique effusa liberalitate.

3. *Stipite Æthiope.* Idem erat in foro cum Pisone aut cum stolido Æthiope versari. In *stipite* Pisonis stupor, in *Æthiope* deformitas ac color notantur. Multi habent « stipite vel Æthiope ».

4. *Elingue.* Sic correxit Ernestius loco « elinguem », ita ut mollior sit structura, et omnia ad « negotium » referantur.

5. Al. *negotium, Capp.* J. V. L.

6. *Cappadocem.* Contemptissimum servorum genus. Iisdem ferme verbis notatur Piso in ea quam Cicero contra eum habuit oratione, « Syrus nescio quis, de grege novitiorum ». Et facile confunduntur nationes, quæ ne bonos quidem servos suppeditabant.

7. *Pseudothyro.* Vid. cap. 5, § 11. Innuitur Venus mascula, significaturque, quod adversus et aversus fuerit impudicus.

8. Al. *literas.* J. V. L.

9. *Immanis.* Ingens. — *Græculus.* Græcus philosophus. Ad contemptum

non penitus illi disciplinæ, quæcumque est, deditus, sed captus uno verbo voluptatis. Habet autem magistros non ex istis ineptis[10], qui dies totos de officio ac de virtute disserunt, qui ad laborem, ad industriam, ad pericula pro patria subeunda adhortantur; sed eos, qui disputent, horam nullam vacuam voluptate esse debere; in omni parte corporis semper oportere aliquod gaudium delectationemque versari. His utitur quasi præfectis[11] libidinum suarum; hi voluptates omnes vestigant atque odorantur; hi sunt conditores instructoresque convivii; iidem expendunt atque æstimant voluptates, sententiamque dicunt, et judicant, quantum cuique libidini tribuendum esse videatur. Horum ille artibus eruditus, ita contempsit hanc pudentissimam civitatem[12], ut omnes suas libidines, omnia flagitia latere posse arbitraretur, si modo vultum importunum[13] in forum detulisset.

VII. Is me[1], quamquam me[2] quidem non (cogno-

fere pertinet. Pro Sextio, cap. 51: « Græculum se putari voluit ».

10. *Ex istis ineptis.* Scholasticos et ridiculos appellat Piso philosophus omnis severioris sectæ, maxime stoicos, qui dicebant dignitati esse serviendum, reip. consulendum. Confer in Pis. 28, et Senec. Ep. 76 pr.

11. *Quasi præfectis.* Eadem simili ferme sensu in Verrinis passim tractantur, ubi de Cybiraticis canibus agitur.

12. *Pudentissimam civitatem.* Multus est in hoc propinando loco Wolfius, et interrogat num hoc audiens senatus magis risum tenuisset, quam intelligens quisque nunc Londini aut Parisiis teneret, si quis in publica oratione has urbes *pudentissimas* appellaret. Sed non de urbe, sed de *civitate*, seu gente loquitur honestatis amante, cujus gravitas sæpius græcæ levitati est opposita. Unde non ita mirandi aut exclamandi locus, nec Schützio auctore dicendi adeo ridiculam hanc esse vocem, ut ne in insulsum quidem hanc declamatorem cadere posse videatur. Ceterum quatt. cod. Ox. habent « prudentissimam », quod amplexus est Schütz. quamvis non ita bene ad sensum accommodatum esse videatur.

13. *Importunum.* Si austero et severo vultu se in foro ostentaret.

VII. 1. Græv. e vestigiis codicum et editorum, sic locum restituit, « Is me quidem minime... quamquam longe hunc, etc. » Idem post mallet, « contagio materna ». J. V. L.

2. *Quamquam me.* Me plane non decepit, inquit Cicero, qui illum du-

ram enim, propter Pisonum affinitatem, quam longe hunc ab hoc genere[3] cognatio materna Transalpini sanguinis abstulisset), sed vos, populumque romanum, non consilio[4], neque eloquentia[5], quod in multis sæpe accidit, sed rugis supercilioque decepit. L. Piso, tune ausus es isto oculo[6], non dicam isto animo; ista fronte, non vita; tanto supercilio, non enim possum dicere, tantis rebus gestis, cum A. Gabinio consociare consilia pestis meæ? Non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, non frons calamistri notata vestigiis[7], in eam cogitationem adducebat, ut, quum illius re similis fuisses, frontis tibi integumento[8] ad occultanda tanta flagitia diutius uti

dum noram propter affinitatem Pisonum, quum filia mea C. Pisoni nupsisset. Quum essem affinis Pisonum, propter filiam meam C. Pisoni collocatam, satis mihi notum fuit, eum propter matrem origine Gallam, quæ moribus Transalpinis eum infecerat cum lacte materno, longissime ab hac familia abesse, et ab illius moribus descivisse.

3. *Ab hoc genere.* A nobili stirpe Pisonum romana. — *Cognatio materna Transalpini sanguinis.* Matris enim L. Pisonis Calventius quidam, Transalpinus homo, pater fuit, § 13. — *Sed vos, populumque romanum.* Qui consulem creavistis.

4. *Non consilio.* Id est, juris peritia. Superiori jam in capite dixit Cicero, Pisonem videri voluisse JCtum, ac semper in foro versatum esse.

5. *Neque eloquentia.* Erat enim sine sensu, sine sapore, elingue, tardum, inhumanum negotium. Vide cap. 6, § 14.

6. *Isto oculo.* Ineptum hunc locum et ludentis pueriliter ingenii, non vero Ciceronis dictionem esse animadverterunt Marklandus et Wolfius. Et antitheta quidem argutiora videntur; sed quæ satis Ciceronem referant, iis præsertim quos non fugit quam cupide in jocis immoretur auctor noster, ita ut etiam aliquandiu plane frigidus appareat. Putidam sententiam habent quod h. l. opponitur *frons*, *oculus*, *supercilium*, et ex Sextiana depromptum putant, ubi legitur: « Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio respublica, tamquam Atlante cælum, niti videretur ». Nos si viro sanæ mentis petamus utrum optima supercilii cum Atlante collati metaphora videatur, quid respondeat non dubitamus. Neque tamen orationem hanc Ciceroni abjudicare quis adhuc cogitavit.

7. *Frons... vestigiis.* Quum forte per imprudentiam ab eo, qui capillos intorquet, attingitur.

8. *Integumento.* Quam enim tibi severitatis et integritatis opinionem frons afferebat, eam, consociatis cum Gabinio pestis meæ consiliis, prorsus amittebas. Ejus enim unguentorum odor, vini anhelitus, frons calamistri

non liceret? Cum hoc tu[9] coire ausus es, ut consularem dignitatem, ut reipublicæ statum, ut senatus auctoritatem, ut civis optime meriti fortunas provinciarum fœdere addiceres[10]? Te consule, tuis edictis et imperiis, senatui populoque romano non est licitum, non modo sententiis[11] atque auctoritate sua, sed ne luctu quidem ac vestitu[12] reipublicæ subvenire. Capuæne te putabas, in qua urbe domicilium quondam superbiæ fuit, consulem esse[13], sicut eras eo tempore; an Romæ, in qua civitate omnes ante vos consules senatui paruerunt? Tu es ausus, in circo Flaminio productus[14] cum tuo illo pari, dicere, te semper misericordem fuisse[15]? quo verbo senatum, atque omnes bonos tum, quum a patria pestem de-

notata vestigiis cum tua severa fronte minime congruebant, sed te quoque talem in flagitiis esse, quamquam simulares, ostendebant. — *Ad occultanda tanta flagitia.* Quæ occultare antea frontis integumento solitus eras.

9. Abest *tu*. J. V. L.

10. *Addiceres*. Sc. libidini tribuni pl. Clodii, potestati ejus permitteres, ut ea sunt in potestate nostra, quæ a nobis empta sunt, aut potius, ut est debitor judicio nobis addictus. Vid. Ernesti Clav. Eodem modo *dedere*, *tradere*, *donare hostibus* paullo post.

11. *Sententiis*. Nam senatus vestem mutandam censuerat. Consules autem, contra quam senatus censuisset, ut cives ad vestitum redirent, edixerunt.

12. *Ne luctu q. ac vestitu*. I. e. ne luctu quidem, qui veste mutata indicatur. Pro *luctu* Grævius edidit *vultu*.

13. *Consulem esse*. Proprie erat Capuæ *duumvir:* una cum Cn. Pompeio (ita enim, non consules, vocabantur præfecti municipiorum); sed abusus est nomine consulis propter similitudinem magistratus utriusque, præsertim in illa urbe, quæ tum pæne Roma altera putabatur. Eumdem Pisonem Noster vocat *Campanum consulem;* per irrisionem pro *duumvirum:* qui factus erat L. Piso a Cæsare cum Cn. Pompeio, deducta Capuam colonia. Campaniæ autem princeps urbs Capua erat. Pro Domo, cap. 23; itemque in Pisonem, cap. 11.

14. *In circo Flaminio productus*. A P. Clodio, tribuno plebis. — *Cum tuo illo pari*. Cum Gabinio collega, tui simillimo. In Pisonem, cap. 8: « Edicere est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut senatus, contra, quam ipse censuisset, ad vestitum rediret ».

15. *Misericordem fuisse*. Sic in Pisoniana, cap. 6: « Productus in concionem, quum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo, respondes, crudelitatem tibi non placere ».

pellerent[16], crudeles demonstrabas fuisse. Tu misericors me affinem tuum[17], quem comitiis tuis prærogativæ[18] primum custodem præfeceras, quem kalendis jan. tertio loco[19] sententiam rogaras, constrictum inimicis reipublicæ tradidisti : tu meum generum, propinquum tuum; tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a genibus[20] tuis repulisti : idemque tu, clementia ac misericordia singulari[21], quum ego una cum republica non tribunitio, sed consulari ictu concidissem, tanto scelere, tantaque intemperantia fuisti, ut ne unam quidem horam interesse paterere[22] inter meam pestem, et tuam prædam; saltem dum conticesceret illa lamentatio et gemitus urbis.

Nondum palam factum erat occidisse rempubli-

16. Gruter. *depulissem*. J. V. L.

17. *Me affinem tuum*. Ob filiam C. Pisoni, hujus propinquo, collocatam. — *Comitiis tuis*. In quibus tu petitor consulatus fuisti.

18. *Prærogativa* dicitur centuria vel tribus, quæ per sortem accepit jus primum ferendi suffragii. *Custodes* in comitiis item tabellarum dicuntur amici, urnis et diribitoribus tabellarum oppositi, ne fraus intercedere posset. Tabellas educebant, et punctis in alia tabella notatis singulorum sententias numerabant, et, quod pluribus placuisset, per præconem pro istius centuriæ suffragio pronuntiabatur. Inde apparet, munus hoc custodiendi, id est, suffragiorum numerum observandi, fuisse maximi momenti; quare non nisi fidelissimo et certissimo amico mandabatur.

19. *Tertio loco*. Primum fortasse, absente C. Cæsare, genero suo, Cn. Pompeium, alterum M. Crassum, tertium Ciceronem rogavit. Tribuebatur autem et honori, et amicitiæ, inter primos sententiam rogari, i. e. interrogari.

20. *A genibus tuis*. Respicit morem veterem *orandi per genua*, de quo multa loca antiquorum profert Brissonius, lib. VIII de formulis, p. 739 sq. Supplices enim non ipsi modo in genua provolvebantur, sed etiam eorum, quibus supplicabant, genua attingebant, atque ad hæc manus tendebant.

21. *Ac misericordia singulari*. Ironia : quia dixerat Piso in concione, se misericordem semper fuisse.

22. *Paterere*. Clodius enim, quum rogationem de Cicerone ejiciendo tulisset, statim de provinciis tulit, ut Macedoniam Piso, Syriam Gabinius administraret. Pro Sextio, cap. 24 : « Illo, inquam, ipso die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem, mihi reique publicæ pernicies; Gabinio et Pisoni provincia rogata est ».

cam, quum tibi arbitria[23] funeris solvebantur. Uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat; bona ad vicinum consulem[24] de Palatio[25], de Tusculano[26] ad item vicinum alterum consulem[27] deferebantur: quum, iisdem operis[28] suffragium ferentibus, eodem gladiatore latore[29], vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis, atque inani foro, ignaro populo romano quid ageretur, senatu vero oppresso et afflicto, duobus impiis nefariisque consulibus, ærarium, provinciæ[30], legiones, imperia donabantur.

VIII. Horum consulum ruinas[1] vos consules vestra virtute fulsistis, summa tribunorum plebis prætorumque fide et diligentia sublevati[2]. Quid ego de

23. *Arbitria* sunt pecunia vespillonibus data, aliisque funus juvantibus, omnes denique impensæ, quæ in funus fiunt. Hinc dicuntur de præda, quam cepit Piso ex Ciceronis et patriæ interitu. In Pisonem, cap. 9: « Eodem in templo, eodem et loci vestigio, et temporis, arbitria non mei solum, sed patriæ funeris abstulisti ».

24. *Ad vicinum consulem.* Pisonem. Nam in Pisoniana, cap. 11, scribit: « At tu illo ipso tempore, apud socrum tuam prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas, non exstinctor, sed auctor incendii, etc. »

25. *De Palatio.* Id est, monte Palatino, ubi Cicero domum habuit. Conf. Catil. I, cap. 1.

26. *Tusculano.* Scilicet prædium quod et *Tusculanum* absolute dicitur, prædium Ciceronis in agro Tusculano. *Tusculum*, Italiæ oppidum in Latio.

27. *Alterum consulem.* Gabinium, qui fundum habebat in Tusculano, ubi postea villam ingentem exstruxit, de qua in orat. pro Sextio, in Pisonem. Pro Domo, cap. 24: « Quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem, transferebatur, columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inspectante populo romano, ad socrum consulis portabantur ».

28. *Operis.* H. l. sunt homines, quorum labor mercede conductus est, *Arbeiter.* Significat eos Cicero, quorum opera usus erat improbus consul ad demoliendam Ciceronis domum.

29. *Gladiatore latore.* Id est, legis latore. Clodium dicit, qui tribunus pl. ferebat legem de provinciis Gabinio et Pisoni dandis.

30. *Provinciæ.* Clodius in lege, qua provincias illis attribuit, adscripsit, ut iis magna pecunia ex ærario, quasi ad provincias administrandas necessaria, daretur, quam tamen cum ipsis partitus est. Pro Sextio, cap. 10.

VIII. 1. *Consulum ruinas.* Calamitates, quas sc. consules intulerunt.

2. Al. *sublevastis.* J. V. L. — *T. Annio.* Milone, qui hoc anno tribunus plebis omne suum studium ad Ciceronem revocandum contulit.

præstantissimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali cive satis digne umquam loquetur? qui quum videret, sceleratum civem, aut domesticum potius hostem, si legibus uti liceret, judicio esse frangendum; sin ipsa judicia vis impediret ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem consilio, manum manu, vim vi esse superandam: primo de vi postulavit [3]; posteaquam ab eodem judicia sublata esse [4] vidit, ne ille omnia vi posset efficere, curavit [5]; qui docuit, neque tecta, neque templa, neque forum, neque curiam, sine summa virtute, ac maximis opibus et copiis ab intestino latrocinio posse defendi; qui primus, post meum discessum, metum bonis, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius [6] sequutus, pro mea salute, pro vestra auctoritate, pro statu civitatis, nullas sibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ discrimen vitandum umquam putavit: qui causam senatus, exagitatam concionibus improborum, sic sua diligentia

3. *Vi postulavit.* Postulare est verbum juris, et actor speciatim postulare dicitur, qui prætorem rogat, ut liceat nomen deferre; per metonymiam ergo pro *accusare* dicitur. Vid. Ernesti Clav. Milo autem Clodium de vi reum fecit, quod ipsius domum oppugnasset, et cædem in foro cum gladiatoribus fecisset. Ad Attic. lib. IV, ep. 3: « Nam Milonis domum, eam, quæ in Germalo, pridie idus novembr. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora quinta cum scutis homines, eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit ».

4. *Sublata esse.* Significat illud, quod est in ea pro Sextio, cap. 41: « Ecce tibi consul, prætor, tribunus plebis, nova novi generis edicta proponunt: Ne reus adsit, ne citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam judicum aut judiciorum facere liceat ».

5. *Curavit.* Suam enim vim aliquando firmiorem opposuit.

6. *P. Sextius.* Alter tribunus plebis, pro quo exstat Ciceronis oratio, in qua hæc fusius explicantur. Inde igitur multum depromere poteris ad nostram hanc illustrandam. — *Pari virtute... Sextius.* Hoc est, Sextius, qui vir est pari virtute, animo et fide. Cave igitur ablativum *virtute* construas cum *sequutus.* Eumdem in modum cap. 7, « tu clementia singulari », pro tu, qui es clementia singulari.

multitudini commendavit, ut nihil tam populare [7], quam vestrum nomen, nihil tam omnibus carum aliquando, quam vestra auctoritas videretur; qui me quum omnibus rebus, quibus tribunus plebis potuit, defendit, tum reliquis officiis, juxta ac si meus frater esset, sustentavit; cujus ego clientibus, libertis, familia [8], copiis, literis ita sum sustentatus, ut meæ calamitatis non adjutor solum, verum etiam socius videretur.

Jam ceterorum officia studiaque [9] vidistis : quam cupidus mei C. Cestilius, quam studiosus vestri, quam non varius fuerit in causa. Quid M. Cispius? cui ego ipsi, parenti, fratrique ejus, sentio quantum debeam : qui, quum a me voluntas eorum in privato judicio esset offensa [10], publici mei beneficii memoria privatam offensionem obliteraverunt. Jam T. [11] Fadius, qui mihi quæstor fuit, M. Curtius [12], cujus ego patri quæstor fui, studio, amore, animo, huic necessitudini non defuerunt. Multa de me C. Messius, et amicitiæ et reipublicæ causa, dixit : legem separatim [13]

7. *Nihil tam populare*. Quum senatores fere optimates sint. — *Populare*. Populo gratum. — *Aliquando*. Pro umquam, seu aliquo tempore. — *Juxta ac si*. Id est, non secus ac si.

8. *Familia*. Servis. — *Copiis*. Pecunia sua. Cap. 9. Et de Senect. c. 3 : « Sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes et copias tolerabiliorem senectutem videri ».

9. Al. *studia vid.* J. V. L.

10. *Esset offensa*. Simultates fuisse inter M. Cispium et Ciceronem ante hujus exsilium docet oratio pro Plancio. Potuerunt eæ offensiones ad patrem et fratrem Cispii pertinere; quod obiter indicat orator; neque offensionis revocandæ sane locus erat, quum de gratiarum actione ageretur.

11. *Fadius*. Hic forsan quæstor Ciceronis fuerat, in ea provincia quam Cicero abdicavit, quum Romæ commorari mallet.

12. *M. Curtius*. Quum quæstor fuerit Cicero in Sicilia Sex. Pæducei, apparet hunc M. Curtium a prætore illo fuisse adoptatum. Confer Manut. et Ferrat. ad Div. in Cæcil. — Al. *M'. Curius*. J. V. L.

13. *Separatim*. Id est, solus, sine collegis. — *Initio*. Quum primum tribunatum iniit. — *Promulgavit*. Vid. cap. 2, § 4. — *Q. Fabricius*. Princeps rogationis, Ciceroni amicissimus, octavo kalendas febr. templum aliquanto ante lucem occupavit.

initio de salute mea promulgavit. Q. Fabricius, si, quæ de me agere conatus est, ea contra vim et ferrum perficere potuisset[14], mense januario nostrum statum recuperassemus : quem ad salutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas vestra revocavit.

IX. Jam vero prætores[1] quo animo in me fuerint, vos existimare potuistis, quum L. Cæcilius privatim me suis omnibus copiis studuerit sustentare; publice promulgarit de mea salute cum collegis pæne omnibus[2]; direptoribus autem meorum bonorum in jus adeundi[3] potestatem non fecerit. M. autem Calidius, statim designatus, sententia sua, quam esset cara sibi mea salus, declaravit. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Crassi, Sext. Quintilii, C. Cornuti, summa et in me, et in rempublicam constiterunt.

Quæ quum libenter commemoro, tum non invitus nonnullorum in me nefarie commissa prætereo. Non est mei temporis injurias meminisse : quas ego etiamsi ulcisci possem, tamen oblivisci mallem. Alio trans-

14. *Perficere potuisset.* Pro Sextio, cap. 35 : « Quum forum, comitium, curiam, multa de nocte, armatis hominibus ac servis plerisque occupassent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos ». *Mense januario :* octavo kalendas febr.

IX. 1. *Prætores.* Hactenus octo tribunos plebis enumeravit, qui ipsius reditum adjuverunt; duo reliqui non consenserunt, Numerius Quintius et Sex. Attilius Serranus; non intercesserunt tamen, quum et senatus, et omnium magistratuum consensum viderent.

2. *Collegis pæne omnibus.* Uno excepto Appio Claudio, P. Clodii fratre. Pro Milone, cap. 15 : « septem prætores, octo tribuni pl. illius adversarii, defensores mei ». Hic quoque septem prætores nominantur. Quibus locis de toto prætorum numero admonemur.

3. *In jus adeundi.* Judicio disceptandi. Nam prætoris urbani potestas erat, judicium dandi, vel denegandi. Prætor ergo id non dedit direptoribus bonorum Ciceronis, ut ipsorum possessionem confirmaret auctoritate prætoris. — *Jus.* Locus, ubi jus dicitur. Ceterum de formulis illis : « in jus eamus », vel, « in jus veni, sequere ad tribunal », vel « in jus ambula », consulatur Brissonius, lib. V de formulis pag. 366.

ferenda mea tota vita est, ut bene de me meritis referam gratiam, amicitias igne[4] perspectas tuear, cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditoribus meis[5] non indicem dolorem profectionis meæ, defensores reditus dignitate consoler. Quod si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi ut erga duces ipsos, et principes, atque auctores salutis meæ, satis gratus judicarer; tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modo ad referendam, verum etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem.

Quando enim ego huic homini[6] ac liberis ejus, quando omnes mei gratiam referent? quæ memoria, quæ vis ingenii, quæ magnitudo observantiæ tot tantisque beneficiis respondere poterit? qui mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dexteramque porrexit; qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit; qui tanto amore in me, studio in rempublicam fuit, ut excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modo levaret, sed etiam honestaret. Quid enim magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quam quod, illo petente[7], vos decrevistis, ut cuncti ex

4. Al. cod. *digne*. J. V. L.

5. *Proditor. meis.* Iis qui me prodiderunt, non ostendam quo fuerim dolore inter proficiscendum commotus, nunc vero illos qui me defenderunt, reditus mei gloria consoler. Nugatoriam hanc sententiam judicaverunt Græv. Lallem. Garat. Wolfius, quæ tamen id significat: Ciceronem, postquam satis jam de suæ profectionis dolore loquutus est, quasi correctione quadam jam eo se vitam transferre denuntiare, ut inimicis suis non jam illud luctus sui spectaculum in memoriam revocet. Quod non præsente, sed futuro, spondet tempore.— Al. « proditores meos non indicem, dol. p. m. red. dignitate consoler ». J. V. L.

6. *Huic homini.* P. Lentulo, quem in sella curuli sedentem manu indicabat.

7. *Petente.* Tantum sc. fuit Lentuli studium in Ciceronem, ut non referret solum in senatu, sed etiam peteret precibusque contenderet a senatu, ut decerneretur, etc. Sic cap. 11,

omni Italia, qui rempublicam salvam vellent, ad me unum, hominem fractum et prope dissipatum, restituendum et defendendum venirent[8]? ut, qua[9] voce ter omnino post Romam[10] conditam consul[11] usus esset pro universa republica apud eos solum, qui ejus vocem exaudire possent; eadem voce senatus omnibus agris atque oppidis, cives, totamque Italiam ad unius salutem defendendam excitaret.

X. Quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere, quam, hoc senatum judicasse, qui civis me non defendisset, eum rempublicam salvam noluisse? Itaque tantum vestra auctoritas, tantum eximia consulis dignitas valuit, ut dedecus et flagitium se committere putaret, si quis non veniret. Idemque consul[1], quum illa incredibilis multitudo Romam, et pæne Italia ipsa venisset, vos frequentissimos in Capitolium convocavit. Quo tempore quantam vim naturæ bonitas haberet, aut vera nobilitas, intelligere

de Pompeio : « qui populum rom. pro me non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit ». Grævius edidit *referente*.

8. *Venirent*. Pro Sext. cap. 60 : « In una mea causa post Romam conditam factum est, ut literis consularibus ex senatusconsulto, cuncta ex Italia, omnes, qui rempublicam salvam vellent, convocarentur ».

9. *Qua voce*. Verba illa significat, quæ in difficillimis temporibus is, qui exercitum ducturus erat, dicere solebat : « Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur ».

10. Al. « a te, Romule, post Rom. c. » Sed valde intricatus locus. J.V. L.

11. *Consul*. Cicero, ut sui reditus gloriam augeat, senatusconsultum quo revocabatur solemni illi formulæ comparat, « qui remp. salvam velit, sequatur » : quam consul P. Valerius Publicola primus in exsules pronuntiaverat, qui, duce Appio Hordeonio, Capitolium occupaverant (T. Liv. III, 17); secundus consul C. Marius contra tribunum Saturninum (pro Rab. perduell. cap. 7), et nuper admodum tertius C. Calpurnius Piso consul ann. U. 687 extremi ac difficillimi temporis vocem illam emiserat; testante ipso Cicerone in fragm. orat. pro C. Cornelio ap. Ascon. Plurima h. l. impedimenta occurrunt, sed corruptior et incertior locus, quam ut judicium ferri omnino possit.

X. 1. *Idemque consul*. Pergit narrare de honorificis SC. quorum unum in Capitolio factum esse pro Sext. narrat.

potuistis. Nam Q. Metellus[2], et inimicus, et frater inimici[3], perspecta vestra voluntate, omnia privata odia deposuit: quem P. Servilius[4], vir quum clarissimus, tum vero optimus, mihique amicissimus, et auctoritatis, et orationis suæ divina quadam gravitate, ad sui generis communisque sanguinis[5] facta virtutesque revocavit[6], ut haberet in consilio[7] et fratrem[8] ab inferis, socium rerum mearum[9], et omnes Metellos, præstantissimos cives, pæne ex[10] Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum[11], cujus quondam de patria discessus molestus[12] omnibus, ipsi ne luctuosus quidem visus fuit[13]. Itaque dimittitur[14] non

2. *Q. Metellus.* Nepos, qui consul erat cum Lentulo Spinthere. Ad Metellum exstat Ciceronis epistola in exsilio scripta, ad Div. lib. V, ep. 4.

3. *Frater inimici.* P. Clodii: quia Clodius Metella natus erat. Frater ergo oratorie magis appellatur, quam vere. Consobrinus enim potius erat dicendus Metellus, quia P. Clodius Cæcilliæ, hujus Metelli Nepotis amitæ, filius erat.

4. *P. Servilius.* Isauricus, qui de Isauris, quos in Cilicia domuit, triumphavit. Flor. lib. III, cap. 6; Eutrop. lib. VI, cap. 3.

5. *Sanguinis.* Nam Isauricus Q. Metelli Macedonici nepos erat ex filia, quod ex orat. pro Domo, cap. 47, intelligitur, ubi Cicero Macedonicum ejus avum appellat.

6. *Revocavit.* Id est, in memoriam redegit. Plus hic sentit, quam loquitur, Cicero. « Revocavit, ut haberet » ponitur pro « revocavit, et adhortatus est, ut haberet ».

7. *Ut haberet in consilio.* Consultores adhiberet, ut eorum exempla imitaretur.

8. *Fratrem.* Q. Metellum Celerem, qui Cicerone consule prætor quum esset, ei in opprimenda conjuratione adjutor ac socius exstitit. Vulgatæ edd. addunt *ab inferis*, quod sine dubio adulterinum est, ut et Lambino videtur. *Ab inferis*, idem valet, quod *ex Acheronte*, cujus interpretationis gratia illa verba e regione erant scripta, deinde in textum ab indocto librario translata.

9. *Rerum mearum.* Prætor enim Cicerone consule delectum habuit contra Catilinam. Catil. II, cap. 3.

10. *Ex Acheronte excitatos.* Id est, ab inferis.

11. *Numidicum illum.* Q. Metellus Numidicus, ob res in Numidia contra Jugurtham, Numidarum regem, præclare gestas. Vid. Ernesti Clav.

12. *Discessus.* Lege Saturnini ejectus est, quum in ejus legem agrariam per vim latam jurare noluerat. Pro Sext. cap. 16.

13. Al. edd. « honestus ipsi, omnibus luctuosus tandem visus est ». Melius forte legeretur cum Weiskio, « luctuosus omnibus, ipsi ne molestus quidem visus est ». J.V. L.

14. *Dimittitur.* Quod Gruterus e prim. Franc. et edd. reposuit, idque

modo salutis defensor, qui ante hoc unum[15] beneficium fuerat inimicus, verum etiam adscriptor[16] dignitatis meæ. Quo quidem die, quum CCCCXVII ex senatu[17] essetis, magistratus autem hi omnes[18] adessent, dissensit unus[19], is, qui sua lege conjuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die, quo rempublicam meis consiliis conservatam gravissimis verbis et plurimis judicassetis, idem consul curavit, ut eadem a principibus civitatis[20] in concione, postero die, dicerentur: quum quidem ipse egit ornatissime causam meam, perfecitque, adstante atque audiente Italia tota, ut nemo cujusquam conducti aut perditi vocem acerbam[21] atque inimicam bonis posset audire.

XI. Ad hæc non modo adjumenta salutis, sed etiam ornamenta dignitatis meæ, reliqua vos iidem addi-

tuetor Ernesti. *Dimittere* dicuntur magistri *discipulos*, quos e schola sua doctos domum remittunt : *dimittere scholam* est, cessare a docendis juvenibus. Ita dimissus est Metellus a Servilio, oratione sua habita, defensor Ciceronis, sicut magistri doctos dimittunt e schola sua discipulos. Pro Sext. cap. 62. Grævius et Lambinus rescripserunt *exstitit*.

15. *Hoc unum. Unicum* est e conjectura Ernesti, pro volgato *unum*, quod e compendio scripturæ ipsi factum videtur. Fuit enim beneficium hoc, quod omnia privata odia deposuit et cum Cicerone in gratiam rediit, permagnum.

16. *Adscriptor.* Nam scripto SC. eorum omnium nomina, quorum de sententia factum fuerat, adscribebantur. Cap. 4.

17. *Ex senatu.* Conveniebant enim in senatum non senatores tantum, sed et ii, quibus sententiæ dicendæ jus erat; ergo non ejicienda sunt verba hæc *ex senatu*.

18. *Hi omnes.* Consules, prætores, ædiles, etc. Vid. Ernesti Clav.

19. *Dissensit unus.* P. Clodius. — *Ab inferis excitandos.* Vid. supra cap. 2.

20. *A principibus civitatis.* Primoribus, potentissimis optimatium, civibus primariis. Loquitur enim de concione populi, in quam venerat consul, et Ciceronis causam populo commendarat; ubi tantus fuit populi consensus de revocando Cicerone, ut inimicorum ipsius et improborum civium nemo auderet inimica bonis verba edere.

21. *Vocem acerbam atque inimicam*, etc. Nam populus, si quid ab eo, qui concionem habebat dictum esset, quod improbaret, admormurare solebat.

distis; decrevistis, ne quis ulla ratione rem impediret; qui id impedisset [1], graviter molesteque laturos; illum contra rempublicam, salutemque bonorum, concordiamque civium facturum [2], et ut [3] ad vos de eo statim referretur; meque etiam, si diutius calumniarentur [4], redire jussistis. Quid? ut [5] agerentur gratiæ, qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem, res quum redissent [6], rogarentur, ut pari studio convenirent? Quid denique illo die [7], quem P. Lentulus, mihi, fratrique meo, liberisque nostris [8] natalem [9] constituit, non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis, quo die nos comitiis [10] cen-

XI. 1. Garaton. e MSS et edd. « qui impedisset ». J. V. L.

2. *Facturum.* Id est, eum judicatum iri hostem reipublicæ. Pro Sext. c. 61: « Ne quis de cælo servaret? ne quis moram ullam afferret? si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipublicæ fore, idque senatum gravissime laturum; et ut statim de ejus facto referretur? »

3. *Et ut* pro *et decrevistis, ut.*

4. *Calumniarentur.* Calumniari est h. l. tempus fictis causis ducere, malitiose moras nectere.

5. *Quid? ut.* Ante *ut* subaudiendum est decrevistis, et sic statim deinceps.

6. *Redissent.* Id est, quum iterum ageretur apud populum. *Res enim redire* dicuntur, quum lites, causæ forenses ac judiciales intermissæ (res prolatas dicunt), repetuntur. Sensus est: Quid? quod decrevistis, ut rogarentur municipia, ut pari studio Romam convenirent ad illam diem, quum res redissent, i. e. ad diem comitiorum, qua res prolatæ repeterentur, qua lex de Cicerone revocando juberetur a populo suffragiis ferendis. — Male mutavit Ernest. in *redisset.* Præstat vetus lectio. J. V. L.

7. *Illo die.* Pridie non. sextil. Ad Attic. IV, epist. 1: « Pridie nonas sext. Dyrrachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis ». Grævius rescripsit *ille dies.* Utinam docuisset, quomodo cum nominativo ea, quæ sequuntur, consentirent. Vulgatum tuetur Ernesti, et in istis, *non modo,* etc. intelligit *illustrius,* aut simile quid: nam ista non possunt referri ad *natalem.*

8. *Mihi, fratrique meo, liberisque nostris.* Hoc est, et meis, et fratris mei liberis.

9. *Natalem constituit.* Quia eo die a morte ad vitam revocatus est. Cap. 9. Sicuti enim, qui in exsilio erant, dicebantur mortui; sic nasci et renasci dicebantur, quum restituerentur. Vid. ad Quir. cap. 2.

10. *Comitiis centuriatis.* Quæ in campo Martio a populo per classium centurias diviso sic habebantur, ut et centuriatim suffragia colligerentur, et quod plures centuriæ jussissent id ratum haberetur.

turiatis, quæ maxime majores comitia justa [11] dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eædem centuriæ, quæ me consulem fecerant [12], consulatum meum comprobarent; quo die quis civis fuit, qui fas esse putaret, quacumque aut ætate, aut valitudine esset [13], non se de salute mea sententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo [14], tantum splendorem Italiæ totius ordinumque omnium? quando illa dignitate [15] rogatores [16], diribitores, custodesque vidistis? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti atque divino non reducti [17] sumus in patriam, sicut nonnulli clarissimi cives; sed equis insignibus [18], et curru aurato reportati.

Possum ego satis in Cn. Pompeium umquam gratus videri, qui non solum apud vos, qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud universum populum romanum, salutem reipublicæ [19] et conservatam per

11. *Comitia justa.* Id est, summa et maxima. Erant enim et populi universi, et a majoribus tantum magistratibus et maximis auspiciis habebantur.

12. *Consulem fecerant.* Consul enim comitiis centuriatis creabatur.

13. *Aut valitudine esset.* Pro Sextio, cap. 52 : « Nemo sibi nec valitudinis excusationem, nec senectutis, satis justam putavit ».

14. *In campo.* Martio, ubi centuriata comitia habebantur, et lex de Cicerone revocando a Lentulo consule lata est.

15. *Illa dignitate* pro *tanta dignitate præditos.* Erant enim ex ordine senatorio.

16. *Rogatores* in comitiis olim instituti sunt, quo tempore suffragia non tabella, sed voce ferebantur, qui centurias singulas suum suffragium rogarent. Postea tabulis inductis, mansit nomen rogatorum. — *Diribitores*, qui tabellas suffragiorum populo per centurias diviso distribuebant: *diribere* enim est distribuere. — *Custodes*, qui et ne quid in suffragiis fraudis admitteretur, urnis et diribitoribus tabularum apponebantur, et cujusque centuriæ educta e cista suffragia punctis notabant. Qui quo essent majoris dignitatis, eo major candidati gloria habebatur. Vid. cap. 7.

17. *Reducti.* Sensus est : Parum dicerem, si, me eodem, quo alii, modo in patriam reductum esse, dicerem. Sum enim curru triumphali reportatus in patriam.

18. *Equis insignibus, et curru aureo.* Est elegans periphrasis triumphi. Imperator enim triumphans currui pretioso quatuor equis albis plerumque tracto insistebat, et per urbem ad Capitolium vehebatur.

19. *Salutem reipublicæ et conservatam.* Grævius et Lallem. e codd. « salutem populi romani et conservatam, etc. » J. V. L.

me, et conjunctam esse cum mea dixerit? qui causam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate sua compresserit, bonos excitarit? qui populum romanum pro me, tamquam pro fratre, aut pro parente, non solum hortatus sit, verum etiam obsecrarit? qui ipse, quum, propter metum dimicationis et sanguinis, domo se teneret[20], etiam a superioribus[21] tribunis petierit, ut de salute mea et promulgarent, et referrent[22]? qui in colonia[23] nuper constituta, quum ipse gereret magistratum[24], in qua nemo erat emptus intercessor[25], vim et crudelitatem privilegii[26], auctoritate honestissimorum hominum, et publicis literis consignarit[27], princepsque, Italiæ totius præsidium

20. *Domo se teneret.* Quamdiu Clodius tribunus plebis fuit. Cap. 2, et pro Milone, cap. 7.

21. *Etiam a superioribus tribunis.* A tribunis superioris anni, Milone, Sextio et aliis, quos paullo ante enumeravit.

22. *Referrent. Promulgarent* ad populum, *referrent* ad senatum. Gruterus edidit *ferrent.* Unde vero hoc hauserit, non constat. Plurimi enim MSS *referrent* agnoscunt, quod, quum recte interpretatus sit Hottomannus (habebant enim tribuni pl. potestatem referendi ad senatum), contra omnium codicum fidem immutare non ausus est Grævius.

23. *In colonia.* Capuam significat, quorsum Cæsar in primo consulatu coloniam deduxerat. Cap. 12, et pro Domo, cap. 12: « Hic municipia coloniasque adiit: hic Italiæ totius auxilium imploravit ».

24. *Gereret magistratum.* Duumviratum. Cæsar enim deductæ Capuam coloniæ duumviros præfecit L. Pisonem socerum, et Cn. Pompeium generum. Cap. 7.

25. *Intercessor.* Tribunus, qui intercedit alicui rei, h. e. vetat. — *Emptus.* Conductus, corruptus. Nemo, inquit, repertus est mercenarius intercessor Capuæ, sicuti fuit ille Ælius Ligur, qui emptus a Clodio, senatus decreto, quod de me, referente L. Ninnio, factum erat, intercessit. Pro Sext. cap. 31: « Decrevit senatus frequens de meo reditu kalendis jun. referente L. Ninnio. Intercessit Ligur iste, nescio qui, etc. »

26. *Privilegii.* Privilegium dicitur talis lex, quæ privis hominibus est irrogata. Isto autem nomine Cicero Clodii legem, qua pulsus est, invidiæ causa multis locis insignivit. Cap. 4. Pro Domo, cap. 17.

27. *Consignarit.* Significat orator, Pompeium etiam publicis literis testatum esse, violentum, crudele et in reipubl. damnum redundans esse privilegium tribunorum plebis, hoc est, legem ab iis de Cicerone latam, de

ad meam salutem implorandum putarit? qui, quum mihi semper amicissimus fuisset, etiam ut suos necessarios amicos mihi redderet, elaborarit?

XII. Quibus autem officiis T. Annii beneficia remunerabor? cujus omnis actio[1], ratio, cogitatio, totus denique tribunatus, nihil aliud fuit, nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meæ? Quid de P. Sextio loquar? qui suam erga me benivolentiam et fidem non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus[2] ostendit?

Vobis vero, patres conscripti, singulis et egi, et agam gratias : universis egi ab initio, quantum potui; satis ornate agere nullo modo possum. Et quamquam sunt in me præcipua[3] merita multorum, quæ sileri nullo modo possunt, tamen hujus temporis ac timoris mei non est[4], conari commemorare beneficia in me singulorum : nam difficile est, non aliquem; nefas, quemquam præterire. Ego vos universos, patres con-

qus jam supra cap. 7 meminit. *Consignare literis crudelitatem legis*, i. e. literis consignare, et perscribere in monumentis publicis, quod lex ea sit crudelissima. *Et* hic significat *etiam*. — *Consignavit... putavit.* Sic Gruterus, Grævins, qui etiam correxit *elaboravit.* Qnum vero præcedant *dixerit, commendarit, edocuerit, excitarit, obsecrarit, petierit*, necesse est, ut idem modus sequatur legatnrque *consignarit... putarit... elaborarit...* — *Princepsque.* Id est, et primus.

XII. 1. Aberst olim a quibusdam libris *actio.* J. V. L.

2. *Vulneribus.* Sextins plus viginti vulneribus affectus fuit. Pro Sext. cap. 37 : « Inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adorinntur, alii fragmentis septorum et fustibus : a quibus hic, multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore et contrucidato, se abjecit exanimatus... quem quum jacentem et concisum plurimis vulneribus... viderent : defatigatione magis et errore, quam misericordia et modo, aliquando cædere destiterunt ».

3. *In me præcipua.* Hoc est, insignia, ceterorum meritis ac beneficiis majora. Hoc enim *præcipuum* significare solet.

4. *Timoris mei non est.* Hoc est, adeo timidus sum, ut a me impetrare non possim, ut commemorare coner singulorum erga me beneficia. Timeo enim, ne quemquam silentio prætercam : quod quidem nefas foret. — *Commemorare.* Laudare ac prædicare. Cap. 9.

scripti, deorum numero colere debeo [5]. Sed, ut in ipsis diis immortalibus non semper eosdem, atque alias alios solemus et venerari, et precari : sic in hominibus de me divinitus meritis omnis erit [6] ætas mihi ad eorum erga me merita prædicanda atque recolenda [7]. Hodierno autem die nominatim a me magistratibus statui gratias esse agendas, et de privatis uni [8], qui pro salute mea municipia coloniasque adisset, populum romanum supplex obsecrasset, sententiam dixisset eam, quam vos sequuti, mihi dignitatem meam reddidistis. Vos me florentem [9] semper ornastis; laborantem, mutatione vestis, et prope luctu vestro, quoad licuit, defendistis. Nostra memoria senatores ne in suis quidem [10] periculis mutare vestem solebant; in meo periculo senatus veste mutata fuit, quoad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modo suo præsidio, sed etiam vestra deprecatione nudarunt.

XIII. Quibus ego rebus objectis, quum mihi privato confligendum viderem cum eodem exercitu,

5. *Colere debeo.* A quibus enim summa in hominum genus beneficia promanarant, eos antiqui in deorum numerum referebant.

6. Heumannus legendum opinabatur, « omni erunt ætate mihi eorum erga me merita prædicanda atque recolenda ». J. V. L.

7. *Recolenda.* Hoc est, in omni vita prædicabo eorum erga me merita. *Recolenda :* memoria repetenda, animo recognoscenda.

8. *De privatis uni.* Cn. Pompeio, qui tum magistratum nullum gerebat.

9. *Florentem.* Beatum, ante exsilium, quum bene me haberem. — *Ornastis.* Honores mihi decrevistis. — *Laborantem.* In exsilio me, *quoad licuit:* per consulum interdictum. Nam Piso et Gabinius edixerant, ut ad suum vestitum senatores redirent.

10. *Ne in suis quidem.* Solitos vestem in periculis suis mutare senatores pluribus docet exemplis Marklandus, ipsiusque Ciceronis et exemplum et verbum recitat ad Att. III, 15: « Cæci, cæci, inquam, fuimus in vestitu mutando, in populo rogando ». Exsultat itaque et commentitium ac falsum declarat, Britannus auctor; verum, quamquam nonnulla non mutatæ vestis exempla in promptu sint, satius est cum B. Weisk. legendum putare « ne in suorum quidem periculis ». Qua vocula controversia dirimitur.

quem consul non armis, sed vestra auctoritate superaram, multa mecum ipse reputavi.

Dixerat in concione consul[1], se clivi Capitolini pœnas ab equitibus romanis repetiturum : nominatim alii compellabantur, alii citabantur[2], alii relegabantur[3]. Aditus templorum[4] erant non solum præsidiis et manu, verum etiam demolitione sublati. Alter consul[5], ut me et rempublicam non modo desererent, sed etiam hostibus reipublicæ proderent, pactionibus eos suorum præmiorum obligarat. Erat alius[6] ad portas cum imperio in multos annos[7], magnoque exercitu : quem ego inimicum mihi fuisse non dico; tacuisse, quum diceretur esse inimicus, scio. Duæ partes esse in republica quum putarentur, altera me deposcere[8], propter inimicitias; altera[9] ti-

XIII. 1. *Consul.* Gabinius. — *Se clivi Capitolini*, etc. cap. 5.

2. *Citabantur. Citare* præconis est, qui et judices, et reum, et testes solet citare, i. e. ad prætoria tribunal, sive ad judicium vocare. *Compellare :* acerbius objurgare. Sic supra cap. 5.

3. *Relegabantur.* L. Lamiam significat. Cap. 5.

4. *Aditus templorum.* Significat gradus templi Castoris, quos Clodius posteaquam in illud adscendit, ut legem per vim ferret, evellendos tollendosque curavit; ne, si qui ei adversarentur, ingredi in templum, et eum deturbare possent.

5. *Alter consul.* Intricatus locus, cujus is esse videtur sensus, si nihil mutatur. Alter consul, nempe Piso, qui promiserat se et remp. et me deserturum esse, atque etiam reip. hostibus, id est, Clodianis esse proditurum, Clodianos pactionibus suorum præmiorum, i. e. provinciarum obligatos tenebat, et solam hanc mercedem spectabat. Alii aliter scribunt : plurimi habent *consules* ex Anton. Augustini et Lamb. sententia; et *alter* ad Clodium referunt, quod tamen non latine satis dicitur; Grævius « alterum consulem, ut... desereret... proderet, pactionibus Clodius a. p. o. »

6. *Erat alius.* C. Cæsarem significat, qui, teste Plutarcho, quum Galliam utramque cum imperio et exercitu obtineret, tamen non prius ad bellum profectus est, quam Cicero ex Italia pulsus esset. Clodii enim benivolentiam sibi retinere voluit, ne ea, quæ consul contra leges et auspicia gesserat, a tribuno pl. rescinderentur, ut in Pisoniana Cicero significat.

7. *Multos annos.* In quinquennium lege Vatinia, qua Cæsari Gallia cum Illyrico et tribus legionibus stipendiisque data est. Vid. Ernesti Clav.

8. *Deposcere.* Sc. ad mortem, ut me interficeret. Vid. Ernesti Clav.

9. *Altera.* Boni viri. Ad Quirites, cap. 5.

mide defendere, propter suspicionem cædis, putabatur. Qui autem me deposcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum [10], quod numquam infitiando suspicionem hominum curamque minuerunt. Quare quum viderem [11] senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum; servos simulatione collegiorum [12] nominatim esse conscriptos; copias omnes Catilinæ pæne iisdem ducibus ad spem cædis et incendiorum esse revocatas; equites romanos, proscriptionis [13]; municipia, vastitatis; omnes, cædis metu esse permotos; potui, potui, patres conscripti, multis auctoribus [14] fortissimis viris, me vi armisque defendere; nec mihi ipse ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit. Sed videbam, si vicissem præ-

10. *Dimicationis metum.* Qui contra me stabant, efficiebant ut magis dimicatio metueretur, quod nullo modo ea quæ de se jactarentur negare et infitiari curarent. Manutius hoc refert « non ad eos, qui Ciceronem deposcebant, sed ad eos, qui ab iis Ciceronis inimici esse dicebantur ». Alii ad Cæsarem transferunt, frustra sensum vexantes ac torquentes.

11. *Viderem.* Causas affert, cur maluerit in exsilium ire, quam se vi defendere.

12. *Simulatione collegiorum.* Collegia erant ex instituto Numæ Pompilii sodalitates plebis, in quas ea descripta erat, infimorum hominum, certas artes pariter exercentium, conventus. Postea, quum horum collegiorum numerus esset auctus, omnia, præter pauca atque certa, ut fabrorum fictorumque, quæ civitatis utilitas desiderabat, pluribus legibus sublata sunt, neque solum legibus, sed etiam senatusconsultis. Nec enim hominum humilium coitiones in civitate satis tutæ videbantur. Clodius autem, ut inopem plebem, quæ parvo negotio ad facinus impellitur, sibi conciliaret, utpote qui novitatem et vim meditaretur; collegia non solum vetera restituit, sed etiam nova innumerabilia constituit. Hæc autem collegia e peregrinis, qui postea cives fiebant, e novis civibus, ex veteribus romanis inopia laborantibus, e servis constabant. Vid. Manut. ad or. pro Sextio, cap. 15; in Pisonem, cap. 4. « Collegia, non ea solum, quæ senatus sustulerat, restituta, sed innumerabilia quædam nova ex omni fæce urbis ac servitio concitata ». Ad Quirites, cap. 5. — *Simulatione.* Nomine, prætextu. — *Iisdem ducibus.* Sc. quibus usæ sunt antea.

13. *Proscriptionis.* Exemplo L. Lamiæ relegati.

14. *Multis auctoribus.* Qui defensionem et pugnam suadebant.

sentem adversarium [15], nimium multos mihi alios esse vincendos; si victus essem, multis bonis et pro me, et mecum, etiam post me esse pereundum; tribunitiique sanguinis ultores, esse præsentes; meæ mortis pœnas, judicio et posteritati reservari.

XIV. Nolui, quum consul communem salutem sine ferro [1] defendissem, meam privatus armis defendere; bonosque viros lugere malui meas fortunas, quam suis [2] desperare: ac, si solus essem interfectus, mihi turpe; si cum multis, reipublicæ funestum fore videbatur [3]. Quod si mihi [4] æternam esse ærumnam propositam arbitrarer [5], morte me ipse potius, quam sempiterno dolore multassem. Sed quum viderem, me non diutius, quam ipsam rempublicam [6], ex hac urbe abfuturum: neque ego illa exterminata mihi remanendum amplius [7] putavi; et illa, simul atque revocata est, me secum pariter reportavit. Mecum leges, mecum quæstiones [8], mecum jura magistratuum, mecum senatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam frugum ubertas, mecum deorum et hominum sanctitates omnes, et religiones abfuerunt.

15. *Præsentem adversarium.* Clodium tribunum plebis. — *Etiam*, pro *quin etiam.* — *Tribunitiique sanguinis.* P. Clodii.

XIV. 1. *Sine ferro.* Quia sola senatus auctoritate laqueo gulam condemnatis in carcere frangi jussit.

2. *Suis.* Se. fortunis *desperare.* Verbum hoc plerumqne dativo jungitur personæ, et accusativo rei, e. g. « medici desperant ægro, et medici desperant salutem ægri ».

3. *Videbatur.* Ad Quirites, cap. 5.

4. *Quod si mihi.* Si sempiternam et quamdiu viveret, duraturam calamitatem metuisset, mortem voluntariam oppetere non dubitasset, ex disciplina stoicorum. Cf. Sext. cap. 21.

5. *Arbitrarer.* Hoc positum est pro *arbitratus essem.* Pro Archia, cap. 7, *adjuvarentur* occurrit sensu plusquamperfecti. Eadem dicendi ratio etiam est infra, ubi « abessem, lugerem, desiderarem » posita sunt pro « abfuissem, luxissem, desiderassem ».

6. *Ipsam rempublicam.* Respublica quid hic significet, plenius dixit ipse Cicero in sequentibus.

7. Lallem. delet *amplius*, ducibus MSS. J. V. L.

8. *Quæstiones.* Sic appellantur judicia publica.

Quæ si semper abessent, magis vestras fortunas lugerem, quam desiderarem meas; sin aliquando revocarentur, intelligebam, mihi cum illis una esse redeundum. Cujus mei sensus certissimus testis est hic idem, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius[9], qui, omnibus provincialibus ornamentis[10] commodisque depositis, totam suam quæsturam in me sustentando et conservando collocavit. Qui si mihi quæstor imperatori fuisset, in filii loco fuisset[11]; nunc certe erit in parentis, quum fuerit quæstor non imperii[12], sed doloris mei.

Quapropter, patres conscripti, quoniam in rempublicam sum pariter cum republica restitutus, non modo in ea defendenda nihil minuam de libertate mea[13] pristina, sed etiam[14] adaugebo.

XV. Etenim, si eam tum defendebam, quum mihi aliquid illa debebat, quid nunc me facere oportet, quum ego illi plurimum debeo? Nam quid est, quod animum meum frangere aut debilitare possit, cujus

9. *Cn. Plancius.* Qui tum quæstor fuit Macedoniæ.

10. *Provincialibus ornamentis.* Hoc quid sibi velit, ipse docet Cicero in orat. pro Plancio, cap. 41. Ibi enim ita : « Simul ac me Dyrrhachium attigisse audivit : statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata, profectus est ». Et paullo post : « multosque menses a capite meo non discessit, abjecta quæstoria persona, comitisque sumpta ». Quod autem addit, eum « sua quoque commoda deposuisse », hoc significat, quum ceteri timerent, ne vi legis Clodii pœnam dent recepti Tullii, « Plancium fuisse unum, non, qui minus timeret, sed, si acciderent ea, quæ timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet »; ut idem noster ibidem loquitur.

11. *In filii loco fuisset.* Maxima necessitudo intercedebat inter quæstorem et suum præsidem, ita ut hic illi parentis loco esset. Cap. 8.

12. *Quæstor non imperii.* Sententia illa putidiori compositione scripta videtur, quam ut Ciceroni assignetur; potius ex grammatici alicujus calamitatis profectam putemus, qui nonnullas, sed paucas hujusce orationis partes infecit. Et sententia ea eo gravius a ceteris discrepat, quo Ciceronianus omnino et color, et tenor præclarius in hisce capitibus elucet.

13. *De libertate mea.* Libertate, intelligit libertatem dicendi, παῤῥησίαν, fortitudinem in sententiis dicendis. Vid. Ernesti Clav.

14. *Sed etiam.* Heumann. conj. *sed eam.* J. V. L.

ipsam calamitatem non modo nullius delicti, sed etiam divinorum in rempublicam beneficiorum testem esse videatis[1]? Nam et importata est, quia defenderam civitatem; et mea voluntate suscepta est, ne a me defensa respublica per eumdem me extremum in discrimen vocaretur.

Pro me, non[2], ut pro P. Popillio[3], nobilissimo homine, adolescentes filii, non propinquorum multitudo populum romanum est deprecata: non, ut pro Q. Metello, summo et clarissimo viro, spectata jam adolescentia filius[4]; non L. et C. Metelli[5], consulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum consulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones, Metellarum[6] filii, flentes ac sorditati, populo romano supplicaverunt: sed unus frater, qui in me pietate, filius; consiliis, parens; amore, ut erat, frater inventus est, squalore et lacrymis, et quotidianis precibus, desiderium mei nominis renovari, et rerum gestarum memoriam usurpari[7] coegit: qui quum statuisset, nisi per vos me recuperasset, eamdem subire fortunam, atque idem sibi domicilium et vitæ, et mortis

XV. 1. *Videatis.* Id est, qui, ut vosmet ipsi agnoscitis, calamitatem meam subire coactus sum non modo non propter delictum in remp. ullum, sed etiam propter insignia, quibus remp. affeceram, beneficia.

2. *Pro me non.* Totus hic locus pæne iisdem verbis in oratione ad Quirit. cap. 3 et sq. inculcatus invenitur. Neque tamen cum B. Weisk. crediderim a grammaticis interpolatum, aut a librariis corruptum.

3. *P. Popillio.* P. Popillius quum in consulatu amicos Tib. Gracchi in exsilium egisset, postea C. Graccho legem adversus eos ferente, qui cives rom. indicta causa ex urbe ejecissent, Italia profugit, rogatione vero L. Bestiæ trib. pl. restitutus est. Brut. c. 34.

4. *Jam adolescentia filius.* Metellus Pius, qui ex assiduitate, quam in populo pro patre orando adhibuit, hoc cognomen adeptus est.

5. *C. Metelli.* L. Metellus Diadematus, C. Metellus Caprarius, et consolaris, et censorius, uterque Macedonici filius. Ad Quirites, cap. 3.

6. Sic Manutius, Grutero probante. Al. *Metellorum filii.* J. V. L.

7. *Memoriam usurpari.* Usurpare sc. sermone vel lingua est *appellare*, *commemorare.* Pro Milone, cap. 7.

deposceret ; tamen numquam[8] nec magnitudinem negotii, nec solitudinem suam[9], nec vim inimicorum ac tela pertimuit. Alter fuit propugnator mearum fortunarum, et defensor assiduus, summa virtute et pietate, C. Piso, gener : qui minas inimicorum meorum, qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis[10], qui Pontum et Bithyniam quæstor pro mea salute neglexit[11]. Nihil umquam senatus de P. Popillio decrevit; numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta est. Tribunitiis sunt illi rogationibus, interfectis inimicis[12], denique nulla auctoritate senatus, restituti; quum alter eorum senatui paruisset[13], alter vim cædemque fugisset[14]. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius[15] ante me consularis, tempestate civili expulsus est, non modo a senatu non est restitutus, sed reditu suo senatum cunctum pæne delevit. Nulla de illis magistratuum consensio, nulla ad rempublicam defendendam populi romani convocatio, nullus Italiæ[16] motus,

8. *Tamen numquam.* Multi expungunt *tamen*.

9. *Nec solitudinem suam.* Hoc est, quia *solus* meam agebat causam et pro me deprecabatur.

10. *Consulis.* Ern. *consularis*, qui error e typis natus videtur. J. V. L.

11. *Mea salute neglexit.* Quum quæstor proconsuli, ut in Pontum et Bithyniam iret, obvenisset. Ad Div. lib. XIV, ep. 1 : « Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra esse possit. Utinam ea res ei voluptati sit : gloriæ quidem video fore ».

12. *Int. inimicis.* Inimico Popillii C. Graccho, Metelli L. Saturnino.

13. *Senatui paruisset.* Popillius. Consuli senatus mandarat, ut in eos, qui cum Ti. Graccho consenserant, more majorum animadverteret. Valerius, lib. IV, cap. 7. *Quum* pro *quum tamen*, *etsi*. Ita aliis quoque locis Ciceronis occurrit. Catil. II, cap. 7. Pro Milone, cap. 23.

14. *Cædemque fugisset.* Q. Metellus Numidicus fugit vim Saturnini tribuni plebis atque adeo C. Marii, septies consulis, qui tunc Saturnini partes adjuvabat, veteresque cum Metello inimicitias exercebat.

15. *Memoria tertius.* Primus Popillius, alter Metellus, ille C. Gracchi, hic L. Saturnini seditione expulsus : tertius ipse Marius, quum Sullæ victoris arma fugit. Ad Quirites, cap. 3.

16. *Nulius Italiæ motus.* Ad Quirites, cap. 4.

nulla decreta municipiorum et coloniarum exstiterunt.

Quare quum me vestra auctoritas arcessierit, populus romanus revocarit, respublica implorarit, Italia cuncta pæne suis humeris reportarit[17]; non committam, patres conscripti, ut, quum ea mihi sint restituta, quæ in potestate mea non fuerunt, ea non habeam[18], quæ ipse præstare possim[19]; præsertim quum illa amissa[20] recuperarim, virtutem et fidem numquam amiserim.

17. *Suis humeris reportarit.* His verbis gloriatum Ciceronem testantur Macrob. Sat. II, 3, et Plutarch. in Cic. cap. 33. Putat Schütz. eo dicto uti potuisse declamatorem; nisi forte ex hoc ipso loco Ciceronis testimonium auctores illi deprompserint.

18. *Ea non hab.* Virtutem et fidem.

19. *Præstare possim.* Quæ in potestate mea sunt, quæ mihi adimere inimicorum injuria non potest; id quod docet oppositio.

20. *Quum illa amissa.* Patriam, dignitatem, fortunas meas.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

AD QUIRITES

POST REDITUM

ARGUMENTUM.

Hæc quoque gratiarum actio cuique humaniori a primis annis ita familiaris est, omnique argumento, sententiis, verbis, tantam habet cum priore similitudinem, ut fortasse toto hoc præfandi labore supersedere liceat. Verum summatim tamen orationis argumentum repetamus.

Sine proœmio etiam hic ingreditur orator dicere de præstantia beneficii sibi tributi, quam ex vulgari loco communi sic extollit, ut recensendis bonis, quibus per XVII menses privatus fuerit, nunc autem restitutus rursum frui cœperit, præsentem fortunam multo lætabiliorem sibi quam superiorem incolumitatem esse ostendat. Nam quæcumque ante vel a parentibus, vel a diis, vel ab ipso populo romano singulatim diversis annis acceperit beneficia, ea jam sibi uno tempore simul omnia reddita esse atque adeo aucta videri. Deinde suum reditum ut unius populi et senatus studiis acceptum referendum, et honorificentissimum fuisse demonstret, varie comparat sortem trium aliorum consularium, qui quondam eamdem fortunam subierant: qui quum aut propinquorum multorum precibus, aut oppresso senatu, ac nullis consulibus deprecantibus, reducti essent, ipse excepto fratre et genero neminem habuerit deprecatorem, sed magistratus prope omnes cum senatu et universa Italia auctores defensoresque salutis suæ. Quo loco parcior est in prædicandis singulis de se bene meritis, et in objurgandis adversariis et inimicis. In transcursu tamen hic quoque ignominiam discessus a se removet exponenda conditione illorum temporum, ubi aut declinare paullulum sibi necesse fuisset, aut Clodianos gravi excitato civili motu oppugnare. In conclusione denique summam erga populum romanum pietatem, et reipubl. fideliter fortiterque gerendæ studium, atque in referenda gratia majorem quam in ulciscendis injuriis operam se positurum esse pollicetur.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
M. TULLII CICERONIS
AD QUIRITES POST REDITUM.

ORATIO OCTAVA ET VICESIMA.

I. Quod precatus a Jove Optimo Maximo[1] ceterisque diis immortalibus sum, Quirites[2], eo tempore quum me, fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordiaque devovi[3], ut, si meas rationes[4] umquam

I. 1. *Jove Opt. Max.* Quem propter beneficia populus rom. *Optimum*, propter vim *Maximum* nominavit.

2. *Quirites.* Ita domi appellabantur cives romani et quidem universi In bello autem *milites*. Unde sic appellati, non omnes consentiunt. Traxerunt hoc nomen vel e Romulo, qui relatus in deorum numerum cognominabatur *Quirinus*, vel a Sabinis, quibus hoc nomen proprium fuit. Qui quum deinceps in civitatem romanam essent recepti, Romani omnes hoc nomen accepisse dicuntur.

3. *Devovi.* Devovet se, qui, ut alterum servet, sponte calamitatem vel periculum subit; ut Decii, ne periret exercitus, ipsi se devoverunt. Liv. lib. VIII, cap. 9. Sic Cicero, ne cædes bonorum fieret, armis dimicare cum Clodio et consulibus noluit, sed pro communi salute se devovit, et in exsilium abiit. Simillimus locus est in oratione pro Domo, cap. 57.

4. *Si meas rationes.* Id est, utilitatem meam, commoda mea : frequens locutio. Unde, « consulere suis rationibus ».

vestræ saluti anteposuissem, sempiternam[5] pœnam sustinerem, mea voluntate susceptam; sin et ea, quæ ante gesseram[6], conservandæ civitatis causa gessissem, et illam miseram profectionem[7] vestræ salutis gratia[8] suscepissem, ut, quod odium scelerati homines[9] et audaces in rempublicam et in omnes bonos conceptum jamdiu continerent, id in me uno potius, quam in optimo quoque, et in universa republica deficeret[10]; hoc si[11] animo in vos liberosque vestros fuissem, ut aliquando vos, patres conscriptos, Italiamque universam, memoria mei, misericordia, desideriumque teneret: ejus devotionis me esse convictum[12] judicio deorum immortalium[13], testimonio senatus, consensu Italiæ, confessione[14] inimicorum, beneficio divino immortalique vestro, maxime lætor, Quirites.

5. *Sempiternam pœnam.* Exsilium perpetuum. — *Mea voluntate.* Lubenter, non coactus.

6. *Ante gesseram.* In Catilinæ conjuratione opprimenda.

7. *Profectionem.* Molliore hoc vocabulo suum designat exsilium: quia scilicet libenter ivit in exsilium ad magnam perturbationem a republ. avertendam.

8. *Gratia.* Ne propter me civile aliquod bellum exoriretur.

9. *Scelerati homines et audaces in rempublicam.* Clodius cum suæ factionis hominibus.

10. *Deficeret.* Id est, desineret, in me ita se exsereret, ut simul omne odium consumeretur, non solum effunderetur, quod proprie respondet verbo *continere*, sed in eo effundendo finis odii fieret.

11. *Hoc si*, pro, *hoc*, *inquam*, *si*. *Vos*, sc. Quirites, quos a senatu discernit orator.

12. *Esse convictum.* Sive, « eam devotionem esse convictam et commissam », uti pro Domo, cap. 57: « hanc ego devotionem capitis mei », quum ero in sedes meas restitutus, tum denique « convictam esse et commissam putabo ». Devotio convicta et commissa autem dicitur, quum exsistit conditio ejus, sive id, quod voto suscepto a diis consequi voluimus. Restitutus ergo Cicero ejus devotionis erat convictus, quia fructum, quem illa devotione petierat, erat consequutus.

13. *Judicio deorum immortalium.* Quum illi Ciceronem absentem fame et victus penuria ulti sint; et eo redeunte ubertatem et copiam frugum restituerint.

14. *Confessione inimicorum.* Unum potissimum significat Metellum consulem, qui adhuc inimicus Ciceronis tamen non adversabatur revocationi ejus in patriam. Cap. 4. Post red. in senatu, cap. 10.

Etsi[15] homini nihil est magis optandum, quam prospera, æquabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitæ sine ulla offensione[16] cursu; tamen, si mihi tranquilla et placata[17] omnia fuissent, incredibili quadam et pæne divina, qua nunc vestro beneficio fruor, lætitiæ voluptate[18] caruissem. Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi? mihi vero et propter indulgentiam meam[19], et propter excellens eorum ingenium[20], vita sunt mea cariores; tamen non tanta voluptate erant[21] suscepti, quauta nuuc sunt restituti.

Nihil cuiquam fuit umquam jucundius, quam mihi meus frater: non tam id sentiebam, quum fruebar, quam tunc, quum carebam[22], et posteaquam vos me illi, et mihi eum reddidistis. Res familiaris sua quemque delectat: reliquæ meæ fortunæ[23] recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumes[24] afferebant. Amicitiæ, consuetudines, vicinitates,

15. *Etsi homini.* Heumannus cum Hottom. legit « Etsi enim nihil ». Marklandus disjungit *et si*, ita ut idem sonet ac *et quamvis*. Ut de Har. resp. c. 1 et 4, qui sensus satis per se patet.

16. *Ulla offensione.* Calamitate.

17. *Placata.* Id est, si nihil adversi mihi accidisset, si fortunam nemo turbasset.

18. *Lætitiæ voluptate.* Illa voluptate, quæ ex summa lætitia oritur. Marklandus malit « lætitia et voluptate ». Nobis, quamvis non multa exempla suppetant, elegantissime hæc dici videntur ab oratore, deficientibus prope verbis quibus incredibile illud ac pæne divinum gaudium significet.

19. *Vero* h. l. asseverantis est, pro *certe*, *sane* positum. — *Indulgentia* præcipue parentum in liberos caritatem significat.

20. *Eorum ingenium.* Ingenium hic significat non solas intellectus vires, sed totam hominis indolem.

21. *Erant suscepti.* Id est, nati. *Suscipere liberos* est procreare. Quæ forma loquendi inde nata est, quod recens editi infantes deponerentur in terra: quos si probasset, et educare decrevisset pater, lavabat et suscipiebat.

22. *Quum carebam.* Sic bene Plautus in Captivis, act. I, sc. 2, v. 39: « Tum denique homines nostra intelligimus bona, quum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus ».

23. *Meæ fortunæ.* Non enim omnes, sed partem duntaxat ex Clodii præda et direptione recuperaverat.

24. Multi codd. *incolumitates*, vel *incolumitatis*. Edd. priscæ, *incolumi*. J. V. L.

clientelæ[25], ludi denique et dies festi, quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo.

Jam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra[26], quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria, dii immortales! dici vix potest, quid caritatis[27], quid voluptatis habeat! quæ species Italiæ! quæ celebritas oppidorum[28]! quæ forma regionum! qui agri! quæ fruges! quæ pulchritudo urbis! quæ humanitas civium! quæ reipublicæ dignitas! quæ vestra majestas! quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar, ut nemo magis. Sed, sicut[29] bona valitudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui numquam ægro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.

II. Quorsum[1] igitur hæc disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse[2], neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quæ in me, fratremque meum, et liberos nostros[3] contulistis, non modo augere,

25. *Clientelæ.* Officium clientum in me patronum. — *Ludi.* Gladiatorii, circenses, scenici, quos etiam principes viri spectare consueverant. Sed hoc dicit fortasse temporis causa. Nam quos alii dies ludis dabant, ipse in studiis consumebat. Pro Arch. cap. 6.

26. *Beneficia vestra.* Pro « quæ vestra beneficia sunt ». Appositio.

27. *Quid caritatis. Quid* ponitur pro *quantum.* — *Habeat.* Latinitas requirit conjunctivum *habeat;* vulgo est *habet.* « Quid caritatis habeat patria », idem significat, quod « quam cara sua cuique sit patria ».

28. *Celebritas oppidorum.* Incolarum frequentia. Ita pro Arch. cap. 3, « celebris urbs », i. e. quæ abundat incolis.

29. Ernest. *tamquam.*

II. 1. *Quorsum.* Id, quod alii dixissent: « quem ad finem ».

2. *Tanta eloquentia fuisse.* Hanc sententiam aliis verbis insignite expressam vide in orat. post red. in senatu, cap. 1. Pro Marcello, cap. 2.

3. *Liberos nostros.* Id est, liberos meos et liberos fratris mei. — *Non modo.* Hoc est, non dicam. Pro Marcello, cap. 2. — *Augere.* Amplificare,

aut ornare oratione, sed enumerare, aut consequi possit. A parentibus[4], id quod necesse erat, parvus[5] sum procreatus : a vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt : vos spectatum, et incredibili pietate cognitum reddidistis. Rempublicam illis accepi[6] temporibus eam, quæ pæne amissa est[7] : a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera[8] servatam judicarunt. Dii immortales mihi liberos dederunt : vos reddidistis. Multa præterea a diis immortalibus optata consequuti sumus : nisi vestra voluntas[9] fuisset, omnibus divinis muneribus caruissemus. Vestros denique honores, quos eramus gradatim[10] singulos asse-

celebrare, magnificentius aliquid jactare, quam verius.— *Ornare.* Illustrare. — *Enumerare* respicit *multitudinem*, *consequi* autem *magnitudinem* beneficiorum..

4. *A parentibus.* Comparat jam restitutionem suam cum parentum, deorum, et populi romani beneficiis, et recens hoc multo præstantius esse ostendit ex eo, quod illa gradatim et cum aliquo intervallo acceperat : nunc vero omnia illa universa et uno tempore adeptus est. — *Id quod necesse erat.* Ut natura rerum fert, secundum naturæ ordinem.

5. *Parvus* et *consularis* sibi opponuntur; quare male Grævius *parvus* ejici voluit. Hoc enim sibi vult orator : Plus debeo vobis quam parentibus meis. Ab iis enim necessitate naturali natus sum *homo parvus :* a vobis contra, quum me revocastis in patriam, pristinamque mihi reddidistis dignitatem, natus sum *vir magnus*, vir sc. consularis. Vocare autem veteres solebant, ut illum, quo nati erant, diem, sic et illum, quo amplissimos honores recuperaverant, *diem natalem suum.* Ipse noster in orat. post red. in senatu, cap. 11, et lib. VI, ad Attic. ep. 6, restitutionem et renovationem pristinæ dignitatis, quam post exsilii calamitatem adeptus erat, eleganter vocat παλιγγενεσίαν suam. Immo magis perspicue lib. III, ep. 20 : « Diem natalem reditus mei, cura, ut in tuis ædibus amœnissimis agam tecum ». Et lib. IV, ep. 1, de hoc ipso reditu suo : « alterius vitæ quoddam initium ordimur ».

6. *Accepi.* « Accipere rempubl. », « capessere rempubl. », « accedere ad rempubl. » crebro usurpat Cicero, pro magistratus adipisci. Hoc loco autem de solo consulatu suo loquitur. Ergo idem est, quod factus sum consul.

7. *Amissa est.* Quæ prope amissa et perdita videbatur. Alii *esset.*

8. *Unius opera.* De se ipso autem loquitur, propter exstinctam consilio ac virtute sua conjurationem. Vid. cap. 7. — *Aliquando* non semper de futuro, sed et de præterito tempore dicitur, ut hoc loco.

9. *Vestra voluntas.* Benivolentia, in me restituendo.

10. *Gradatim.* Fuerat enim Cicero

quuti, nunc a vobis universos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobismet ipsis, tantum hoc tempore universim cuncto populo romano debeamus. Nam, quum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possim; tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini.

III. Non enim pro meo reditu, ut pro P.[1] Popillii, nobilissimi hominis, adolescentes filii, et multi præterea cognati[2] atque affines deprecati sunt; non, ut pro Q. Metello[3], clarissimo viro, jam spectata ætate filius; non L. Diadematus[4], consularis, summa auctoritate vir; non Metellus censorius[5], non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos[6], qui tum consulatum petebat,

quæstor, ædilis, prætor, denique consul.

III. 1. *P. Popillii.* Totum hunc locum totidem pæne verbis inculcat in orat. post red. in senatu, cap. 15.

2. *Cognati.* Qui quasi ab eodem orti progenitive sunt. — *Affines.* Qui inter se conjunctionem sive propinquitatem per nuptias contraxerunt.

3. *Q. Metello.* Numidico. Pro Arch. cap. 3. Lege Saturnini ejicitur, quod in ejus legem, quam non jure rogatam judicarat, jurare nollet. Revocatur deprecante filio et tota familia. Filius etiam *Pius* propterea nominatus est, quod pietate sua et assiduis precibus patrem restituit. *Clarissimi* dicuntur non nisi senatores.

4. *L. Diadematus.* L. Metellus Diadematus, Macedonici filius, pro Numidico intercessit. Diadematus dictus est a diademate, quo ulceris in fronte tegendi causa utebatur. Cave autem, ne *Diadematum* cum *Dalmatico* confundas et pro uno habeas, quum *Dalmaticus* sit *Diademati* frater patruelis. Est enim Dalmaticus Calvi filius, Calvus vero Macedonici frater. Vid. Ernesti Clav. — *Consularis* dicitur, qui consulatu functus est.

5. *Metellus censorius.* C. Metellus censorius, Macedonici quartus filius, qui et dicitur Caprarius. Censor fuit cum Q. Metello Numidico, et candidatus consulatus, quum moreretur pater.

6. *Q. Metellus Nepos.* Balearici filius. — *Sororum.* Sorores Metellorum intellige. — *Luculli.* Nam L. Lucullus uxorem habuit Metelli Numidici sororem. Ver. IV, cap. 66. — *Servilii.* P. Servilius Isauricus Q. Metelli Macedonici filia, sorore Metellorum quatuor, filiorum Macedonici, natus est. — *Scipiones.* P. Scipio Nasica, qui cum genero suo Cn. Pompeio consulatum gessit, adoptatus est a Metello

non sororum filii, Luculli, Servilii, Scipiones: permulti enim Metelli, aut Metellarum [7] liberi pro Q. Metelli reditu vobis, ac patribus vestris supplicaverunt. Quod si ipsius dignitas, maximæque res gestæ [8] non satis valerent, tamen filii pietas, propinquorum preces, adolescentium squalor, majorum natu lacrymæ populum romanum movere potuerunt.

Nam C. Marii, qui post illos veteres clarissimos consulares [9], vestra patrumque memoria, tertius ante me consularis, subiit indignissimam fortunam præstantissima sua gloria, dissimilis fuit ratio. Non enim ille deprecatione rediit, sed in dissensu [10] civium, exercitu se, armisque revocavit. Me autem [11] nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum ac tumultus metu, C. Pisonis [12], generi mei, divina quædam et inaudita auctoritas atque virtus, fratrisque miserrimi atque optimi quotidianæ lacrymæ, sordesque lugubres a vobis deprecatæ sunt.

Frater erat unus, qui suo squalore vestros oculos

Pio, unde Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, et modo P. modo Q. dicitur. Hinc Cicero Macedonicum in orat. pro Domo hujus proavum vocat.

7. *Metellarum.* Ita legendum videtur pro *Metellorum,* quod est in aliis. Scilicet non solum Metelli, eorumque liberi, qui sunt ipsi Metelli, sed etiam Metellarum filii, qui jam non sunt Metelli, sed quorum matres erant e familia Metellia, e. g. Luculli, Scipiones, pro Metelli reditu supplicarunt.

8. *Maximæque res gestæ non satis valerent.* In Numidico bello.— *Squalor.* Significat vestes lugubres, squalidas, et sordidas, candidis splendentibusque togis oppositas, quibus utebantur, qui vel pro se vel pro alio deprecabantur. Paullo post vocat *sordes lugubres,* et iterum *squalorem* et *squalorem sordesque.* Et cap. 7 vocat *vestem mutatam*, id quod et fecit pro Ligario, cap. 11.

9. *Clarissimos consulares.* Post Popillium et Metellum.—*Indignissimam fortunam.* Quum post sextum consulatum a Sulla in exsilium una cum filio ejectus est.

10. *In dissensu.* Hæc est vulgata lectio. Alii, *discessu*, quod defendit Ernesti. Intelligit autem seditionem civilem.

11. *Me autem.* Alii, *at me.* Nihil refert.

12. *C. Pisonis.* C. Piso, gener Ciceronis, Ponti et Bithyniæ quæsturam pro soceri salute neglexit. Post red. in senatu, cap. 15.

inflecteret[13], qui suo fletu desiderium mei, memoriamque renovaret; qui statuerat, Quirites, si vos me sibi non reddidissetis, eamdem subire fortunam; et tanto in me amore exstitit, ut negaret fas esse non modo domicilio, sed ne sepulcro quidem se a me esse sejunctum[14]. Pro me præsente senatus, hominumque præterea viginti millia, vestem mutaverunt: pro eodem me absente unius squalorem sordesque vidistis. Unus hic, qui in foro posset esse[15], mihi pietate filius inventus est, beneficio parens, amore idem, qui semper fuit, frater. Nam conjugis miseræ squalor et luctus, atque optimæ filiæ mœror assiduus, filiique parvi desiderium mei lacrymæque pueriles, aut itineribus necessariis, aut magnam partem tectis ac tenebris continebantur.

IV. Quare hoc majus[1] est vestrum in nos promeritum, quod non multitudini propinquorum, sed nobismet ipsis nos reddidistis. Sed quemadmodum propinqui[2], quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt; sic illud[3], quod mea virtus præstare debuit, adjutores,

13. *Inflecteret.* Hoc est, moveret ad dolorem.

14. *Sepulcro quidem.* Hoc non consentit, ut recte observavit Ernesti, verbo *negaret;* debebat potius esse *sed vel*, sive *etiam*, nisi subintelligitur *diceret*, pro *negaret*.

15. *In foro posset esse.* Qui in foro se posset solus ex meis cognatis ostendere, quum ceteri præ luctu hominum celebritatem refugerent. — Loco *pietate* olim legebatur *ætate*, quod verbum absurdum est, quum paucis tantum annis fratre junior Quintus esset.

IV. 1. *Hoc majus.* Eo magis de me estis bene meriti, quod me non propter propinquorum multitudinem, qui in umbra lugebant, sed mea solius gratia, restituistis; quod meum reditum non propinquorum supplicationibus, sed meritorum meorum memoriæ tribuistis.

2. *Quemadmodum propinqui.* Ut mihi sors non propinquos concessit, qui pro me supplicare possent; ita mea virtus et agendi ratio mihi præstitit, ut adjutores nanciscerer multo plures, quam quisquam priorum, qui simili fortuna fuere conflictati.

3. *Sic illud.* Rara dictio *illud quod* pro *id quod.* Ceterum facile apparet, opponi inter se hæc duo: « quos ego

auctores, hortatoresque[4] ad me restituendum ita multi fuerunt, ut longe superiores omnes[5] hac dignitate copiaque[6] superarem. Numquam de P. Popillio, clarissimo atque fortissimo viro; numquam de Q. Metello, nobilissimo et constantissimo cive; numquam de C. Mario[7], custode civitatis atque imperii vestri, in senatu mentio facta est.

Tribunitiis[8] illi rogationibus[9] nulla auctoritate senatus sunt restituti: Marius vero non modo a senatu, sed etiam oppresso senatu est restitutus[10]; nec rerum gestarum memoria in reditu C. Marii, sed exercitus atque arma valuerunt. At de me ut valeret[11], semper senatus flagitavit; quum primum licuit[12], frequentia atque auctoritate perfecit. Nullus in eorum reditu motus municipiorum[13] et coloniarum factus est: at

parare non potui », et « quod mea virtus præstare debuit ». Dicit scilicet, propinquos multos habere, esse munus fortunæ, idque non esse in potestate nostra; at amicos sibi quemque conciliare posse virtute sua et rebus præclare gestis.

4. *Hortatoresque*. Hæc tria servari et possunt, et debent ad rem augendam.

5. *Superiores omnes*. P. Popillium et Metellum Numidicum, qui ante me eamdem subierunt fortunam.

6. *Copiaque*. Scilicet patronorum atque amicorum.

7. *Custode civitatis*. Præcipue propter innumerabiles Cimbrorum Teutonorumque copias ab illo superatas. Ex hoc bello quum victor rediret, primores civitatis, qui ipsi tamquam novo homini inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur.

8. Al. addunt *superiores*. Ernestius delevit. J. V. L.

9. *Illi rogationibus*. *Tribunitiæ rogationes* dicuntur, quæ a tribunis latæ sunt. Rogationis autem nomine continetur lex, in qua ferenda populus a tribuno rogatur, velitne, jubeatne? Quæ rogatio, si populus eam acceperat, lex fiebat. — *Auctoritate senatus*. Vid. Ernesti Clav. in *auctoritas*. — *Nulla auctoritate*. Id est, sine auctoritate.

10. *Est restitutus*. Vid. cap. 15, orat. in senatu. De reditu Marii ex Africa lege Flor. lib. III, cap. 21.

11. *Ut valeret*. Subaudi e proximo: « rerum gestarum memoria ». — *Semper... flagitavit*. Etiam Pisone et Gabinio coss.

12. *Licuit*. Lentulo et Metello coss. per vim Clodianorum: quæ tandem summo magistratuum consensu superata est.

13. *Motus municipiorum*. Uti in meo reditu factus est. Omnibus enim e municipiis et coloniis cives ad comitia de Cicerone revocando concurrerunt. Sed ad eorum reditum juvan-

me in patriam ter suis decretis[14] Italia cuncta revocavit. Illi, inimicis interfectis[15], magna civium cæde facta, reducti sunt: ego iis, a quibus ejectus[16] sum, provincias obtinentibus, inimico autem[17] optimo viro et mitissimo[18], altero consule referente[19], reductus sum; quum is inimicus[20], qui ad meam perniciem vocem suam communibus hostibus[21] præbuisset, spiritu duntaxat viveret[22], re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

V. Numquam de P. Popillio L. Opimius[1], fortissi-

dum nihil fecere municipia. Non venerunt Romam. *Motus* ergo hic in meliorem partem dicitur. *Municipium* est genus oppidorum Italiæ, quod jure civitatis romanæ donatum erat, sed ita, ut legibus suis uteretur et suis magistratibus. Cives municipii dicuntur *municipes*.

14. *Ter suis decretis*. Tribus senatusconsultis, quæ populi universi ac totius Italiæ suffragiis comprobata fuere, quum eam in revocando Cicerone alacritatem ostenderunt.

15. *Inimicis interfectis*. Graccho et Saturnino.

16. *Ego iis, a quibus ejectus sum, provincias*, etc. Pisone et Gabinio coss. quorum ille Macedoniam, hic Syriam obtinuit.

17. *Inimico autem*. Q. Metello consule, Lentuli collega, qui tribunus plebis Ciceronem abeuntem consulatu concionis habendæ potestate privaverat. Orat. post red. in senatu, c. 10.

18. *Mitissimo*. Verbis utitur lenientibus id, quod dixerat: *inimico autem*.

19. *Altero consule referente*. Dum alter consul, nempe Lentulus, ad senatum referret, non intercessit Metellus. Otto delevit *referente*, turbato toto sensu.

20. *Is inimicus*. Clodius, qui ad perniciem Ciceronis vocem suam Catilinariæ conjurationis reliquiis et infensæ Ciceroni factioni præbuerat, nunc a Milone oppressus jacebat, potentiæ maxima parte destitutus, ita ut vitam quidem viveret, sed reipsa propter humilitatem, infra mortuos amandatus esse videretur. Errat toto hoc loco Manutius, qui credit de Sex. Atilio agi, qui vel kal. januariis auctoritatem senatus impediebat, multique eum præclari viri, ne id faceret, orabant: quis vero hunc postea infra mortuos amandarit, intelligi licet.

21. *Communibus hostibus*. Pisoni et Gabinio, et Clodio, non meis solum, sed totius reip. hostibus. — *Vocem suam*. Quum in senatu referente Lentulo, kal. jan. intercessit. Vox autem intercedentis hæc est, *veto*.

22. *Duntaxat viveret*. Nihil præter spiritum reliqui haberet.

V. 1. *L. Opimius*. Qui consul cum Q. Fabio C. Gracchum interfecit. In quo hujus loci posita vis est. Nam quum Popillius ob eam causam, quia Tiberium interfecerat, exsularet, rectum erat, cum ab eo revocari, qui ipse similem ob causam Caium fratrem sustulerat.

mus consul, numquam de Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus[2], sed ne is quidem, qui sequutus est, M. Antonius[3], homo eloquentissimus, cum A. Albino collega senatum aut populum est cohortatus. At pro me superiores consules[4] semper, ut referrent, efflagitati[5] sunt; sed veriti sunt, ne gratiæ causa facere viderentur, quod alter mihi affinis[6] erat, alterius causam capitis receperam[7]: qui provinciarum fœdere irretiti, totum illum annum querelas senatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt. Kalendis vero januariis, posteaquam orba respublica consulis fidem, tamquam legitimi tutoris, imploravit,

2. *Erat inimicus.* Causam inimicitiarum ipse Cicero exposuit, lib. III, de Off. cap. 20.

3. *M. Antonius.* Orator, qui C. Mario sextum cnnsuli nna cum A. Albino successit.

4. *Superiores consules.* Piso et Gabinius. — *Sed veriti sunt*, etc. Hæc per ironiam dicuntur. Non enim id veriti sunt, sed pactione provinciarum irretiti, numquam referre voluerunt.

5. *Efflagitati sunt.* Al. codices, *flagitati.* J. V. L.

6. *Affinis.* Alter consul Piso erat C. Pisonis, Ciceronis generi, cognatus. — *Provinciarum fœdere.* Quod pacti erant cum inimico Ciceronis, Clodio. Hic enim tribunus pl. provinciam Syriam Gabinio, Macedoniam Pisoni spoponderat, ea lege, si Ciceronem non adjuvissent.— *Pertulerunt.* Quia, quum queri senatum, lugere bonos, Italiam gemere viderent, de me tamen referre uolueruut.

7. *Causam capitis receperam.* Apparet Gabinium, illum eumdem qui gloriam Pompeii tam enixe in tribunatu asseruit, tunc temporis de vi collegis suis facta postulatum, et defensum a Cicerone, qui candidatus præturæ, Pompeii gratiam non minus hoc facto captarit, quam anno proximo prætor in defendenda lege Manilia, ubi honorifice admodum de Gabinio eodem loquitur. Sunt et animadvertenda Ciceronis de Gabinio verba: « An ipse expers esse debet gloriæ ejus imperatoris, atque ejus exercitus, qui consilio ipsius atque *periculo* est constitutus ». Quo verbo satis in summum discrimen adductus Gabinius declaratur. Negant tamen Marklandus et Wolfius bis accusatum Gabinium, sed semel tantum, post Ciceronis reditum, quum hominem sibi infestissimum Cicero, reconciliante Pompeio, in gratiam recepisset. Neque alia est causa, cur negent, quam quod alio loco rei ejus mentio non occurrit; audacior Wolfius, quum ei opponi Sextianæ orationis locus possit, lectorem monet, corruptos codices esse, et pro *mutavit* legendum *mutabit.* Ita ut præteritum factum levi hac conversione in futurum tempus amandet, felicissima quidem historiæ corrigendæ facilitate!

P. Lentulus consul, parens ac deus salutis[8] nostræ, vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, simul ac de solemni religione retulit[9], nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum judicavit.

Atque eo die confecta res esset, nisi is tribunus plebis[10], quem ego maximis beneficiis quæstorem consul ornaveram, quum et cunctus ordo, et multi eum summi viri orarent, et Cn. Oppius socer, optimus vir, ad pedes ejus flens jaceret, noctem sibi ad deliberandum postulasset: quæ deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur, sed, ut patefactum est[11], in augenda mercede[12] consumpta est. Postea res acta est in senatu alia nulla; et, quum variis rationibus impediretur[13], voluntate tamen perspecta senatus, causa ad vos mense januario[14] deferebatur.

8. Plerique MSS, « deus, salus nostræ vitæ ». Nos Lamb. cum Græv. et Ernest. sequimur. J. V. L.

9. *Religione retulit.* Relatio prima consulis esse solebat de feriis Latinis, quæ indicebantur a consulibus, simul ac magistratum inierant, ad renovandum fœdus in Albano monte cum populis latinis quadraginta septem. Sed non tantum de feriis latinis prima fuit consulis relatio, sed omnino *de religione.* Itaque delevi *solemni*, quod in vulgatis est ante *religione*, siquidem in MS Francii non legatur.

10. *Tribunus plebis.* Sex. Atilius, quem in Sextiana, cap. 34, scribit, quum omnes in senatu, aliusque alio gravius et ornatius de sua salute dixissent, fieretque sine ulla varietate discessio, surrexisse, nec ausum esse, quum esset emptus, intercedere; sed noctem sibi ad deliberandum postulasse.

11. *Ut patefactum est.* Quia postero die intercessit: quum se moram nullam esse facturum dixisset. — *Deliberatio.* Tempus deliberationi constitutum.

12. *In augenda mercede.* Quam a Clodianis acceperat. Pro Sextio, c. 34, *merces duplicata est.*

13. *Rationibus impediretur.* Pro Sext. cap. 35: « Quum omni mora, ludificatione, calumnia, senatus auctoritas impediretur ».

14. *Mense januario.* Significat autem diem VIII kalendas febr. quo die in forum ventum est, ad legem de Cicerone revocando rogandam, id quod in senatu Cn. Pompeius suaserat, ut ad senatus auctoritatem populi quoque beneficium adjungeretur. Princeps rogationis fuit Q. Fabricius, tribunus pl. qui templum aliquanto ante lucem occupaverat. Pro Sext. cap. 35. Nostram lectionem defendit Heumannus. Grævius sequutus est Gruterianam,

Hic tantum interfuit[15] inter me, et inimicos meos. Ego, quum homines in tribunali Aurelio[16] palam conscribi centuriarique vidissem; quum intelligerem, veteres ad spem cædis Catilinæ copias esse revocatas; quum viderem, ex ea parte[17] homines, cujus[18] partis nos vel principes numerabamur, partim quod mihi inviderent, partim quod sibi timerent, aut proditores esse, aut desertores salutis meæ; quum duo consules, empti pactione provinciarum, auctores se inimicis reipublicæ tradidissent; quum egestatem[19], avaritiam, libidines suas viderent expleri non posse, nisi me constrictum domesticis hostibus[20] dedissent; quum senatus equitesque romani flere pro me, ac, mutata veste, vobis supplicare edictis atque[21] imperiis vetarentur; quum omnium provinciarum pactiones, quum omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarum, sanguine meo sancirentur; quum omnes boni non recusarent, quin vel pro me, vel mecum

quæ copulam *et* habet ante *voluntate* non ante *quum*, et *perfecta* pro *perspecta*.

15. *Tantum interfuit.* Exponit jam Cicero causas discessus sui, ne videatur ignavia et timiditate profugisse. Rempublicam Clodianorum vi atque armis oppressam tamdiu nullam fuisse disputat, dum singulari consulum, ceterorumque magistratuum studio, Cn. vero Pompeii virtute, tota denique Italia deprecante, ipse eum illa simul restitutus est.

16. *Quum homines in tribunali Aurelio.* Mentio hujus tribunalis delectusque facta est pro Sext. cap. 15; in L. Pisonem, cap. 5; in senatu, cap. 13. — *Centuriare.* In centurias describere homines, ut militent. Clodius homines plebeios, servos convocabat, in ordines describebat, ut pugnarent contra Ciceronem, si resistere legi et Romæ manere vellet.

17. *Ex ea parte.* Ex parte optimatum. — *Numerabamur.* I. e. habebamur. — *Proditores.* Quod mihi inviderent. — *Desertores.* Quod sibi timerent.

18. Lallem. *cui parti.* J. V. L.

19. *Quum egestatem. Egestatem* de Gabinio dicit; *avaritiam* in Pisonem confertur; *libidines suas*, in utrumque consulem.

20. *Domesticis hostibus.* Hostibus reipublicæ, qui domi et intus grassabantur.

21. *Atque imperiis. Edicta et imperia* etiam in altera or. post red. c. 7, conjunguntur. — *Sancirentur.* Confirmarentur.

perirent: armis decertare pro mea salute nolui, quoniam et vincere, et vinci luctuosum reipublicæ fore putavi. At inimici mei, mense januario, quum de me ageretur, corporibus civium trucidatis, flumine sanguinis meum reditum intercludendum putaverunt.

VI. Itaque quum ego abfui, eam rempublicam habuistis, ut æque me atque illam restituendam putaretis: ego autem, in qua civitate nihil valeret senatus, omnis esset impunitas; nulla judicia, vis et ferrum in foro versarentur; quum privati[1] se parietum præsidio, non legum tuerentur; tribuni plebis[2], vobis inspectantibus, vulnerarentur; ad magistratuum domos cum ferro et facibus iretur; consulis[3] fasces frangerentur; deorum immortalium[4] templa incenderentur; rempublicam esse nullam putavi. Itaque neque, republica exterminata, mihi locum in hac urbe esse duxi; nec, si illa restitueretur, dubitavi, qui me secum ipsa reduceret. An ego, quum mihi esset exploratissimum, P. Lentulum proximo anno consulem futurum, qui illis ipsis reipublicæ periculosissimis temporibus ædilis curulis[5], me consule, omnium meorum consiliorum particeps periculorumque socius fuisset, dubitarem, quin is me confectum consularibus vulneribus consulari medicina[6] ad salu-

VI. 1. *Quum privati.* Cn. Pompeius. metu insidiarum Clodii tribuni plebis in senatu, cap. 2. *Privatus* autem dicitur, quia magistratum non gerebat. Itaque *privati* et *magistratus* sibi opponuntur.

2. *Tribuni plebis.* P. Sextius potissimum, quem in ea oratione, qua illum defendit, plurimis vulneribus concisum dicit. Cap. 37.

3. *Consulis fasces.* A. Gabinii, ut et ipse in Pisoniana, cap. 12, testatur. *Fasces* autem erant insignia consulum.

4. *Deorum immortalium.* Nympharum. In senatu, cap. 3.

5. *Ædilis curulis.* Qui curam ædium, annonæ et ludorum habuit. *Curulis* dicitur a sella curuli, qua utebatur.

6. *Consulari medicina.* Notetur hic allegoria. *Consularia* enim *vulnera* sunt machinationes Pisonis et Gabinii, Ciceronem opprimendi; *medicina* autem *consularis* auxilium Lentuli consulis.

tem reduceret? Hoc duce, collega autem ejus[7], clementissimo atque optimo viro, primo non adversante, post etiam adjuvante, reliqui magistratus pæne omnes[8] fuerunt defensores salutis meæ; ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate præditi, T. Annius et P. Sextius[9], præstanti in me benivolentia et divino studio exstiterunt: eodemque P. Lentulo auctore, et pariter referente collega[10], frequentissimus senatus, uno dissentiente[11], nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis amplissimis ornavit; salutem vobis, municipiis, coloniisque omnibus commendavit.

Ita me nudum a propinquis, nulla cognatione munitum, consules, prætores, tribuni plebis, senatus, Italia cuncta semper a vobis deprecata est; denique omnes, qui vestris maximis beneficiis honoribusque sunt ornati, producti ad vos ab eodem[12], non solum ad me conservandum vos cohortati sunt, sed etiam rerum mearum gestarum auctores, testes, laudatoresque fuerunt.

VII. Quorum princeps ad cohortandos vos, et ad rogandos fuit Cn. Pompeius[1], vir omnium, qui sunt,

7. *Hoc duce, collega ejus.* Q. Cæcilio Metello.

8. *Pæne omnes.* Excepto uno prætore Appio Clodio, P. Clodii fratre, et duobus tribunis plebis Sex. Atilio Serrano, Numerio Quintio.

9. *T. Annius et P. Sextius.* Qui eo anno, quo Cicero revocatus est, tribunatum gerebant. Pro utroque, Annio Milone et Sextio, exstat oratio.

10. *Collega.* Id de propria relatione non est accipiendum, sed relatio Lentuli cum Metello communicatur, quia eam probavit denique.

11. *Uno dissentiente.* P. Clodio. — *Nullo intercedente.* Sc. tribuno. Nam tribunorum erat *intercedere*, quod est prohibere, impedire, verbo illo solemni, *veto.*

12. *Ab eodem.* Scil. Lentulo. Consules enim, quos ex privatis volebant, ad populum in rostra, suadendæ aut dissuadendæ legis causa, producebant. Pro Sext. cap. 50: « Productus est ab eo (P. Lentulo) Cn. Pompeius, qui se non solum auctorem meæ salutis, sed etiam supplicem populo rom. exhibuit ».

VII 1. *Cn. Pompeius.* Qui unus ex productis fuit, ut in Sextiana ostendit.

fuerunt, erunt, virtute, sapientia ac gloria[2] princeps, qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quæ universæ reipublicæ[3], salutem, otium, dignitatem; cujus oratio fuit, quemadmodum accepi, tripartita[4]: primum vos docuit, meis consiliis rempublicam esse servatam[5], causamque meam cum communi salute conjunxit[6]; hortatusque est, ut auctoritatem senatus[7], statum civitatis[8], fortunas civis bene meriti defenderetis; tum in perorando posuit[9], vos rogari a senatu, rogari ab equitibus romanis, rogari ab Italia cuncta; denique ipse ad extremum pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.

Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas est. Hujus consilia[10], P. Lentuli sententiam, senatus auctoritatem vos sequuti, in eo me loco[11], in quo vestris beneficiis fueram, iisdem centuriis[12], quibus collocaratis,

2. *Gloria princeps.* Iisdem ferme verbis in oratione ad senat. c. 3 : « Virtute, gloria, rebus gestis, Co. Pompeius omnium gentium, omnium seculorum, omnis memoriæ facile princeps ».

3. *Universæ reipublicæ.* Iis bellis, quæ ille in tribus orbis partibus sua virtute confecit, victo in Africa Carbone, in Hispania Sertorio, in Asia Mithridate.

4. *Tripartita.* In tres partes distributa.

5. *Esse servatam.* Ex conjuratione Catilinæ.

6. *Salute conjunxit.* Hoc est, ut ipse interpretatur in orat. post red. cap. 11 : « salutem reipubl. conjunctam esse cum mea dixit ».

7. *Senatus.* Quia Cicero nihil in conjuratione opprimenda nisi « auctore senatu » gesserat.

8. *Statum civitatis.* Status etiam dicitur de commoda rerum conditione et salute. Hic ergo est præsens bonus et prosper status reipublicæ.

9. *Posuit.* Ponere : afferre, commemorare in oratione.

10. *Hujus consilia.* Suadentis scilicet populo, ut revocatum iret Ciceronem.

11. *In eo me loco.* In ea dignitate : ut enim centuriatis comitiis consul factus sum, sic lege centuriatis comitiis lata restitutus sum consularis, lib. IV, ad Attic. ep. 1.

12. *Iisdem centuriis.* Centuriæ dicuntur partes populi. Nam quum populus a Servio in classes sex descriptus esset, census et comitiorum causa, cuique classi etiam certus numerus centuriarum attributus est. Quum populus per classium centurias divisus suffragia ferebat, comitia dicebantur

reposuistis. Eodem tempore audistis eodem ex loco summos viros, ornatissimos atque amplissimos homines, principes civitatis[13], omnes consulares, omnes prætorios, eadem dicere, ut omnium testimonio per me unum rempublicam conservatam esse constaret. Itaque quum P. Servilius[14], gravissimus vir, et ornatissimus civis, dixisset, opera mea rempublicam incolumem magistratibus deinceps[15] traditam, dixerunt in eamdem sententiam ceteri. Sed audistis eo tempore[16] clarissimi viri non solum auctoritatem, sed etiam testimonium[17], L. Gellii[18], qui, quia suam classem[19] attentatam magno cum suo periculo pæne sensit, dixit in concione vestra, « Si ego consul, quum « fui, non fuissem, rempublicam funditus interituram « fuisse ».

VIII. En ego tot testimoniis[1], Quirites, hac aucto-

centuriata, in quibus aut leges a magistratibus majoribus feruntur, aut magistratus majores, exceptis ædilibus curulibus, creantur.

13. *Principes civitatis* sunt principes optimatum.

14. *P. Servilius*. Cognomine Isauricus, Q. Metellum consulem Ciceroni placat. Post red. in sen. cap. 10. Facta est etiam ejus mentio in or. pro lege Manil. cap. 23.

15. *Magistratibus deinceps*. Iis, qui post meum consulatum magistratum gesserunt.

16. *Eo tempore*. Quum lata de meo reditu lex est.

17. *Testimonium*. Hoc est, non solum ejus senatorium suffragium, quo consensit cum iis, qui me revocari volebant; sed præterea etiam singulare quoddam ejus testimonium de mei in remp. meriti magnitudine.

18. *L. Gellii*. Qui cum Cn. Lentulo consulatum gessit, et in senatu dixit, civicam coronam Ciceroni deberi a republica. In L. Pisonem, cap. 3.

19. *Suam classem*. Quo tempore prima conjuratio a Catilina est inita, Pompeius bellum piraticum gerebat, præfectumque habebat « Gellium Tusco mari impositum », Flor. III, 6, 8. Classem autem qua is Gellius Tuscum mare tuebatur, attentare seu corrumpere sunt aggressi conjurati. Sic locum hunc cum Ferratio exponit Ernestius: Manutius autem nihil sani hac de re conjicit, quum de parte plebis dictum id putet, cui custos præfectus esset Gellius.

VIII. 1. *Tot testimoniis*. Sequitur jam tertia et postrema orationis pars, in qua erga populum rom. pietatem, studium in rempublicam, majorem in remunerandis beneficiis operam, quam in ulciscendis inimicorum injuriis, perpetuamque beneficii memoriam pol-

ritate senatus, tanta consensione Italiæ, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus ceteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus faventibus, diis denique immortalibus frugum ubertate [2], copia, vilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, reipublicæ restitutus, tantum vobis, quantum facere [3] possum, Quirites, pollicebor: primum, qua sanctissimi homines pietate erga deos immortales esse solent, eadem me erga populum romanum semper fore; numenque vestrum [4] æque mihi grave et sanctum, ac deorum immortalium, in omni vita futurum; deinde, quoniam me in civitatem respublica ipsa reduxit, nullo me loco reipublicæ defuturum.

Quod si quis existimat, me aut voluntate esse mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat: mihi, quod potuit vis, et injuria, et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit; quod viro forti adimi [5] non potest, id manet, et permanebit. Vidi ego fortissimum virum, municipem meum [6], C. Marium, quoniam nobis

licetur. — *Hac.* Id est, tanta tamque concordi et unanimi. — *Studium.* Favor in comitiis.

2. *Frugum ubertate.* Reverso Cicerone, quum esset annonæ summa caritas, SC. in ejus sententiam factum, lexque lata est, ut Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto terrarum orbe daretur. Eo prope momento frumenti vilitas consequuta est, lib. IV, ad Attic. ep. 1. Pro Domo, cap. 6: « Quum de mea dignitate in templo Jovis Optimi Maximi senatus frequentissimus decrevisset: subito, illo ipso die, carissimam annonam nec opinata vilitas consequuta est. Erant, qui deos immortales (id quod ego sentio) numine suo (vi sua, quæ se exsereret in vilitate reddita) reditum meum dicerent comprobasse ».

3. *Facere possum. Facere* suspectum videtur Ernesti; iis enim, quæ promittit, non consentit.

4. *Numen vestrum.* Nutum, vim ac potestatem. Sic in Agr. II, 35: « hæc qui prospexerunt, majores nostros dico, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis ».

5. *Adimi non potest.* Animi virtus, et fides in rempublicam.

6. *Municipem meum.* Qui mecum est ejusdem municipii civis. Cicero

quasi aliqua fatali necessitate, non solum cum his, qui hæc delere voluissent [7], sed etiam cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen vidi, quum esset summa senectute, non modo non infracto [8] animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renovato [9].

Quem egomet dicere audivi, tum [10] se fuisse miserum, quum careret patria, quam obsidione [11] liberavisset; quum sua bona possideri ab inimicis, ac diripi [12] audiret; quum adolescentem filium [13] videret ejusdem socium calamitatis; quum in [14] paludibus demersus, concursu ac misericordia Minturnensium [15],

autem et Marius Arpinates fuerunt. Illustrat hic exemplo C. Marii, fortissimi viri, voluntatem suam.

7. *Voluissent.* Non Catilina solum, sed Sulla etiam, qui semper a populi partibus alienissimus fuerat. — *Cum fortuna.* A qua victi patria expulsi sumus.

8. *Non infracto.* Paullo ante dixit *animo fracto*, quod eumdem habet sensum. Uti enim *frangere* et *infringere* dicuntur sensu eodem, ita et participia *fractus* et *infractus*. Multis exemplis Vorstius de latinitate merito suspecta, cap. 4, ostendit, verbum *infractus* numquam pro *non fractus*, semper pro *fractus* usurpatum esse a scriptoribus elegantioris latinitatis. Eadem ratio est in verbo *infucatus* pro valde fucatus, fallax, fraudulentus. Præpositio *in* ergo hic non minuit, sed auget significationem verbi simplicis.

9. *Renovato.* Significat orator, Marium tam senem recuperasse fortitudinem juvenilem.

10. *Tum se fuisse miserum.* Tum se magnam quidem miseriam perpessum esse, nec tamen in miseria sua animi virtutem perdidisse. — *Quum careret patria.* A Sulla pulsus. Omnem hanc historiam de fuga Marii et calamitate enarrant Plutarchus, Appianus, Epit. Livii, cap. 77, et Velleius Paterc. lib. II, cap. 19.

11. *Quam obsidione.* Barbararum gentium, Teutonum, Cimbrorum, qui jam in Italiam pervenerant.

12. *Diripi.* Hoc est, ab hoc hunc, ab alio alium Marii fundum in potestatem suam redigi possiderique. Eodem sensu paullo antea *dissipavit.*

13. *Adolescentem filium.* Nam is quoque a Sulla victore urbe pulsus et exsilio damnatus in Africam trajecit.

14. *In paludibus.* Hoc idem Velleius Paterc. loco citato: « Marius post sextum consulatum annumque LXX nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro in carcerem Minturnensium jussu duumviri perductus est ».

15. *Minturnensium.* Minturnæ oppidum in confinio Campaniæ et Latii: unde *Minturnenses.*

corpus ac vitam suam conservasset; quum parva navicula trajectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque venisset: recuperata vero sua dignitate, se non commissurum, ut, quum ea, quæ amiserat, sibi restituta essent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidisset. Sed hoc inter me atque illum interest[16], quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis; ego, qua consuevi, utar[17]: quoniam illi arti in bello ac seditione locus est; huic, in pace atque otio. Quamquam ille animo irato nihil nisi de inimicis ulciscendis agebat; ego de ipsis inimicis tantum, quantum mihi respublica[18] permittet, cogitabo.

IX. Denique, Quirites, quoniam me quatuor omnino genera hominum violarunt; unum eorum[1], qui odio reipublicæ, quod eam ipsis invitis conservaram[2], mihi inimicissimi fuerunt; alterum, qui per simulationem amicitiæ, me nefarie prodiderunt; tertium, qui, quum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inviderunt laudi et dignitati meæ; quartum, qui, quum custodes reipublicæ[3] esse debuerunt, salutem meam, statum civitatis, dignitatem ejus imperii[4], quod erat penes ipsos, vendiderunt: sic ulciscar facinorum singula[5], quemadmodum a qui-

16. *Sed hoc... interest.* Comparat se cum eodem Mario, sed dissimiliter.

17. *Utar.* Intellige, *re*, quæ vox præcessit. Significat autem artem dicendi, seu eloquentiam.

18. *Respublica.* Hic est salus et utilitas reipubl.

IX. 1. *Unum eorum.* Qui Catilinæ clam faverant, ejusque conatus oppressos dolebant. Distribuit homines, a quibus est violatus, in quatuor genera: ut sunt mali cives, perfidi amici, invidi, mercatores provinciarum.

2. *Conservaram.* Patefacta et oppressa conjuratione. — *Per simulationem amicitiæ.* Q. Hortensium designat, qui amicum Ciceronis se simulavit et eum insidiose tractavit. Q. Fr. 1, 3.

3. *Custodes reipublicæ.* Piso et Gabinius, quibus consulibus Cicero in exsilium ejectus erat.

4. *Ejus imperii.* Consularis, quo abusi sunt, pecunia corrupti a Clodiana factione.

5. *Facinorum singula.* Al. « singula genera ». J. V. L.

busque sum provocatus; malos cives, rempublicam bene gerendo; perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo; invidos, virtuti et gloriæ serviendo; mercatores provinciarum, revocando domum[6], atque ab iis provinciarum rationem repetendo.

Quamquam mihi majori curæ est, quemadmodum quidem[7] vobis, qui de me estis optime meriti, gratiam referam, quam quemadmodum inimicorum injurias crudelitatemque persequar. Etenim ulciscendæ injuriæ facilior ratio est, quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii, quam bonis exæquari: tum etiam ne[8] tam necessarium quidem est male meritis, quam optime meritis, referre quod debeas[9].

Odium vel precibus[10] mitigari potest, vel temporibus reipublicæ communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari: bene meritos quin colas, nec exorari fas est, nec id reipublicæ remittere[11] utcumque necesse est, neque est excusatio difficultatis, neque æquum est tempore

6. *Revocando domum.* Hoc egit postea, quum orationem in senatu haberet, quæ est de provinciis consularibus. In qua Ciceronis sententia eo spectat, ut Piso et Gabinius ex provinciis, quas nullo senatusconsulto, sed lege Clodia, obtinebant, et omnibus modis vexabant et spoliabant, revocentur, eisque succedatur sic, ut proximo anno sint prætoriæ et a duobus præsentis anni prætoribus obtineantur, eo autem exacto, consulares fiant.

7. *Quidem.* Ejecit Grævius *quidem*, quod est in vulgatis post *quemadmodum*, quodque ipsi ex his tribus verbis, *qui de me*, quæ deinceps sequuntur, natum videtur.

8. *Etiam ne.* Victorius, Lambinus, Gruterus *ne* pro *nec* reposuerunt, quos Grævius taxat, quod *ne* invitis MSS rescripserint; Ernesti vero probat *ne*.

9. *Referre quod debeas.* Edd. omnes ante Victor. « male meritis referre quod debeas, quam ut bene meritos colas ».

10. *Precibus.* Eorum, qui nos offenderunt. — *Mitigari.* Leniri. — *Teneri.* Contineri, reprimi. — *Vetustate.* Temporis longinquitate.

11. *Remittere.* Concedere, condonare. Alii aliud legunt.

et die memoriam beneficii definire. Postremo, qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur; at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contulistis, remunerandis, est tardior; neque solum ingratus, quod ipsum grave est, verum etiam impius[12] appelletur necesse est. [Atque in officio[13] persolvendo dissimilis est ratio, et pecuniæ debitæ, propterea quod pecuniam qui retinet, non dissolvit; qui reddidit, non habet: gratiam et qui retulit, habet; et qui habet, dissolvit].

X. Quapropter memoriam vestri beneficii colam benivolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam quum mortuo[1] monumenta vestri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto[2], semperque præstabo, mihi neque in consiliis de republica capiendis, diligentiam; neque in periculis a republica propulsandis, animum; neque in sententia simpliciter[3] fe-

12. *Impius.* Ut plus est, qui quum acceperit maxima beneficia, gratiam refert: sic impius, qui non refert. Nam qui, mediocribus acceptis beneficiis, gratiam nullam refert, is ingratus dicitur potius, quam impius.

13. *In officio.* Totum hunc locum: *Atque....... dissolvit*, ejiciendum esse putat Grævius, translatum forte huc ex alio loco Ciceronis, ut lib. II, de Off. cap. 20, pro Plancio, cap. 28, scilicet scriptum primum in margine, deinde in textum venisse. Tota enim ista periodus nec in Francii primo, nec in Dresdensi, nec in editione principe habetur, nec bene consentit ceteris. In eadem est sententia Ernesti, qui locum hunc uncis inclusit. — *Pecunia debita.* Subaudi *persolvenda*. Alii, *pecuniæ debitæ*, et tum debet esse antea: *officii persolvendi*.

X. 1. *Mortuo monumenta. Monumentorum* nomine signat scripta historicorum de exsilio suo deque reditu, itemque hanc ipsam orationem, qua beneficii memoriam ad posteritatem propagaturus erat.

2. *Repromitto.* Pro vestris in me beneficiis vicissim promitto.

3. *Simpliciter ferenda.* Ita legi vult Grævius pro *referenda*. Nam consulum erat « referre ad senatum », senatorum autem « censere, sententiam ferre, sententiam dicere ». Ultima itaque syllaba ex præcedente voce perperam est repetita, scriptumque olim manu Tulliana fuit: « In sententia simpliciter ferenda », sive in senatu, sive in judiciis. *Simpliciter* est nulla habita ratione hominis aut potentis, aut invisi, sed fideliter, ut jus, utilitas et tempus reipublicæ postulabit. Ita Grævius.

renda, fidem; neque in hominum voluntatibus[4] pro republica lædendis, libertatem; nec in perferendo labore, industriam; nec in vestris commodis augendis, gratam animi benivolentiam defuturam[5].

Atque hæc cura, Quirites, erit infixa animo meo sempiterna[6], ut, quum vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis, tum posteris vestris cunctisque gentibus dignissimus ea civitate videar, quæ suam dignitatem non posse tenere se, nisi me recuperasset, cunctis suffragiis judicavit.

Ernesti vero *simpliciter* delendum esse censet, quia hic non modus rerum agendarum exprimitur, sed res ipsæ tantum, sententiæ dictio : de modo sequitur in *fide*.

4. *Hominum voluntatibus.* Sic et « offendere voluntatem alicujus » dicere solet Cicero pro « offendere aliquem », sive facere aliquid, quod alteri ingratum est molestumque.

5. *Defuturam.* Totum hunc locum ante oculos habuit Mamertinus secundus Grat. Act. cap. 32 : « Quum anima defecerit, monumenta tui in me beneficii permanebunt; in referenda autem gratia, sanctissime imperator, hoc tibi polliceor, semperque præstabo, mihi neque in suggerendis consiliis veritatem, neque in adeundis, si res poposcerit, periculis animum, neque in sententia simpliciter ferenda fidem, etc. »

6. *Sempiterna.* Hoc est, perpetua cura studioque in id incumbam, ut me præstem ea civitate dignissimum, utque vos me dignissimum judicetis ea civitate, quæ, etc. — *Apud me... tenetis.* Apud me dignitatem et auctoritatem deorum habetis.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO DOMO SUA

AD PONTIFICES

ARGUMENTUM.

Non videbatur sibi Cicero omnino restitutus in pristinum locum, nisi ei sua domus in Palatio restituta esset, ut ipse scribit epp. ad Div. XIV, 2; ad Att. III, 20, etc. Itaque quum illius domus aream, ne umquam profana fieri posset, Clodius consecrandam curavisset, qualis consecratio olim in eversis ædibus Sp. Cassii, Mælii et aliorum facta erat, orator statim redux extremo septembri egit maxima contentione, ut ista religio auctoritate senatus tolleretur. Ab senatu res primum rejecta est ad collegium pontificum, apud quos se de recuperanda domo studiose et accurate dixisse narrat Attico suo, IV, 2; illi vero responsum reddiderunt paullo implicatius, ita ut Clodius secundum se decretum in concione gloriari posset. Tandem habitus est senatus ad consultandum de relato responso, ibique in sententiam Marcellini, designati consulis, a. d. 6 non. oct. consultum factum est: « ut Ciceroni domus restitueretur, item porticus Catuli (quæ contigua domui pretium addebat) reficienda locaretur, eaque auctoritas senatus ab omnibus magistratibus defenderetur ». Conf. in Pis. cap. 22, et lege reliqua in laudata epistola et parte præcedentis, quibus addendus est locus Dionis Cass. XXXIX, 11, qui sequitur narrationem de gratiis senatui populoque actis et de annonæ cura Pompeio mandata. « Cicero igitur denuo reviguit, et non modo ceteras fortunas suas, sed aream quoque ædium suarum recuperavit; quamvis ea Libertati dedicata esset et consecrata. Ille enim legem curiatam, qua Clodius ad plebem adoptione traductus erat, reprehendens, quod ex instituto majorum per trinundinum promulgata non fuisset, omnem ejus tribunatum, in quo de domo constituerat, evertit; affirmans, nihil ab eo tribuno pl. jure fieri potuisse, qui ipse contra jus ad plebem transisset: atque ita pontificibus persuasit, ut sibi aream, quæ ab omni religione vacua et pura esset, adjudicarent. Sic Cicero et aream domus suæ et pecunias instaurandis ædibus ceterisque suis facultatibus, quibus damnum illatum erat, reparandis adeptus est. »

Illam tum ad pontifices habitam orationem, cujus sibi valde probatæ editionem mox prodituram Attico promittit, eamdem esse atque eam, quam hodie legimus, existimarunt viri doctissimi.

Summam ejus persequi difficile est propter miram varietatem rerum, quæ in ea perplexius confusæ sunt; etsi pleræque illuc pertinent, ut consecratio ista jure et rite facta esse negetur. Sed res ad septem partes fere ab Intpp. rediguntur, quas Manutii potius quam nostris verbis percensere placet. Igitur prima pars respondet Clodio, qui apud pontifices ea vituperaverat, quæ per illos dies Cicero in senatu de republica, id est, de Cn. Pompeio rei frumentariæ præficiendo, sensisset. Secunda de jure publico agit, in eaque ostenditur, legibus iis, quibus romana civitas utatur, non posse quemquam civem per vim ejici, aut quidquam in caput et bona cujusquam statui sine judicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re constituti sint judices. In eadem afferuntur rationes, cur tribunatus Clodii nullus fuerit, adoptione ejus contra jus et fas tumultuarie facta. Tertia pars, vel si tribunus pl. et per auspicia, et per leges Clodius esse potuerit, ei tamen legem nominatim de capite civis indemnati ferre non licuisse, demonstrat: id enim privilegium est, quod ferri sacratæ leges et XII tabulæ vetant. Neque vero tantum hoc contra leges, sed illud etiam, quod de ejus capite fortunisque omnibus, qui neque adesse sit jussus, neque accusatus, legem illam Clodius tulerit. Quin etiam vitiosa sunt verba legis, quippe hæc: « Velitis, jubeatis, ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit »: non, quod ponendum erat, « interdicatur ». Ita peccatum est in forma legis: quid in ipsa veritate? Non minus: objectum est enim Ciceroni, « falsum S. C. ab eo relatum esse »; hanc vero fictam criminationem esse, senatus ipse, quum eum restituit, judicavit. Quarta pars maledictum Clodii, exsulem Ciceronem appellantis, refellit duabus causis, vel quod ex peccato, vel quod ex damnatione subeatur exsulis nomen. Peccasse me, inquit, negant omnes; optime de patria meritum, senatus, equestris ordinis, scribarum, plebis urbanæ, municipiorum, coloniarum, totius Italiæ decreta ad me revocandum facta declarant. In ferenda autem lege, qua in pristinam dignitatem restituerer, quæ celebritas comitiorum, quantus omnis generis hominum, ætatum, ordinum splendor fuit! Quod ad damnationem attinet, exsul non sum: incolumis enim et indemnatus discessi; nemo me ulla umquam lege interrogavit, nemo postulavit, nemo diem dixit: libertatem vero aut civitatem amittere civis romanus nemo po-

test, nisi auctor rei ipse factus sit. Infirmatur deinde Clodii maledictum ea quoque ratione, quod in ipsa rogatione nihil scripserit, quo minus Cicero in senatorum numero maneret, et quod in lege illa suffragium tulerit non populus romanus, verum multitudo hominum ex servis conductis, facinorosis, egentibus collecta. Quinta pars eidem Clodio respondet, accusanti Ciceronem, quod de se ipso gloriosius prædicare soleret; tum iis, qui objicerent ei discessum ex patria. Sexta, de domo recuperanda quantum laboret, quamque improbe et nulla religionis observantia fecerit Clodius in illa dedicanda, et quid in ea tota re spectarit, ostendit. In primis dedicatio improbatur eo, quod non affuerit collegium pontificum, sed unus tantum pontifex, affinis Clodii, adolescens imperitus, sororis precibus, matris minis adductus, mente et lingua titubante. In septima parte orator preces facit ad Jovem et alios deos, ut, si ruinam ab eorum templis ac delubris depulerit, si suum caput pro eorum religionibus furori ferroque perditissimorum civium objecerit, hunc se fructum ferre sinant, ut redire in proprias sedes liceat; similibusque precibus ad pontifices utitur, ut ipsorum sententiis jam in patriam reductus, nunc eorumdem manibus in domo sua collocetur.

Jam his omnibus octavam partem adjicit Ferratius, tamquam unam omnium gravissimam, ex cap. 49 et seqq. consecrationem domus factam esse contra veterem legem Papiriam, qua cautum esset, « ne quis injussu plebis ædes, terram, aram consecraret »; quumque de Ciceronis domo dedicanda nihil Clodius ad populum tulisset, non jure factam videri dedicationem. Hoc argumento uno permotos censet ille pontifices, ut secundum Ciceronem judicarent; quam rem bene conjicit ex verbis decreti in epist. ad Att. l. l. relatis: « si neque populi jussu neque plebis scitu is, qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset, neque populi jussu aut plebis scitu id facere jussus esset; videri posse sine religione eam partem areæ mihi restitui »: reliquas partes orationis omnes, etsi accurate tractatas, causam non continere, facileque refutari potuisse. Sed satius est, ipsius Ferratii animadversiones adscribere. « Interpretes, inquit, in enumerandis argumentis omittunt illud, quod præcipuum est, quodque unum maxime pontifices movit, ut ipsi causam adju-

dicarent. Domus, inquiunt, consecrationem explodit, quia Clodius neque jure adoptatus fuerat, neque tribunus pl. esse poterat. Audio : hoc vero semel admisso, jam et leges de consulum provinciis, de Byzantinis, frumentariam, de Catonis in Cyprum expeditione, omnia denique ipsius acta rescindi oportebat. Hæc tamen valebant, et rata erant : nam referente Plutarcho in Cic. cap. 34, Ciceronem, tabulas disjicere cupientem, in quibus Clodii rogationes scriptæ servabantur, Cato prohibuit, tum ne, quæ ipse in Cypro gesserat, irrita judicarentur; tum etiam, quod jure ac salvis auspiciis de iis omnibus latum fuisse contenderet. Atque adeo, quum cetera probarent, hanc unam legis particulam de consecratione domus eo nomine, quod non fuerit legitima adoptio, privato consilio abrogare pontifices non poterant. Secundo loco subjiciunt commentatores : tulerat de Cicerone Clodius per vim et contra leges, ac proinde per se irrita rogatio erat. Fac, non mentiri oratorem : sed in primis, ex tot illius legibus an ea tantum per vim et contra leges lata fuerat? nonne aliæ multæ eodem modo? cur, si omnium eadem conditio est, non de omnibus pariter idem debet esse judicium? Deinde quod Cicero sine teste, sine tabulis ac literis, denique extra causam dicebat in hominem inimicum, nequaquam tantum ponderis apud sapientissimos viros habebat, ut de religione temere judicarent. Postremo, utcumque lex aliqua lata esset, non poterat a judicibus vel a collegio pontificum abrogari. Hoc judicium ad senatum spectabat, qui de abrogandis legibus decernebat, in quibus aliquid peccatum fuisset. Tertio, argumentum ab adjunctis desumptum debile atque infirmum est. An impietas Clodii dedicantis impedimento erat, ne rata putaretur dedicatio? At de sacris Bonæ Deæ pollutis absolutus fuerat judicio publico, et in dedicando rite omnia peregerat. An sanctitas et religio cujuslibet privatæ domus? At Fulvii Flacci aliorumque ædes jure dedicatæ videbantur. An adolescentia pontificis, quem in dedicatione adhibuerat? At eum populus comitiis tributis creaverat, et collegium cooptaverat. An, quia consecratio facta in perniciem civium nulla est, nulla quoque erit dedicatio? At Cicero non erat civis incolumis, lege Clodia pulsus in exsilium : si non fuisset exsul, frustra consules ex SC. centuriatis comitiis de illo in patriam restituendo tulissent.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
M. TULLII CICERONIS
PRO DOMO SUA
AD PONTIFICES.

ORATIO NONA ET VICESIMA.

I. Quum multa[1] divinitus, pontifices, a majoribus nostris inventa atque instituta sunt; tum nihil præclarius, quam quod eosdem[2] et religionibus deorum immortalium, et summæ reipublicæ præesse voluerunt; ut amplissimi et clarissimi cives rempublicam bene gerendo, pontifices religiones sapienter interpretando, rempublicam conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in[3] sacerdotum populi romani

I. 1. *Quum multa.* Statim in horum verborum sententia æstuant interpretes, quum plana omnino sit auctoris mens: præclare instituerunt majores nostri ut pontifices duplicem simul personam sustineant, partim sententiis in senatu dicendis, partim religionibus interpretandis reipublicæ utilitati inserviant. Neque tamen omnes pontifices senatum intrabant, ut patet ex epistola ad Att. IV, 2: sed patricii omnes erant ex iis gentibus quibus summa reip. præsertim committebatur.

2. *Quam quod eosdem.* Al. « vos eosdem. J. V. L.

3. Abest *in*. J. V. L.

judicio ac potestate versata est : hæc profecto tanta est, ut omnis reipublicæ dignitas, omnium civium salus[4], vita, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa creditaque esse videantur. Vobis hodierno die constituendum est, utrum posthac amentes ac perditos magistratus[5] improborum ac sceleratorum civium[6] præsidio nudare, an etiam deorum immortalium religione armare malitis. Nam si illa labes ac flamma reipublicæ suum illum pestiferum et funestum tribunatum, quem æquitate humana tueri non potest, divina religione defenderit; aliæ cærimoniæ nobis erunt, alii antistites deorum immortalium, alii interpretes religionum requirendi. Sin autem vestra auctoritate sapientiaque, pontifices, ea, quæ furore improborum in republica, ab aliis oppressa, ab aliis deserta, ab aliis prodita, gesta sunt, rescinduntur[7]; erit causa, cur consilium majorum, in amplissimis viris ad sacerdotia deligendis, jure ac merito laudare possimus.

Sed, quoniam ille demens, si ea, quæ ego per hos dies in senatu de republica sensi[8], vituperasset, ali-

4. *Omnium civium salus.* Consuetodo Ciceronis, ut ex ea causa, quam agit, totius reipublicæ pendere salutem affirmet, causam autem in extrema orat. ostendit : ne si ista Clodii dedicatio in civitate probetur, idem postea omnes seditiosi tribuni pl. audeant.

5. *Amentes ac perditos magistratus.* Magistratus modo dicit tribunos pl. Nam P. Clodius in tribunatu Ciceronis domum everterat, et in area Libertatis atrium ædificarat.

6. *Sceleratorum civium.* Quorum opera Clodius omnia illa in tribunato gesserat.

7. Ernest. malit *rescindantur*. J. V. L.

8. *De republica sensi.* Quo tempore Cicero ab exsilio rediit, hoc est, prid. non. sept. Lentulo et Metel. coss. quum esset annonæ summa caritas, et ad eam procurationem bonorum omnium sermone Pompeius vocaretur, Cic. sententiam dixit, in ejusque sententiam SC. factum est, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur postridie. Cicero concionem habuit, lex conscripta est, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur.

quem se aditum ad aures vestras esse habiturum putavit, omittam[9] ordinem dicendi meum; respondebo hominis furiosi non orationi, qua ille uti non potest, sed convicio[10], cujus exercitationem quum intolerabili petulantia, tum etiam diuturna impunitate munivit.

II. Ac primum illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quæ te tanta pœna tuorum scelerum[1] flagitiorumque vexet, ut hos tales viros, qui non solum consiliis suis, sed etiam specie ipsa[2] dignitatem reipublicæ sustinent, quod ego in sententia dicenda salutem civium cum honore Cn. Pompeii conjunxerim, mihi esse iratos, et aliud de summa hoc tempore religione[3] sensuros, ac me absente senserint, arbitrere. Fuisti tu, inquit, apud pontifices superior; sed jam[4], quoniam te ad populum contu-

9. *Non omittam ordinem.* Sequutus hic est Grævius codicem Dresdensem, quem citat in V. L. ex quibus tamen videtur haud aliter edere voluisse, quam ceteri omnes libri scripti editique præ se ferunt, *omittam*, etc. absque negatione, qua caret etiam codex Barb. Sed codicis ejusdem margo adscriptum habet manu antiqua, *alii*, *non omittam*.

10. *Sed convicio. Convicium* dicitur de multis vocibus aut multorum simul, aut unius frequentatis.

II. 1. *Pœna tuorum scelerum.* Quæ te vexet dementia, θεοβλάβεια. Cf. similes locos ap. Ruhnken. ad Vell. II, 57, tom. I, pag. 265.

2. *Specie ipsa.* Non solum dignitate formæ, et oris majestate, sed etiam insignibus honoris et splendore vitæ et dignitatis. Nam *species* notat omnem apparatum exteriorem, qui in oculos incurrit, et hominibus apud vulgum utique solet afferre dignitatem aliquam, et venerationem.

3. *De summa religione.* De consecrata Ciceronis domo a Clodio: nam Cicerone nec dum reverso eam consecrationem improbarant. *Summa religio* est res, a qua pendet fere tota religio. Sic *summa existimatio* in epistolis ad Atticum est res, in qua agitur nostra omnis existimatio; de qua locutione diximus alibi plura, et multis egit exemplis J. F. Gronovius ad Livium.

4. *Sed jam.* Non idem, inquit, hodie sentient pontifices, quod prima vice senserunt. An hæc de Ciceronis domo causa dicta jam semel fuerat? procul dubio: et quidem quum ille nondum reversus esset in patriam. Non eamdem tamen utriusque judicii formam fuisse, argumento est diversitas loci. De Har. resp. 6, « Pontifices, causa cognita, duobus locis dicta », domum liberasse dicuntur. In senatu primum actum est, factumque SCtum, ut sua Ciceroni domus restitueretur,

listi [5], sis inferior, necesse est. Itane vero? quod in imperita multitudine est vitiosissimum, varietas et inconstantia, et crebra, tamquam tempestatum, sic

tum quoque dissentiente Clodio: deinde, quum dedicatio scrupulum faceret, ne deorum cærimoniæ violari quodammodo viderentur, ut pontifices de religione cognoscerent, decretum est. Hunc locum luculenter explanat epistola prima libri IX ad Attic. « Nos tacemus, et eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderunt » nondum dicta apud pontifices causa: « qui si sustulerint religionem, aream præclaram habebimus, superficiem consules ex SCto æstimabunt ». Decreverant igitur patres de domo Ciceronis, antequam de illius religione pontifices respondissent. Prosequitur et alteram partem: « sin aliter », h. e. si secundum postulata Clodii judicaverint, consules « demolientur, et suo nomine locabunt, rem totam æstimabunt ». Tria hæc, demolitio, locatio, et æstimatio, præscribebantur SCto, quamvis aliter pontifices sensissent. Itaque Clodius, confisus iis, quæ inter primam, et alteram dictionem causæ intervenerant, « fuisti tu, inquit, apud pontifices superior », qui omnes, adhuc absente Cicerone, et quum res in senatu ageretur, domum restituendam esse censuerant, *sed etiam*, etc.

5. *Quoniam te ad populum contulisti*, *sis inferior*, etc. Biduo, postquam in urbem redierat, Cicero sententiam dixerat de rei frumentariæ procuratione Pompeio mandanda, et ut in eamdem SCtum fieret, perfecerat: hinc summa apud populum inita gratia, nobilium, maximeque consularium animos graviter offendisse videbatur, quasi, relictis optimatibus, ad populi partes transisset. Proinde necesse est, aiebat adversarius, ut quem hactenus optimatium auctoritatem sequutum decretis amplissimis sublevarunt, eumdem factum popularem oderint in posterum, ac deprimant: nam pontifices fere omnes optimates erant, et magna ex parte consulares. Neque vero audiendi sunt illi, qui putant locum judicii significari iis verbis, « quoniam te ad populum contulisti », quia non, ut antea, in senatu, sed in foro dicere causam voluisti. An Cicero ipse locum delegerat, ut, quum posset in senatu apud pontifices dicere, in foro maluerit? an qui ad judicum subsellia in foro causam dicit, ille se ad populum contulisse dicendus est? cur objicienti loci insolentiam Clodio nihil Cicero respondet? Verum non arbitror hanc in foro actam fuisse causam: nusquam enim orator populi, qui sibi dicenti adesset, mentionem fecit: quod illi tamen est familiare, quoties præsente populo causas agit. De Har. resp. 6, non populo universo, sed « maxima frequentia amplissimorum, et sapientissimorum civium adstante », se dixisse ad pontifices testatur. Denique ad Att. IV, 2: « Tum subito, inquit, ille (P. Clodius statim post judicium) in concionem ascendit, quam Appius ei dedit: nuntiat populo, pontifices secundum se decrevisse ». Si populus judicio adesse potuisset, aliterne, ac decretum fuerat, nuntiare Clodius ausus esset? Verisimile igitur est, in certo aliquo loco, procul a multitudine, de domo Ciceronis cognoscere voluisse pontifices, ne quæ de sacris, de cærimoniis, de religione ab utraque parte necessario dicenda erant, infimæ quoque plebi paterent.

sententiarum, commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconstantia gravitas, a libidinosa sententia certum et definitum jus religionum, vetustas exemplorum, auctoritas literarum monumentorumque deterret? Tune es ille, inquit, quo senatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem respublica desideravit? quo restituto, senatus auctoritatem restitutam putabamus? quam primum adveniens prodidisti? Nondum de mea sententia dico; impudentiæ primum respondebo tuæ.

III. Hunc igitur, funesta reipublicæ pestis, hunc tu civem ferro, et armis, et exercitus terrore[1], et consulum scelere, et audacissimorum hominum minis, servorum delectu, obsessione[2] templorum, occupatione fori, oppressione curiæ, domo et patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere curasti, quem a senatu, quem a bonis omnibus, quem a cuncta Italia desideratum, arcessitum, revocatum, conservandæ reipublicæ causa, confiteris? At enim in senatum venire, in Capitolium intrare turbulento illo die[3] non debuisti. Ego vero neque veni, et domo[4] me tenui, quamdiu turbulentum tempus[5] fuit: quum servos tuos ad rapinam, ad bo-

III. 1. *Exercitus terrore.* Cæsar tum propter Galliæ proconsulatum exercitum habebat: cujus metu, quasi ei Cæsar suffragaretur, Clodius adversarius terrebat.

2. *Obsessione templorum.* Hæc omnia Clodii et in Sextiana, et aliis locis innumeris inculcantur.

3. *Turbulento die.* « Eo biduo, inquit ad Attic. quum esset annonæ summa caritas, et homines ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent impulsu Clodii, mea opera frumenti inopiam esse clamarent, accurate sententiam dixi, etc. »

4. *Domo me tenui.* Vulgo *domi*, sed contra omnes membranas, et antiquitus impressos. Naug. et omnes usque ad Grut. *domi.* Sed ambæ Ven. et cod. Barb. *domo*, atque ita sæpe auctores optimi loquuntur. Vide hac de re copiosam Staverenii adnotationem ad Corn. Nep. Epamin. c. 10, n. 3.

5. *Turbulentum tempus.* Quo multitudo, ut dixi, propter annonæ caritatem concitata in Capitolium convenerat. Itaque quum L. Cæcilius prætor ludos Apollinares faceret, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro

norum cædem paratos, cum illa tua consceleratorum ac perditorum manu, armatos in Capitolium tecum venisse constabat. Quod quum mihi nuntiaretur, scio me domi mansisse, et tibi, et gladiatoribus tuis instaurandæ cædis potestatem non fecisse. Posteaquam mihi nuntiatum est, populum romanum in Capitolium, propter metum atque inopiam rei frumentariæ, convenisse; ministros autem scelerum tuorum perterritos, partim amissis gladiis, partim ereptis, diffugisse; veni non solum sine ullis copiis ac manu, verum etiam cum paucis amicis. An ego, quum P. Lentulus[6] consul, optime de me ac de republica meritus, quum Q. Metellus, qui, quum meus inimicus esset, frater tuus[7], et dissensioni nostræ, et precibus tuis, salutem ac dignitatem meam prætulisset, me arcesserent in senatum; quum tanta multitudo civium, tam recenti beneficio[8] suo, me ad referendam gratiam nominatim vocarent, non venirem; quum præsertim te jam illinc cum tua fugitivorum manu discessisse constaret? Hic tu me etiam custodem, defensoremque Capitolii, templorumque omnium, hostem Capitolinum appellare ausus es, quod, quum in Capitolio senatum duo consules haberent, eo venirem? Utrumne est tempus aliquod, quo in senatum venisse turpe sit? an res illa talis erat, de qua agebatur; ut rem

spectandi gratia consederant, pellerentur. Hæc Pædianus in Milon. in qua ipsa Cicero scribit, hujus Cæcilii prætoris domum ob eamdem causam oppugnatam fuisse.

6. *P. Lentulus*, *Metellus*. Quibus consulibus, et adjutoribus Cicero restitutus est. Metellus vero quas inimicitias cum Cicerone gerebat, eas reipublicæ condonavit.

7. *Frater tuus*. Maritus Clodiæ non hic consul Q. Metellus Nepos fuit, sed Q. Metellus Celer hujus frater antea mortuus, quam Cicero exsularet. Peccant etiam cum Sylvio, et aliis Annales Pighiani DCXCVI.

8. *Beneficio*. Quum alienum Ernestio videretur verbum hoc, correxit *officio*, et sponte in textum admisit; quæ audacia minime laudanda.

ipsam repudiare, et eos, qui agebant, condemnare deberem?

IV. Primum dico senatoris esse boni, semper in senatum venire: nec cum his sentio, qui statuunt minus bonis temporibus in senatum ipsi non venire; non intelligentes, hanc suam nimiam perseverantiam vehementer iis, quorum animum offendere voluerunt, gratam et jucundam fuisse. At enim nonnulli[1], propter timorem, quod se in senatu tuto non esse arbitrabantur, discesserunt. Non reprehendo: nec quæro, fueritne aliquid pertimescendum. Puto, suo quemque arbitratu[2] timere oportere. Cur ego non timuerim, quæris? quia te illinc abiisse constabat. Cur, quum viri boni nonnulli putarint, tuto se in senatu esse non posse, ego non idem senserim? Cur, quum ego me existimassem tuto omnino in civitate esse non posse, illi non item[3]? An aliis licet, et recte licet, in meo metu sibi nihil timere; mihi uni necesse erit et meam, et aliorum vicem pertimescere?

An, quia non condemnavi[4] sententia mea duo consules, sum reprehendendus? Eos igitur ego potissimum damnare debui, quorum lege[5] perfectum

IV. 1. *Nonnulli.* Omnes consulares, præter Messallam et Afranium, quod tuto se negarent posse sententiam dicere.

2. *Suo quemque arbitratu.* Habet cod. Barb. *arbitrio*, idque ab illa ed. quam Græv. laudat, acceptum retinuerunt ambæ Venetæ, et omnes, quas vidi, usque ad Lamb. a quo habet lectionem suam Gruterus, eamque certiorem trium optimorum codicum auctoritate redditam omnibus transmisit. Invenit enim in suis MSS, quos allegavit, probavitque Lambinus, « suo quemque arbitratu »: quem ordinem cum verbis ipsis Grut. ex suis, recentioresque servarunt, atque a Grævio immutatum revocare jubent etiam Naug. et Hervag. qui vulgatam illam lectionem ita disposuerunt, « suo quemque arbitrio ».

3. *Illi non item?* Sic e MS Manutius. Vulg. sine sensu, « illuc irem? » J. V. L.

4. *Non condemnavi.* Dicenda sententia, quæ ipsorum consulum consiliis responderet.

5. *Quorum lege.* Nam lege Cornelia et Cæcilia duorum istorum consulum revocatus est.

est, ne ego indemnatus, atque optime de republica meritus, damnatorum pœnam sustinerem? Quorum etiam delicta, propter eorum egregiam in me conservando voluntatem, non modo me, sed omnes bonos ferre oporteret, eorum optimum consilium ego potissimum, per eos in meam pristinam dignitatem restitutus, consilio repudiarem meo? At quam sententiam dixi? Primum eam, quam populi sermo in animis nostris[6] jam ante defixerat; deinde eam, quæ erat superioribus diebus agitata in senatu; deinde eam, quam senatus frequens, tum, quum mihi est assensus, sequutus est: ut neque allata sit a me res inopinata ac recens, nec, si quod in sententia vitium est, magis sit ejus, qui dixerit, quam omnium, qui probarint.

At enim liberum senatus judicium, propter metum, non fuit. Si timuisse eos facis, qui discesserunt, concede, non timuisse eos, qui remanserunt. Sin autem sine iis, qui tum abfuerunt, nihil decerni libere potuit; quum omnes adessent, cœptum est referri de inducendo senatusconsulto: ab universo senatu reclamatum est.

V. Sed quæro, in ipsa sententia, quoniam princeps ego sum ejus atque auctor, quid reprehendatur. Utrum causa capiendi novi consilii non fuit? an meæ partes in ea causa non præcipuæ fuerunt? an alio potius confugiendum fuit? Quæ res[1], quæ causa major esse, quam fames, potuit? quam seditio? quam consilia tua, tuorumque; qui, facultate oblata, ad im-

6. *Populi sermo in animis nostris.* Quum per eos dies senatus de annona haberetur, et ad ejus procurationem sermone non solum plebis, verum etiam bonorum Pompeius vocaretur, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet, feci, et accurate sententiam dixi.

V. 1. *Quæ res.* Grævius et Lallem. ex pluribus codd. « quæ vis », quod sane vehementius videtur, nec, ut vulgata, friget.

peritorum animos incitandos, renovaturum[2] te tua illa funesta latrocinia ob annonæ causam putarunt? Frumentum provinciæ frumentariæ[3] partim non habebant; partim in alias terras, credo, propter varietatem venditorum[4], miserant; partim, quo gratius esset, tum, quum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Res erat non in opinione dubia, sed in præsenti[5] atque ante oculos proposito periculo: neque id conjectura prospiciebamus, sed jam experti videbamus. Nam, quum ingravesceret annona, ut jam plane inopia ac fames, non caritas timeretur; concursus est ad templum Concordiæ[6] factus, senatum illuc vocante Metello consule.

Qui si verus[7] fuit, ex dolore hominum et fame; certe consules causam suscipere, certe senatus aliquid consilii capere potuit[8]. Sin in causa[9] fuit annona, seditionis quidem instimulator et concitator tu

2. *Renovaturum.* Alii permulti, *revocaturum.*

3. *Provinciæ frumentariæ.* Quæ vectigal potius, quam stipendium quotannis pendunt: ut Asia, Sicilia.

4. *Varietatem venditorum.* Permulti locum hunc non intellexere; Grævius mutavit « propter avaritiam venditorum ». Verum idem ferme sensus ex vulgata eruitur. Cicero nempe illud dicit, frumentum in una regione multo carius quam in altera fuisse, atque eam varietatem venditorum, id est, pretii, quod venditores frumento statuebant, fecisse ut frumentariæ provinciæ illud alio transmitterent, quo plus lucrarentur. Ita Verburgius: Neque omnino diversa Ernestii interpretatio in indice, qui varietatem venditorum idem esse ait quam pretii diversitatem, quod frumento statuunt venditores, quum alii majoris, alii minoris vendere volunt, eamque ob causam, h. e. propter ea quod incertum apud se est pretium, aliorsum mittunt rustici frumentum, ubi certum pretium fore sperant.

5. *Sed in præsenti.* Codd. longe plurimi, « in præsentia », ut « in præsenti » Wolfio mendosum videatur. J. V. L.

6. *Ad templum Concordiæ.* Antea concursus factus est in Capitolium, ibique habitus senatus.

7. *Verus.* Veritate expressus, non seditiosorum opera incitatus. Non est quod loquendi formulam hanc miretur Wolfius.

8. *Potuit.* Eodem sensu quo debuit.

9. *In causa.* In prætextu.

fuisti, nonne id agendum nobis omnibus fuit, ut materiem subtraheremus furori tuo? Quid? si utrumque fuit, ut et fames stimularet homines, et tu in hoc ulcere, tamquam unguis[10], exsisteres; nonne fuit eo major adhibenda medicina, quæ et illud nativum, et hoc delatum[11] malum sanare posset? Erat igitur et præsens caritas, et futura fames. Non est satis: facta lapidatio est. Si ex dolore plebei, nullo incitante; magnum malum. Si P. Clodii impulsu; usitatum hominis facinorosi scelus. Si utrumque, ut et res esset ea, quæ sua sponte multitudinis animos incitaret, et parati atque armati seditionis duces; videturne ipsa respublica et consulis auxilium implorasse, et senatus fidem?

Atqui utrumque fuisse perspicuum est: difficultatem annonæ, summamque inopiam rei frumentariæ, ut homines non jam diuturnam caritatem, sed ut famem plane timerent; nemo negat. Hanc istum otii et pacis hostem causam arrepturum fuisse ad incendia, cædem[12], rapinas, nolo, pontifices, suspicemini, nisi videritis. Qui sunt homines a Q. Metello, fratre tuo, consule, in senatu palam nominati, a quibus ille se lapidibus appetitum, etiam percussum[13] esse dixit?

10. *Tamquam unguis.* Ut ulceri acriores stimulos adderes, tamquam unguis vulnera secans ad vivum.

11. *Nativum, delatum.* Insitum, adventitium; quod intus esset, quod extrinsecus obvenisset; alibi dicitur « intestinum, oblatum ». — *Delatum* in antiquis aliquibus Hottom. invenit, quod retulit probe Lamb. et firmant libri Grut. et plerique Græviani: nam mei editi usque ad Lamb. mendose, *delectum*, cod. Barb. cum Franc. *delictum*, ut in suis infra se reperisse Lamb. quoque testatur. Lambiniani repetitores *delectum* perperam retulerunt: sed in posterioribus Manutianis recte, *delatum*.

12. *Cædem.* Pro illa voce, quam a Lambino Gruterus accepit, cod. Barb. ambæ Ven. Naug. Herv. Man. exhibent *cædes*, ut omnia pluraliter ponantur, « ad incendia, cædes, rapinas ». Sed etiam cap. 3 legimus, « a cæde, incendiis, vastitate », et cap. 9, « cædis, et incendiorum ducibus », atque ita passim.

13. *Etiam percussum.* Hæc quoque lectio a Lamb. est, quam Gruterus,

L. Sergium et M. Lollium nominavit. Quis est iste Lollius? qui sine ferro ne nunc quidem tecum est; qui, te tribuno plebis, nihil de me dicam[14], sed qui Cn. Pompeium interficiendum depoposcit. Quis est Sergius? armiger Catilinæ, stipator tui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiæ. His atque hujusmodi ducibus, quum tu in annonæ caritate in consules, in senatum, in bona fortunasque locupletium, per causam inopum[15] atque imperitorum[16], repentinos impetus comparares; quum tibi salus esse in otio nulla posset; quum, desperatis ducibus, decuriatos[17] ac descriptos haberes exercitus perditorum; nonne providendum senatui fuit, ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhæresceret[18]?

Fuit igitur causa capiendi novi consilii[19]. Videte nunc, fuerintne partes meæ pæne præcipuæ.

VI. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceteræ pestes in lapidatione illa nominabant? quem annonam præstare[1] oportere dicebant? nonne

omnesque deinde adoptarunt, longe meliorem, quam vetus erat lectio editorum ante Lamb. omnium, quos habeo, et cod. Barb. *et percussum*, quod maluerunt etiam repetitores Lamb. et ultimæ Manutianæ.

14. *Nihil de me dicam*. Se quoque insidiis a Lollio petitum significat.

15. *Per causam inopum*. Quasi pauperes defenderet.

16. In edd. vett. nonnullis et MSS aliquot, *peregrinorum*.

17. *Decuriatos*. Decuriare, et centuriare passim usurpatur pro conscribere.

18. *Ne in hanc tantam materiem seditionis ista funesta fax adhæresceret?* Grævio placebat, « ne in hac tanta materia..... fax adolesceret ». Alii apud Garaton. « ne hæc tanta materies seditionis ista funesta face adolesceret ». J. V. L.

19. *Fuit igitur causa capiendi novi consilii*. Sallust. Catil. LI, 41 : « Hanc ego causam, P. C. quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto ».

VI. 1. *Annonam præstare*. Caritatis eventum, et periculum in se recipere.

me? Quid? puerorum illa concursatio[2] nocturna[3], tum a te ipso instituta? Me frumentum flagitabant. Quasi vero ego aut rei frumentariæ præfuissem, aut compressum aliquod frumentum tenerem, aut in isto genere omnino quidquam, aut curatione, aut potestate valuissem. Sed homo ad cædem imminens, meum nomen operis[4] ediderat, imperitis injecerat.

Quum de mea dignitate in templo Jovis optimi maximi senatus frequentissimus, uno isto[5] dissentiente, decrevisset; subito, illo ipso die, carissimam annonam nec opinata vilitas consequuta est. Erant, qui deos immortales, id quod ego sentio, numine suo reditum meum dicerent comprobasse. Nonnulli autem[6] illam rem ad illam rationem conjecturamque revocabant, qui, quod in meo reditu spes otii et concordiæ sita videbatur, in discessu autem quotidianus seditionis timor, jam pæne belli depulso metu, commutatam annonam dicebant : quæ quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cujus adventu fore vilitatem boni viri dictitarant[7], annona flagitabatur.

VII. Ego denique non solum ab operis tuis, impulsu tuo, nominabar, sed etiam, depulsis ac dissipatis tuis copiis, a populo romano universo, qui tum in Capitolium convenerat, quum illo die minus valerem[1], nominatim in senatum vocabar. Veni exspecta-

2. *Puerorum illa concursatio.* Apposita puerorum multitudo fuerat, qui de caritate quiritarentur, et Ciceroni invidiam crearent.

3. Alii, « nocturna? num a te i. » J. V. L.

4. *Meum nomen operis.* Conductis ad cædem tamquam operariis. Ediderat autem, quia tanta undique multitudo ad comitia et legem de Cicerone revocando jubendam confluxerat, ut annona multo gravior facta sit.

5. *Uno isto dissentiente.* P. Clodio.

6. *Nonnulli autem.* Erant alii qui ita rem interpretabantur; nempe quum ex reditu meo penderet pacis et concordiæ spes, in discessu autem quotidianus metus versaretur, viliore pretio vendendam annonam.

7. Alii, *dictitabant.*

VII. 1. *Minus valerem.* Quamvis ægrotarem.

tus. Multis sententiis jam dictis, rogatus sum sententiam. Dixi reipublicæ saluberrimam, mihi necessariam. Petebatur a me frumenti copia, annonæ vilitas; quasi possem[2] aliquid in ea re gerenda : non[3] habebatur. Flagitabar bonorum expostulatione ; improborum convicia[4] sustinere non poteram. Delegavi amico locupletiori[5], non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem[6] (succubuissem enim potius ipse), sed quia videbam id, quod omnes : quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide, consilio, virtute, auctoritate, felicitate denique sua facillime perfecturum.

Itaque, sive hunc dii immortales fructum mei reditus populo romano tribuunt, ut, quemadmodum discessu meo frugum inopia, fames, vastitas, cædes, incendia, rapinæ, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia fuisset; sic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, spes otii, tranquillitas animorum, judicia, leges, concordia populi, senatus auctoritas, mecum simul reducta videantur : sive egomet aliquid adventu meo, consilio, auctoritate, diligentia, pro tanto beneficio populi romani[7] præstare debui : præ-

2. Grævius conj. ex quorumdam MSS vestigiis, « num poss. al. in ea re gerenda, ratio non habebatur ». Quod Lall. in textum recepit. J.V.L.

3. *Non habebatur.* Nihil aderat, nihil suppetebat frumenti. Quod sic explicari satius est, quam temere codicum injussu verba mutare.

4. *Convicia.* Clamores annonam flagitantium. Phædrus : « Convicio permotus Juppiter », h. e. clamore ranarum.

5. *Amico locupletiori.* Cn. Pompeius: et alludit ad verbum juris; nam *delegare* dicuntur debitores, qui præsentem pecuniam non habent, quum alium debitorem quemdam suum a pecunia paratiorem creditori suo assignant.

6. *Onus illud imponerem.* Provinciam illam frumentariam.

7. *Populi romani.* Ediderant jampridem « populo romano » Naug. Camerar. Manut. Car. Steph. quos, et Grævium sequuti optime sunt Olivet. et Lallem. Ita etiam diserte cod. Barb. neque aliter explicandæ sunt notæ usitatæ P. R. quæ in antiquis Venetis conspiciuntur : quas nescio an habeant cæteri libri Græviani, an vero

sto, promitto, spondeo. Nihil dico amplius : hoc, quod satis est huic tempori, dico, rempublicam annonæ nomine in id discrimen, quo vocabatur, non esse venturam.

VIII. Num igitur in hoc officio, quod fuit præcipue meum, sententia mea reprehenditur ? Rem maximam eripui e peste [1] summi periculi, non solum eam, sed etiam vos a cæde, incendiis, vastitate [2] : nemo negat; quum ad causam caritatis accederet iste speculator communium miseriarum, qui semper in reipublicæ malis sceleris sui faces inflammarit [3].

Negat oportuisse quidquam uni extra ordinem decerni. Non jam tibi sic respondebo, ut ceteris : Cn. Pompeio plurima, periculosissima, maxima, terra marique bella extra ordinem esse commissa; quarum rerum si quem pœniteat, eum victoriæ populi romani pœnitere : non ita tecum ago. Cum his hæc a me haberi oratio potest, qui ita disputant, se, si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum; sed se extra ordinem nihil cuiquam [4] dare; quum Pompeio datum sit, id se, pro dignitate hominis, ornare ac tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeii triumphis; quibus ille, quum esset extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi romani, imperiumque honestavit : constantiam [5] probo, qua mihi quoque

minus recte, « populi romani », quod in Lambinianis primum vidi, et Gruterus, MSS suis, ut puto, non adhibitis, adoptavit, et Verburgio tradidit pedisequo suo.

VIII. 1. Lamb. Grut. *a peste*.

2. *Vastitate*. Quum ex hac annonæ caritate occasionem arrepturi essent seditiosi turbandæ reipublicæ.

3. Alii mallent *inflammavit*, et Wolf. ita censet mutandum, si quid mutandum est. J. V. L.

4. *Extra ordinem nihil cuiquam dare*. Quibus verbis opinionem hanc, quæ per se satis reipublicæ favebat, Cicero impugnaverit, vide in Maniliana passim.

5. *Constantiam*. Quod semper eam-

utendum fuit[6], quo ille auctore[7] extra ordinem bellum cum Mithridate Tigraneque gessit.

Sed cum illis tamen possum aliquid[8] disputare? tua vero quæ tanta impudentia est, ut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui quum lege nefaria Ptolemæum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem jure[9] regnantem, causa incognita, publicasses[10], populumque romanum scelere obligasses; quum in ejus regnum, bona, fortunas, latrocinium[11] hujus imperii immisisses, cujus cum patre, avo, majoribus societas nobis et amicitia fuisset: hujus pecuniæ deportandæ, et, si quis[12] suum defenderet, bello gerendo M. Catonem præfecisti. Dices, quem virum? sanctissimum, prudentissimum, fortissimum, amicissimum reipublicæ, virtute, consilio, ratione vitæ[13], mirabili ad laudem, et prope singulari.

dem sequuntur viam; quod sibi constant.

6. *Qua mihi quoque utendum fuit.* Tum enim Lucullum, et alios complures Pompeii obtrectatores habuit.

7. *Quo ille auctore.* Quum enim lex Manilia de bello Mithridatico ferretur, Cicero eam suasit. Hi proprie « auctores legum » dicebantur, et exstat oratio. — Male Manilium auctorem legis vocat Lambinus; ille fuit legis istius lator, Cicero vero auctor, qui suasit. Sic enim dicebantur, qui legem suadebant promulgatam populo. Cic. de Legg. III : « Itaque illi rationi neque lator quisquam inventus est, nec auctor umquam bonus ». Sueton. Cæs. 16 : « Cæcilio Metello trib. plebis turbulentissimas leges adversus collegarum intercessiones ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit ».

8. *Cum illis tamen possum aliquid disputare.* Cum iis, qui probabiles et speciosas quasdam rationes afferunt, disputare possum : Clodii vero impudentiam ferre non possum.

9. *Eodem jure.* Hereditario, ex paterna successione; socius autem a senatu nondum erat appellatus.

10. *Publicasses.* Clodius legem tulerat, ut Cypri regnum, universaque gaza regia publicaretur : in Sext. et apud Dion. lib. XXXVIII.

11. *Latrocinium.* Scelus illud quod imperii rom. nomine commisit Clodius contra jus et fas socii regis bonis occupatis, vere fuit latrocinium, neque durius videtur verbum, quum in auctorem legis contra Ptolemæum omne recidat. Gruterus habet *patrocinium*, quod absurdum est.

12. *Si quis.* Olim « si quis jus suum », quod retineri poterat. Frustra Lambin. legit *si is.*

13. Alii, « ratione, vita ».

Sed quid ad te, qui negas esse verum, quemquam ulli reipublicæ extra ordinem præfici?

IX. Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam, qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras[1], sed pro tuo scelere subduxeras[2]; quem tuis Sergiis, Lolliis, Titiis, ceterisque cædis et incendiorum ducibus objeceras; quem carnificem civium[3], quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuisse dixeras : ad hunc, honorem et imperium extra ordinem nominatim rogatione tua detulisti; et tanta fuisti intemperantia, ut illius tui sceleris rationem occultare non posses.

Literas in concione recitasti, quas tibi a C. Cæsare missas diceres : CÆSAR PULCHRO; quum etiam es argumentatus, amoris esse hoc signum, quum nominibus[4] tantum uteretur, neque adscriberet, PROCONSUL, aut TRIBUNO PLEBIS : deinde gratulari tibi, quod idem in posterum[5] M. Catonem tribunatu tuo removisses, et quod idem[6] in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses. Quas aut numquam tibi

IX. 1. *Produxeras.* Non Catonem propter virtutem evexeras, sed quam scelestus es, Roma amoveras. Sic pro Sext. « Non illi ornandum M. Catonem, sed relegandum; nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt, etc. »

2. Ernest. plene interpungit post *subduxeras*.

3. *Carnificem civium.* Significat ejus sententiam in senatu de necandis Catilinariis dictam.

4. *Nominibus.* Abusive pro *cognominibus.* — Omnino recte P. Victorius hoc loco utitur ad firmandam inscriptionem epistolæ 19, lib. V, ad Div. quam libri veteres exhibent, *Cicero Rufo.* Hoc idem amoris signum in epistolis ad Atticum obvium est, *Cicero Attico.*

5. *Quod idem in posterum M. Catonem.* Illud, « idem in posterum » irreptitium arbitratur Gulielmius, ex membro statim sequenti, ubi præterea cuperet legi, « et quod eidem in posterum ».

6. *Quod idem.* Cæsar Clodio gratulabatur, quod ablegato Catoni copiam ademisset de extraordinariis potestatibus loquendi, quum et ipse unam ex iis accepisset. Gulielmius cum Ursino mallet *eidem*, quod præstat.

ille literas misit; aut, si misit, in concione recitari noluit; aut, sive ille misit, sive tu finxisti, certe consilium[7] tuum de Catonis honore illarum literarum recitatione patefactum est.

Sed omitto Catonem, cujus eximia virtus, dignitas, et in eo negotio, quod gessit, fides et continentia, tegere videntur improbitatem et legis, et actionis tuæ. Quid[8]? homini[9] post homines natos turpissimo, sceleratissimo, contaminatissimo, quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatissimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Cæsaris rebus actis[10], quis imperium infinitum dedit? Cui quidem quum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem, et Ciliciam ad prætorem item extra ordinem transtulisti : Gabinio, pretio amplifi-

7. *Consilium.* De Catone per honoris speciem relegando.

8. Alii, « Quis provinciam homini ». J. V. L.

9. *Homini.* Gabinium significat.

10. *Ex Cæsaris rebus actis.* Doctissimus quisque h. l. integriores libros optaret. Conjicit Grævius pecuniam significari decretam Cæsari ad res in Gallia gerendas, per Clodium ereptam ad ornandam Gabinii provinciam. Melior Garatonii sententia, quam recitabimus. Legendum esse arbitror, « ereptam vi Cæsaris rebus actis », ut habent ambæ Ven. et cod. Barb. sine præp. *ex*, qua carent etiam duo codices a Grævio laudati : ut « rebus actis » dandi casu accipiamus, eodemque sensu dicatur, quo III in Verr. 15 : « L. Sullæ omnes res gestas non solum obtinemus, etc. » Quemadmodum enim « res gestæ » Sullæ sunt, quas ille in dictatura pro rep. constituenda sanxerat, egerat, instituerat; ita hic *res actæ Cæsaris* illæ sunt, quas Cæsar in consulatu, Crasso et Pompeio adjutoribus, publica auctoritate constituit. Quæ quum plurimæ novæque fuerint, inter eas celebris in primis agraria lex est, magnam partem antea a Cicerone cos. in Rullo impugnata. Hac ex lege pecunia erat non mediocris in ærarium illata, qua erant porro agri eadem ex lege populo comparandi. Quum itaque hanc pecuniam Clodius per vim abstulisset, eam dicit Tullius « ereptam Cæsaris rebus actis », quod a Cæsaris assignatione aversa fuerat, atque ita perfectum erat, ne « res actæ » illius obtinerent, atque ut constituto exitu nefarie defraudarentur. Si quid aliud esset delendum, non vocem *rebus* cum Grævio, sed contra alteram *actis* tantummodo retinere oporteret. Sæpius enim *acta* eo sensu, quem proposui, dicit Tullius, ut Philipp. I, 7; pro Sext. 64, etc. Sed *acta* et *res actæ* nihil omnino differunt. Adde infra cap. 15.

cato, Syriam nominatim dedisti [11]. Quid? homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni, nonne nominatim populos liberos, multis senatusconsultis, etiam recenti lege generi [12] ipsius liberatos, vinctos et constrictos tradidisti? Nonne, quum ab eo merces tui beneficii, pretiumque provinciæ, meo sanguine tibi esset persolutum, tamen ærarium cum eo partitus es?

Itane vero? tu provincias consulares, quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, decreta lege [13] sanxit, eas, lege Sempronia per senatum decretas, rescidisti [14]? extra ordinem, sine sorte, nominatim dedisti, non consulibus, sed reipublicæ pestibus? Nos, quod nominatim rei maximæ, pæne jam desperatæ, summum virum, sæpe ad extrema reipublicæ discrimina delectum, præfecimus, a te reprehendemur?

11. *Gabinio, pretio amplificato. Syriam nominatim dedisti.* Dubium oritur, amplificatio pretii referaturne ad Gabinium, an ad Clodium: sunt enim qui velint, majus a Gabinio pretium pro Syria datum significari, quam dederat antea pro Cilicia. Sed constat ex pluribus locis, provincias consulibus lege Clodii adsignatas proditi Ciceronis pretium fuisse. Sic paullo post de L. Pisone Gabinii collega: « nonne quum ab eo merces tui beneficii, etc. » Idem porro de Gabinio sentiendum, et utrique pretium amplificatum est: Gabinio quidem commutata provincia, Pisoni vero addita ex ærario pecunia: quum antea deserti Ciceronis mercedem pactus esset Ciliciam tantummodo, et Macedoniam. Hinc de Prov. Consul. 2: « Syria, et Macedonia, quas, vobis invitis, et oppressis, pestiferi illi consules pro eversæ reipublicæ præmiis occupaverunt ». Nam Gabinius post ejectum Ciceronem nihil pro Clodio fecisse videtur, pro amplificando provinciæ pretio: quin etiam postremo in gratiam Pompeii vehementer illum oppugnavit. Si vero attendatur latini sermonis proprietas, quælibet alia interpretatio rejicienda est.

12. *Recenti lege soceri ipsius.* Lambinus *generi*, ex conjectura Passeratii, sed non respondentibus MSS.

13. *Decreta lege.* Sempronia de provinciis, de qua vide orat. de Provv. Conss. cap. 2.

14. *Rescidisti.* Durius videtur Cic. rescissas fuisse provincias dixisse. Placet cum Grævio ex nonnullis codd. corrigere « eas leges Sempronias tu rescidisti », unde planus eruitur sensus.

X. Quid tandem? si, quæ tum illis reipublicæ tenebris, cæcisque nubibus et procellis, quum senatum a gubernaculis dejecisses, populum e navi exturbasses; ipse archipirata cum grege prædonum impurissimo plenissimis velis navigares; si, quæ tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perferre potuisses, qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis fascibus atque imperio Clodiano fuisset? Sed excitatus aliquando Cn. Pompeii (dicam ipso audiente, quod sensi, et sentio, quoquo animo me auditurus est), excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeii nimium diu reconditus, et penitus abstrusus animi dolor, subvenit subito reipublicæ, civitatemque fractam malis, mutam[1], debilitatam, abjectam metu, ad aliquam spem libertatis et pristinæ dignitatis erexit. Hic vir extra ordinem rei frumentariæ præficiendus non fuit? Scilicet tu helluoni spurcissimo[2], prægustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo, Sext. Clodio, socio tui sanguinis[3], qui sua lingua[4] etiam sororem tuam a te abalienavit[5], omne frumentum privatum et publicum, omnes provincias frumentarias, omnes mancipes[6], omnes horreorum claves lege tua[7] tradidisti. Qua ex re primum caritas

X. 1. *Mutam.* Alii emendant *mutilam, mutatam*, etc. Nec absurde dicitur «muta civitas», quæ oppressa tenebatur, et libertatem amiserat. «Mutum, atque exanimatum metu», dici vidimus in Verr. II, 77. Sed huic loco similis est ille post Red. in Sen. 3, quo vulgata hic mihi videtur egregie defendi: «Mutum forum, elinguem curiam, tacitam, et fractam civitatem videbatis».

2. *Helluoni spurcissimo, prægustatori libidinum*, etc. Non dubium est, quin eam fœditatem significet, quam et mox, et aliquanto post notabit.

3. *Socio tui sanguinis.* Qui tibi socius esset in turpi consuetudine sororis tuæ. Alii corrigebant *facinoris*, male.

4. *Sua lingua.* Perstringitur fœdissima Clodii istius libido.

5. *Abalienavit.* Effecit, ut ea magis ipsum diligeret, quam te.

6. *Mancipes.* Publicanorum principes, qui publica periculo suo redimebant.

7. *Lege tua.* Nimirum hæc fuit illa lex, quam tulit P. Clodius tribunus

nata est, deinde inopia; impendebat fames, incendia, cædes, direptio; imminebat tuus furor omnium fortunis et bonis.

Queritur etiam importuna pestis, ex ore impurissimo Sext. Clodii rem frumentariam[8] esse ereptam, summisque in periculis, ejus viri auxilium implorasse rempublicam, a quo sæpe se et servatam, et amplificatam esse meminisset. Extra ordinem ferri nihil placet Clodio. Quid? de me quod tulisse te dicis, patricida, fratricida, sororicida, nonne extra ordinem tulisti? An de peste civis, quemadmodum omnes jam dii atque homines judicarunt, conservatoris reipublicæ, quemadmodum autem tute ipse confiteris, non modo indemnati, sed ne accusati quidem, licuit tibi ferre, non legem, sed nefarium privilegium[9], lugente senatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis, oppressa captaque republica? mihi, populo romano implorante, senatu poscente, temporibus reipublicæ flagitantibus, non licuit de salute populi romani sententiam dicere? Qua quidem in sententia[10], si Cn. Pompei dignitas aucta est, conjuncta

plebis, ut frumentum populo, quod antea senis æris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur, et Sex. Clodio frumentaria procuratio mandaretur. Vide Ascon. in Pisonem.

8. *Rem frumentariam*. Conf. Asconium in Pison. cap. 4, et Dionem, XXXVIII, 13.

9. *Privilegium*. Contra XII tab. et sacratas leges.

10. *Qua quidem in sententia*. Cod. Barberinus ita hunc locum exhibet: « Qua quidem in sententia sic Cn. Pompeii dignitas aucta est, ut conjuncta sit cum utilitate communi. Desinant, etc. » Sed binæ illæ voculæ, *ut*, *sit*, quibus ceteri libri carent, superadditæ fuerunt in eo cod. antiqua manu, ad sententiam nimirum, quæ manca erat, explendam. Cetera non pauca, quæ ibidem desunt, ne in suis quidem libris invenit Grævius, ut in V. L. testatur: quæ tamen optima sunt, et melius ad sententiam terminandam adsciscuntur, quam quæ codex noster adhibet, non in editione Mediol. primum, ut monuit Grævius, verum antea, ut ego testificor, in utraque Veneta, 1490, 1498. Unde autem Lambinus maluerit, « conjuncta utilitate communi », me fateor ignorare. Nulla erat causa præpositionis

cum utilitate communi, certe laudandus essem, si ejus dignitati suffragatus viderer, qui meæ saluti opem et auxilium tulisset.

XI. Desinant, desinant homines, iisdem[1] machinis, sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiæ consularis[2] fuit umquam in hac civitate conjunctius, quam fuimus inter nos, ego et Cn. Pompeius? quis apud populum romanum de illius dignitate[3] industrius, quis senatui sæpius dixit? qui tantus fuit labor, quæ simultas, quæ contentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quæ prædicatio de mea laude, quæ remuneratio benivolentiæ prætermissa est? Hanc nostram conjunctionem, hanc conspirationem in republica bene gerenda, hanc jucundissimam vitæ atque officiorum omnium societatem, certi homines fictis sermonibus et falsis criminibus diremerunt: quum iidem illum, ut me metueret, me caveret, monerent; iidem apud me, mihi illum esse uni inimicissimum, dicerent: ut neque ego, ab illo quæ mihi petenda essent, satis audaciter petere possem; neque ille, tot suspicionibus certorum hominum et scelere exulceratus, quæ meum

rejiciendæ, quam omnes mihi noti libri tuentur: sive illa placeret Lambino forma: quam ego ipse defendi ad cap. 5 pro Cluent. sive *conjuncta* nollet ad *dignitas* referre, verum potius ad sequentem vocem *utilitate*.

XI. 1. *Iisdem mach.* Serendis inter me et Pompeium inimicitiis, excitandis apud illum suspicionibus. Satis enim constat, Ciceronem a Pompeio desertum fuisse.

2. *Consularis.* Abest a multis codd.

3. *De illius dignitate industrius.* P. Manutius ac Lambinus *illustrius*, sed non suffragantur editi scriptive. Testatus est ad marg. Lambinus, in suis MSS se legisse *inlustrius*, quod minimum profecto distat a vulgata, ut vidit Manutius, qui non immerito curis posterioribus illud probavit, quum antea, ceteris omnibus libris aliorum suffragantibus, dedisset *industrius.* Anonymus quidam apud Oliv. hunc locum explicari ait ex illis de Pompeio Tullianis verbis ad Att. II, 21: « Hunc semper in laude versatum, circumfluentem gloria... omnibus a me pictum, et politum artis coloribus ».

tempus postularet[4], satis prolixe mihi polliceretur. Data merces est erroris mei magna, pontifices, ut me non solum pigeat stultitiæ meæ, sed etiam pudeat: qui, quum me non repentinum aliquod meum tempus, sed veteres multo ante suscepti et provisi labores, cum viro fortissimo et clarissimo conjunxissent, sim passus[5] a tali amicitia distrahi; neque intellexerim, quibus aut ut apertis inimicis obsisterem, aut ut insidiosis amicis non crederem. Proinde desinant aliquandò me iisdem inflammare[6] verbis: Quid sibi iste[7] vult? nescit, quantum auctoritate valeat, quas res gesserit, qua dignitate sit restitutus? Cur ornat eum, a quo desertus est?

Ego vero neque me tum desertum puto, sed[8] pæne deditum; nec, quæ sint in illa reipublicæ flammâ gesta contra me, neque quomodo, neque per quos, patefaciendum mihi esse arbitror. Si utile reipublicæ fuit[9], haurire me unum pro omnibus illam indignissimam calamitatem, etiam hoc utile sit, quorum id scelere conflatum sit, me occultare et tacere. Illud vero est hominis ingrati tacere (itaque libentissime prædicabo[10]), Cn. Pompeium studio et auctoritate, æque ut unumquemque vestrum, opibus, conten-

4. *Meum tempus.* Pompeius non eodem studio ea Ciceroni pollicebatur, quæ ad ejus utilitates pertinebant.

5. *Sim passus.* Fictis sermonibus et falsis criminationibus.

6. *Inflammare.* Lambin. e codice Memm. *inflare.* J. V. L.

7. *Quid sibi iste vult?* Cur tantopere Pompeium ornat? quid spectat?

8. Al. cod. *pœnæ.* Ursinus mallet *plane.* Wolf. respuit. J. V. L.

9. *Si utile reipublicæ fuit.* Propter novorum motuum formidinem.—Servandæ reipublicæ causa nonnunquam mala sunt ferenda, et pacis victimæ etiam insontes sunt cædendæ, si nimirum servari aliter respublica non potest, aut bellum internecivum aliter nequit averti: de qua re plura diximus ad lib. III de Offic.

10. *Itaque libentissime prædicabo.* Hæc male in editis plerisque interpunguntur, quæ rectius Herv. et Man. parenthesi incluserunt. Naug. « tacere: itaque lib. prædicabo. Cn. Pomp. » Edit. 1483, « tacere itaque lib. prædicabo Cn. Pompeium, etc. » Hi etiam rectius, quam plerique.

tione, precibus, periculis denique, præcipue pro salute mea laborasse.

XII. Hic tuis, P. Lentule, quum tu nihil aliud, dies et noctes, nisi de salute mea cogitares, consiliis omnibus interfuit; hic tibi gravissimus auctor ad instituendam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adjutor ad rem perficiendam fuit; hic municipia coloniasque adiit; hic Italiæ totius auxilium cupientis imploravit; hic in senatu princeps sententiæ fuit; idemque quum dixisset [1], tum etiam pro salute mea populum romanum obsecravit. Quare istam orationem, qua es usus, omittas licet : post illam sententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos esse mutatos : perinde, quasi isti aut de Cn. Pompeio aliter, atque ego existimo, sentiant; aut, quid mihi pro exspectatione populi romani, pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent; aut etiam, si cujus forte pontificis animum, quod certo scio aliter esse, mea sententia offendit, alio modo sit constiturus, aut de religione pontificum [2], aut de republica, quam eum aut cærimoniarum jus, aut civitatis salus coegerit.

Intelligo, pontifices, me plura extra causam dixisse, quam aut opinio tulerat [3], aut voluntas mea : sed quum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam. Sed hoc compensabo brevitate ejus orationis, quæ

XII. 1. *Quum dixisset.* Quum perorasset. Videtur deesse « in senatu », vel « in concione », ut conjecit Lallem. Conf. p. Red. in Sen. cap. 11.

2. *Pontificum, aut de republica, quam eum*, etc. Locus minime integer; nam editio vetus et Pall. « pontificis, aut de republica cujusquam » : neque aliter S. Victor. quam quod is *pontifices*, quod etiam in nono : adeo ut videatur rescribendum cum Guilielmio, « aut de religione pontifex, aut de republica civis » : sententia simillima illi, quam initio statim libri posuit.

3. Alii, *tulerit*.

pertinet ad ipsam cognitionem vestram[4]: quæ quum sit in jus religionis, et in jus reipublicæ distributa, religionis partem, quæ multo est verbosior, prætermittens, de jure reipublicæ dicam. Quid est enim aut tam arrogans, quàm de religione, de rebus divinis, cærimoniis, sacris, pontificum collegium docere conari? aut tam stultum, quam, si quis quid in vestris libris invenerit, id narrare vobis; aut tam curiosum, quam ea scire velle, de quibus majores nostri vos solos et consuli, et scire voluerunt?

XIII. Nego potuisse jure publico[1], legibus iis, quibus hæc civitas utitur, quemquam civem ulla ejusmodi calamitate affici, sine judicio: hoc juris[2] in hac civitate, etiam tum, quum reges essent, dico fuisse; hoc nobis esse a majoribus traditum; hoc esse denique proprium liberæ civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis, sine judicio senatus[3], aut populi[4], aut eorum, qui de quaque re[5] constituti judices sint, detrahi possit. Vidcsne, me[6] non radicitus evellere om-

4. *Ad ipsam cognitionem vestram.* Lamb. ex MSS, « ad causam cognitionemque vestram ». Optimæ lectiones, quæ in aliquibus etiam Grut. libris quin possint reperiri non dubito, si quis eos diligentius excusserit. Infra idem Lamb. ex suis itidem MSS pro voce *prætermittens*, quam omnes tamen alii libri servant, reposuit recte, *prætermittam.*

XIII. 1. *Jure publico.* Jus publicum hic non est jus, quod pertinet ad civitatis statum, sed ad omnes cives, jus commune: ut apud Sueton. in Octaviano, c. 10: « Ne publicum quidem et translatitium jus ulla in re sibi, sine pactione gravissimæ mercedis impertiente »: nimir. Antonio; et in Tib. 50: « Et peculio concesso a patre, præbitisque annuis fraudavit, per speciem publici juris, quod nihil de his Augustus testamento cavisset ». Vid. Suet. nost. ed. t. I, p. 171. En.

2. *Hoc juris in hac civitate etiam tum, quum reges essent.* Vide de Horatii judicio, qui sororem occiderat, Livium et Dionysium Halicarnasseum.

3. *Senatus.* Qui quæstiones constituebat.

4. *Aut populi.* Tantum in crimine perduellionis.

5. *De quaque re.* Tam de privata, quam de criminibus, constitutis quæstionibus, quas exercebant prætores, qui hujus illiusve criminis quæstionem sortitus erat.

6. *Vidcsne, me.* De jure publico Cicero disceptaturus, præter alia

nes actiones tuas? neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse jure, non fuisse tribunum plebis? Hoc dico, esse patricium [7]. Dico apud pontifices : augures adsunt : versor in medio jure publico. Quod est, pontifices, jus adoptionis? Nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, et, quum potuerit, sit expertus. Quæ deinde causa cuique sit adoptionis, quæ ratio generum [8] ac dignitatis, quæ sacrorum, quæri a pontificum collegio solet. Quid est horum in ista adoptione quæsitum? Adoptat annos viginti natus, etiam minor, senatorem. Liberorumne causa? At procreare potest; habet uxorem; suscepit [9] etiam liberos. Exheredabit [10] igitur pater filium.

Quid? sacra Clodiæ gentis cur intereunt [11], quod in te est? quæ omnis notio pontificum, quum adopta-

multa, duo potissimum argumenta pertractat : alterum desumptum ex eo, quod nulla fuisset adoptio Clodii: alterum, quod per vim et contra leges de suo exsilio, deque suæ domus eversione tulisset. Antequam accedit ad singula, universalem propositionem præmittit, ut semper solet, et simul rem utramque complectitur : « Nego potuisse jure publico... quemquam civem ulla ejusmodi calamitate affici sine judicio ». Hoc illud est, de quo agit secundo loco: de me tulisti contra leges, et sine judicio ejectus sum. Quum autem prima pars de adoptione haberet aliquid invidiæ, quia nolebant optimates acta Clodii rescindi, eam attingit orator ingeniose per figuram præteritionis : « Vides, me non radicitus evellere omnes actiones tuas? neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse jure, non fuisse tribunum plebis? Non id ago, ut eo tantum nomine mihi meam domum restituendam esse contendam, quod neque jure adoptatus fueris, neque jure tribunus pl. neque quidquam jure gesseris. Hac de re quoque disseram: at non illud mihi unum, aut præcipuum argumentum est.

7. Alii, *parricidium;* sed male.

8. *Quæ ratio generum*. A. Gellius, V, cap. 19. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur : nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ curiata appellantur.

9. Groter. et Garaton. e duobus MSS, non sine aliqua veri specie corrigunt, « suscipiet ex ea liberos ». J. V. L.

10. Codd. nonnulli, *Exheredavit*. J. V. L.

11. *Cur intereunt*. Sacra patriciæ gentis propria ab homine nunc plebeio facto, retineri non poterant.

rere, esse debuit. Nisi forte ex te ita quæsitum est, num perturbare rempublicam seditionibus velles, et ob eam causam adoptari, non ut filius [12] esses, sed ut tribunus plebis fieres, et funditus everteres civitatem. Respondisti, credo, te ita velle. Pontificibus bona causa visa est : approbaverunt. Non ætas ejus, qui adoptabat, quæsita est, ut in Cn. Aufidio, M. [13] Pupio : quorum uterque nostra memoria, summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem adoptavit. Quas adoptiones, sicut alias innumerabiles, hereditates [14] nominis, pecuniæ, sacrorum sequutæ sunt. Tu neque Fonteius es, qui esse debebas; neque patris heres [15]; neque, amissis sacris paternis, in hæc adoptiva venisti. Ita perturbatis sacris, contaminatis gentibus, et quam deseruisti, et quam polluisti, jure Quiritium legitimo tutelarum et hereditatum relicto, factus es ejus filius contra fas, cujus per ætatem pater esse potuisti.

XIV. Dico apud pontifices. Nego, istam adoptionem pontificio jure esse factam : primum, quod hæ vestræ sunt [1] ætates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem esse potuerit, vel eo, quo fuit; deinde quod causa quæri solet [2] adoptandi, ut et is

12. Beck. addidit *ejus* e cod. Pal. 9 et Victor. Schütz. imitatus est. J.V.L.

13. *M. Puppio.* Legendum *M. Pupio* ex veterum lapidum auctoritate : itaque Piso, qui a M. Pupio adoptatus fuit, in antiquis monumentis M. PVPIVS. M. F. PISO. FRVGI describitur.

14. *Hereditates nominis.* Triplex adoptionis jus notat ; qui enim adoptabatur, adoptivi patris prænomen, nomen et cognomen sic assumebat, ut suum dumtaxat nomen, idque inflexum atque immutatum retineret: ut apud Dion. lib. XL et XLVI.

15. *Neque patris heres.* Quum jam emancipatus et propterea exheredatus sis. Cogitandum tamen, ecquid potius *partis* sit legendum, ut veteres dicebant *participem*. Terent. « Donec salvos redierit meus particeps ». Et Verr. III : « Quibuscum vivi bona nostra partimur, partis heres », id est, particeps, suus heres; nam *pars* ad patrem refertur, non ad fratres.

XIV. 1. Alii, *sint*. Post Grævius, « qui te adoptavit patris loco ». Lallem. Garaton. Wolf. assentiuntur. J. V. L.

2. Alii, *soleat*.

adoptet, qui, quod natura jam assequi non potest, et legitimo, et pontificio jure quærat; et ita adoptet, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de sacrorum religione minuatur: illud in primis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur; ut hæc simulata adoptio filii[3] quam maxime veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur. Quæ major calumnia est, quam venire imberbem[4] adolescentulum, bene valentem, ac maritum; dicere, filium senatorem populi romani sibi velle adoptare; id autem scire et videre omnes, non ut ille filius instituatur, sed ut e patriciis exeat, et tribunus plebis fieri possit, idcirco adoptari? Neque id obscure: nam adoptatum emancipari statim[5], ne sit ejus filius, qui adoptarit. Cur ergo adoptatur? Probate genus adoptionis: jam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis; patricius nemo relinquetur. Cur enim quisquam velit, tribunum ple-

3. *Ut hæc simulata adoptio filii.* Pantagathus legebat *adeptio* pro *adoptio:* quæ lectio si minus vera sit, ingeniosam esse nemo negabit. — Habet etiam Barb. *adoptatio.* Si de Clodii adoptione ageretur, apertum esset, quid sibi hæc « simulata adoptio » vellet: sic etiam diserte appellatur adoptio per calumniam fraudemque facta in SC. apud Tacit. Annal. XV, 19. Sed hoc minime convenit generatim de adoptione loquenti: neque illud item, ut ficta et falsa dicatur adoptio: quæ duo tamen ut animo statim obversentur, ista facit profecto locutio. Restat igitur, ut si vulgatam retinere oporteat, verbum *simulata* putemus, licet passiva sit forma, activa tamen significatione positum, ex iis, quæ jampridem docuit Vossius, de Anal. IV, 13; Perizon. ad Sanct. Minerv. I, 15, et post alios Drak. ad Liv. IV, 24. Ita intelligenda esset « adoptio simulans ». Verum et istud videtur mihi hoc loco duriusculum, et activa simulandi significatio inest sequentibus, « veritatem..... imitata », ut apud Auson. in Cæsar. XIII, 3: « imitatur adoptio prolem ».

4. Alii, *imberbum.*

5. *Emancipari statim.* Quæ est illa temeritas et audacia, senatorem populi romani ab adolescentulo adoptari, et ita adoptari, non ut filii loco sit, sed tantummodo ut e patricio ordine exeat, et jam plebis tribunus fieri possit? Quod et ipse probavit, quum statim ut est adoptatus, se emancipari curaverit, ne penes eum esset qui adoptavit.

bis[6] se fieri non licere? angustiorem[7] sibi esse petitionem consulatus? in sacerdotium quum possit venire, quia patricio non sit locus, non venire? Ut cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium, simili ratione adoptabitur. Ita populus romanus brevi tempore, neque regem sacrorum, neque flamines, nec salios[8] habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores[9] centuriatorum et curiatorum comitiorum; auspiciaque[10] populi romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, quum interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est. Dixi apud pontifices, istam adoptionem nullo decreto hujus collegii probatam, contra omne pontificium jus factam, pro nihilo esse habendam: qua sublata, intelligis, totum tribunatum tuum concidisse.

XV. Venio ad augures[1]: quorum ego libros, si

6. *Velit, tribunum plebis.* Alii, *vellet, tribunum plebis.*

7. *Cur enim quisquam vellet tribunum pl. se fieri non licere? angustiorem.* Hujus loci sententiam, quia obscuriorem plerisque videri scio, explicabo. Prius autem sciendum, plebeios binos consules fieri potuisse: patricios, non item, sed singulos tantum, et patricio non licuisse fieri tribunum; tum hoc supponendum, omnes homines utile sequi. His positis, Ciceronis sensus planus est; hoc enim significat: « Si tales adoptiones probabuntur, omnes volent ex patriciis fieri plebeii. Cur enim quisquam tam stultus esset, ut vellet manere patricius, et ita non sibi licere fieri tribunum, et angustiorem sibi locum circumscribi ad consulatum obtinendum, et sacerdotium opimum ac fructuosum amittere, quia sit patricius?

8. *Flamines, Salios.* Quos omnes e patriciis creari oportet.

9. *Neque auctores.* Qui probabant ea, quæ centuriatis curiatisque comitiis fiebant; quos ex antiquo more, quum senatus e solis patriciis constabat, patricios esse oportebat. Quod tamen jus magna ex parte, Ciceronis ætate, obsoleverat. Conf. J. F. Gron. Obss. I, 25.

10. *Auspiciaque.* Nam fieri potest, ut nulli creentur magistratus patricii, apud quos sunt auspicia: tunc, si nulli sunt patricii, a quibus, et ex quibus prodi possit interrex ad habenda comitia, interrex nullus erit, sed neque magistratus: nulla igitur auspicia.

XV. 1. *Venio ad augures.* Aderant profecto augures, ut cap. 13 testatus

qui sunt reconditi, non scrutor; non sum in exquirendo jure augurum curiosus. Hæc, quæ una cum populo didici, quæ sæpe in concionibus responsa sunt[2], novi. Negant fas esse agi cum populo, quum de cælo servatum sit[3]. Quo die de te lex curiata[4] lata

est Tullius. An vero et ipsi sententiam latori cum pontificibus? An plures ex iis augures simul erant et pontifices? Utrique enim interpretationi defensores non desunt: quum tamen alterum manifeste sit falsum, alterum verisimile non videatur. Equidem non ignoro, summos aliquando viros, qui dignitate et gratia plurimum possent, duobus saecerdotiis insignitos fuisse. Livius, XXX, 26, quum Q. Fabii Maximi mortem referret: « Augur, inquit, in locum ejus inauguratus Q. Fabius Maximus filius; in ejusdem locum pontifex (nam duo sacerdotia habuit) Ser. Sulpicius Galba ». Cæsar ipse, quum esset pontifex maximus, augur præterea fuit, ut ex Philipp. II, 33: « Obstrinxisti religione populum romanum, augur auguri, consul consuli obnuntiasti ». Antonius enim eos. et augur obnuntiaverat Cæsari consuli et auguri ad impediendа Dolabellæ comitia. Hoc tamen perquam raro factum crediderim in principibus viris, maxime antequam jus sacerdotum creandorum Domitia lege ad populum transferretur: ubi vero in ea quoque re habere locum cœpit ambitio, non arbitror ita multos de sua dignitate sæpius periculum facere voluisse, aut populum neglexisse de pluribus bene mereri. Cur Pompeius, Hortensius, alii multi augures erant, non etiam pontifices? Cur P. Clodius, homo popularis, Sibyllinus tantum sacerdos, non item vel augur, vel pontifex? Cur uno erant contenti sacerdotio ii, qui multum apud plebem gratia valebant, quique honores omnes, omniaque ambire solebant imperia? Dio narrat lib. XXXIX. P. Lentulum Spintheris filium, ut augur fieri posset, datum fuisse in adoptionem Manlio Torquato, quod ejusdem Corneliæ gentis augur esset Faustus Sulla. Quod si ejusdem gentis duo simul esse non poterant augures, licet ex diversis orti familiis: minus est probabile, unum, et eumdem duo eodem tempore habere sacerdotia potuisse. Augures videlicet aderant advocati Ciceronis, ideoque c. 6, de Har. Resp. « maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, » se pro domo sua dixisse testatur: quum viros principes, sibique amicissimos, advocatus haberet, maxime vero Cn. Pompeium, Q. Hortensium, C. Marcellum, P. Crassum, Faustum Sullam, quos omnes fuisse augures, ex veterum monumentis cognoscimus. Hos appellat, non tamquam judices, sed eorum testes, quæ dicturus esset. — De pontificibus ejusdem gentis, et loco Dionis consule celeb. Norisium Cenot. Pisan. II, 7.

2. *Quæ sæpe in concionibus responsa sunt.* Moris fuit, ut qui quid per auspicia improbare vellet, is augures, et eum, qui cum auguribus de cælo servarat, in concionem productos interrogaret, ecquid animadvertissent.

3. *De cælo servatum sit.* Fulmen aut tonitru erat observandum, ut

esse dicatur, audes negare de cælo esse servatum? Adest præsens vir singulari virtute, constantia, gravitate præditus, M. Bibulus. Hunc consulem illo ipso die contendo servasse de cælo. Infirma sunt [5] igitur, tua sententia [6], acta C. Cæsaris, viri fortissimi? Minime. Neque enim mea jam quidquam interest, exceptis his telis [7], quæ ex illius actionibus in meum corpus immissa sunt. Sed hæc de auspiciis, quæ ego nunc perbreviter attingo, acta sunt a te. Tu, tuo præcipitante jam, et debilitato tribunatu, auspiciorum [8] patronus subito exstitisti; tu M. Bibulum in concionem, tu augures produxisti. Te interrogante augures responderunt, quum de cælo servatum sit, cum populo agi non posse. Tibi M. Bibulus quærenti, se de cælo servasse, respondit; idemque in concione dixit, ab Appio, fratre tuo, productus, te omnino, quod contra auspicia adoptatus esses, tribunum plebis non fuisse. Tua denique omnis actio posterioribus mensibus fuit: omnia, quæ C. Cæsar egisset, quæ contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere; quod si fieret, dicebas, te tuis humeris me custodem urbis in urbem relaturum. Videte hominis amentiam, ubi [9]

comitia impedirentur, Vide Ind. Legg. ad legem Æliam, et de Div. II, 18.

4. *Lex curiata.* Julius Cæsar legem comitiis curiatis tulerat, ut Clodium a plebeio adoptari liceret. Sic de Provinc. consular. « Oblitine erant tum, quum ille, qui id egerat, plebeius est lege curiata factus, dici de cælo esse servatum? »

5. *Infirma sunt igitur.* Objectio Clodii, qua Ciceroni Cæsaris invidiam conciliat.

6. Abest *sententia* a libris vetuste cusis et pluribus MSS. Itaque videndum, monente Grutero, ne aliquid mendi lateat. J. V. L.

7. *Exceptis his telis.* Id est, quum jam exceperim, quum jam mihi imposita sint vulnera.

8. *Auspiciorum patronus.* Ut quæ Cæsar contra auspicia egisset, rescinderes. Hujus autem rei causam exponit in ea de Harusp. resp. quum senatus sese nimiæ Cæsaris potentiæ opponere cœpisset, tum Clodium subito se ei venditasse, et in concionibus leges Julias oppugnare cœpisse.

9. *Ubi.* Multis videtur mancus et

per suum tribunatum Cæsaris actis illigatus teneretur.

Si et sacrorum jure pontifices, et auspiciorum religione augures totum evertunt tribunatum tuum, quid quæris amplius? an etiam apertius aliquod jus populi atque legum?

XVI. Hora fortasse[1] sexta diei questus sum in judicio, quum C. Antonium, collegam meum, defenderem, quædam de republica, quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. Hæc homines improbi ad quosdam viros fortes[2] longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipso die, tu es adoptatus.

Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum[3] esse oportet, id in adoptione satis est, trium esse horarum, nihil reprehendo; sin eadem observanda sunt, si[4] decrevit senatus[5], M. Drusi legibus, quæ contra

mutilus locus, qui tamen Manutio interpretante, satis bene explicatur: summæ amentiæ fuit, Cæsaris acta rescindere conari, quoniam ipsius tribunatus in illius actis fuisset, illisque infirmatis nullus esset. *Ubi* eodem sensu ponitur quo « quum tamen », aut « qua in re ». Neque conjecturis aut mutatione opus, ut ipse agnoscit Wolfius. Cf. infra cap. 23.

XVI. 1. *Hora fortasse sexta diei*. *Fortasse* est, circiter, plus minus: nihil auctoribus vulgatius, et tamen ecce Lambinus, præter libros, emendat « Hora circiter sexta ».

2. *Ad quosdam viros fortes*. Suetonius in Julio: « Cicerone in judicio quodam deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus frustra jampridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona transduxit ».

3. *Trinum nundinum*. Ternæ nundinæ, quibus, quum cives ex agris mercaturæ causa, in urbem confluerent, lex in comitiis ferenda promulgabatur, ut eam etiam atque etiam considerare cives possent. Ternæ autem nundinæ cum diebus interjectis summam septemdecim dierum conficiunt, non, ut quidam putavere, septem et viginti. Confer indicem verborum ad hanc vocem.

4. Abest *si*.

5. *Decrevit senatus*. Si trinundinum, inquit, observandum est in lege curiata ferenda ad adoptionem, si statuit senatus Drusi leges non pro legibus esse habendas, quia contra legem Cæciliam et Didium, quæ trinundinum in legibus ferendis sanxerant, latæ erant, satis per te cognoscis, te tribunum non fuisse. Nam licet Drusi leges dicantur ab Asconio

legem Cæciliam et Didiam latæ essent, populum non teneri, jam[6] intelligis, omni genere juris, quod in sacris, quod in auspiciis, quod in legibus sit, te tribunum plebis non fuisse[7]. Atque ego hoc totum non sine causa relinquo. Video enim quosdam clarissimos viros, principes civitatis, aliquot locis judicasse, te cum plebe jure agere potuisse: qui etiam de me ipso, quum tua rogatione funere elatam rempublicam[8] esse dicerent, tamen id funus, etsi miserum atque acerbum fuisset, jure indictum esse dicebant; quod de me civi, ac de republica bene merito tulisses, funestum funus te indixisse reipublicæ; quod salvis auspiciis tulisses, jure egisse dicebant. Quare licebit, ut opinor, nobis, eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus constitutum tribunatum tuum comprobaverunt.

Fueris sane tribunus plebis tam jure ac[9] lege,

latæ fuisse contra auspicia, poterant tamen etiam latæ esse contra legem Cæciliam, et Didiam, non servato trinundino. — *M. Drusi legibus.* M. Livius Drusus tribunus pl. multas leges tulerat. Philippus cos. qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu, ut leges ejus omnes uno SC. tollerentur: decretum est enim contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. Hæc Pædianus in Cornel. Cic. de Legibus, II: « Quid leges non jure rogatas tollere? ut Tetiam decreto collegii, ut Livias consilio Philippi consulis et auguris? »

6. Alii, « teneri. Jam, etc. »

7. Alii, *fuisse?*

8. *Funere elatam remp.* Vocem *funere* adjectitiam putat Ernestus, quam nemo hactenus ab ullo libro vidit abesse: quum tamen eamdem tulerit de Orat. II, 56: « quum casu..... funere efferretur anus Junia »; ubi MSS plures facultatem ejus ejiciendæ dabant, in iis optimus Erlangensis. Pearcius hoc maxime loco illum defendit, adsentiente nuper viro doctissimo Hanlesio, quamvis necessariam ibi eam non esse vocem, verissime dicat: quod idem hic valet. Sed non his cancellis concludendus est Tullius. Verbum *efferre* natura sua patitur, ut absolute *funere* addatur. Hic autem vox *funere* non est, meo judicio, ad perspicuitatem prorsus inutilis.

9. *Ac lege.* Clodius non dicitur jure ac lege adoptatus, sed *tribunus plebis*: ut jus illud legemque intelligamus, qua tribunum plebis patricium fieri non licebat, qualem remansisse illum post inanem arrogationem Cicero demonstravit. Hoc menti sta-

quam fuit hic ipse Rullus[10], vir omnibus rebus clarissimus atque amplissimus : quo jure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulisti?

XVII. Vetant leges sacratæ[1], vetant XII tabulæ, leges privis[2] hominibus irrogari; id est enim privilegium. Nemo umquam tulit : nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minus hæc civitas ferre possit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis

tim occurrit, egregieque convenit propositioni Tullianæ, cap. 14 : « Videsne, me non radicitus, etc. »

10. *Hic ipse Rullus.* Scilicet P. Servilius Rullus, qui tribunus pl. Cicerone cos. legem agrariam tulerat : et cui tum maximum convicium fecerat, editis in legis iniquissimæ latorem orationibus quatuor, ut in II ad Att. I, eumdem nunc amicissime appellat. Erat hoc Ciceroni usitatum pro mutatione temporum, aut post gratiæ reconciliationem. An quemquam laceravit majoribus contumeliis, quam Pisonem, Gabinium, Vatinium? Tamen et Piso in Philippicis laudatur, et Gabinium de repetundis reum defendit, et Vatinium non defendit solum ad judicum subsellia, sed habuit etiam inter familiares, ut ex epistolis patet ad ipsum scriptis. Illud vero probari nullo modo potest, quod hic opinatur Manutius, esse unum ex pontificibus P. Servilium Rullum, et nominari cap. 6 de Har. Resp. ubi hæc habentur : « At vero meam domum P. Lentulus cos. et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messalla', etc. » Etenim Cicero nullo modo Rullum, nondum fortasse prætorium, statim post Lentulum cos. et ante quatuor consulares nominasset. Infra cap. 52, quum duos pontifices appellare vellet, qui maxime dignitate præstarent, sic ait : « An tu auderes quærere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo, quorum ego consilio, atque auctoritate remp. consul ex vestris manibus, et faucibus eripui ». Omnes vident P. Servilium Vatiam Isauricum significari, qui consul fuerat cum Appio Clodii patre : quem fuisse pontificem, colligitur ex Plut. Cæs. cap. 7, ubi Cæsarem dicit pontificatum maximum cum Isaurico et Catulo petiisse. Non enim pontifex maximus creari poterat, nisi qui jam esset pontifex, sicut habetur ex Livio. Quid ergo de Rullo sentiendum? Ciceroni forte aderat advocatus, ut alii quoque multi viri clarissimi.—Omnia optime convenirent in Q. Metellum Scipionem, qui de Har. Resp. cap. 6, inter pontifices nominatur, et tribunus pl. anno 694, a Pighio fuisse dicitur. Sed nimium abeunt MSS literæ ab ejus nominibus.

XVII. 1. *Leges sacratæ.* Sic pro Sext. § 65, « quum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari ».

2. *Privis hominibus.* Alii, *privatis hominibus.*

acerbitas Sullani temporis, quid habet, quod maxime sit insigne ad memoriam crudelitatis? opinor, pœnam in cives romanos nominatim sine judicio constitutam.

Hanc vos igitur, pontifices, judicio atque auctoritate vestra tribuno plebis potestatem dabitis, ut proscribere possit, quos velit? quæro enim, quid sit aliud proscribere. VELITIS, JUBEATIS[3], UT M. TULLIUS IN CIVITATE NE SIT, BONAQUE EJUS UT MEA SINT. Ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit. Hoc plebeiscitum est? hæc lex? hæc rogatio est? hoc vos pati potestis? hoc ferre civitas, ut singuli cives singulis versiculis e civitate tollantur?

Equidem jam perfunctus sum; nullam vim, nullum impetum metuo; explevi animos invidorum; placavi odia improborum; saturavi etiam perfidiam et scelus proditorum; denique de mea causa, quæ videbatur perditis civibus ad invidiam esse proposita, jam omnes urbes, omnes ordines, omnes dii atque homines judicaverunt. Vobismet ipsis, pontifices, et vestris liberis, ceterisque civibus, pro vestra auctoritate et sapientia consulere debetis.

Nam, quum tam moderata judicia populi sint a majoribus constituta, primum, ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur[4]; deinde, ne, nisi prodicta[5] die, quis accusetur; ut ter ante magistratus accuset, intermissa die, quam multam irroget, aut judicet; quarta

3. *Velitis, jubeatis.* Exempla ejusdem constructionis dabit Cicero Verr. II, 67, IV, 12; in Pis. 29, etc.

4. *Ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur.* Hoc est, cum pœna pecuniæ. Similia sunt exempla permulta: eaque nos attigimus ad cap. 26 pro Sulla, daturi plura ad cap. 27 in Vatin. Latini sermonis indoles effugium Tullio dedit, ne diceret « cum multa » insuavius, aut illud ipsum, « cum pœna pecuniæ » inusitatius. Non erat ergo, cur de hac locutione male sentiret Ernestus.

5. *Prodicta die.* Videtur idem esse, « diem dicere », et « diem prodicere ». Magistratus diem dicere dicuntur reo, quum ei certam diem præstituunt,

sit accusatio trinum nundinum[6] prodicta die, qua die judicium sit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt; deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute; denique etiam si qua res illum diem, aut auspiciis[7], aut excusatione[8], sustulit, tota causa[9] judiciumque sublatum est.

XVIII. Hæc quum ita sint in re, ubi crimen[1] est, ubi accusator, ubi testes: quid indignius, quam, qui neque adesse sit jussus, neque citatus, neque accusatus, de ejus capite, liberis, fortunis omnibus, conductos et[2] sicarios, egentes et perditos suffragium ferre, et eam legem putare? At, si hoc de me potuit, quem honos, quem dignitas, quem causa, quem respublica tuebatur, cujus denique pecunia non expetebatur[3], cui nihil oberat præter conversionem

qua die eum ad populum accusaturum denuntiant.

6. *Quarta sit accusatio trinum nundinum.* Quum magistratus reum ter accusavit, tum rogationem per trinas nundinas promulgatam habuit, in qua crimen et pœnam criminis comprehendit, tertiis nundinis quartam accusationem infert, ac reo causam dicendi facit potestatem; inde diem prædicit, qua die ad populum de pœna certandum est. Cf. Sigon. de Judiciis, III, cap. 6, quem et vide in sequentibus capitibus.

7. *Aut auspiciis. Auspicia* populi judicium tollebant, si quis obnuntiasset: quia sic quoque eum populo agebatur.

8. *Aut excusatione.* Excusatio jurisconsultis est, quum causa affertur, per quam quis præstare non potuit, quod præstandum erat, ut si latrones, aut flumina, aut morbus sontieus, aut alia vis major impediret, ne quis prædicto die in judicio esset præsto.

9. *Tota causa.* Id est, nihil eo judicio et illa tota accusatione actum videbatur, si accusatori novum de integro judicium altero trinundino instituendum erat.—Hanc interpretationem postulat Dionis Cassii locus, XXXVII, 28, quo potuisse ait a Labieno iterum apud populum accusari Rabirium, postquam semel, ne damnaretur, vexillo de arce sublato, exercituque proinde remisso (vide Gronov. Obs. I, 1), Metellus prætor et augur comitia diremerat.

XVIII. 1. *Ubi crimen est, ubi accusator,* etc. Alii, « ubi crimen est? ubi accusator? ubi testes? Quid i. etc. » J. V. L.

2. Græv. Ernest. delent *et.*

3. *Pecunia non expetebatur.* Propter tenuitatem.

status et inclinationem communium temporum: quid tandem futurum est iis, quorum vita remota ab honore populari et ab hac illustri gratia est; pecuniæ autem tantæ sunt, ut eas nimium multi, egentes, sumptuosi, nobiles concupiscant? Date hanc tribuno plebis licentiam, et intuemini paullisper animis juventutem, et eos maxime, qui imminere jam cupiditate videntur in tribunitiam potestatem: collegia, medius fidius, tribunorum plebis tota reperientur, hoc jure firmato[4], quæ coeant de hominum locupletissimorum bonis, præda præsertim populari, et spe largitionis oblata.

At quid tulit legum scriptor peritus et callidus? VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA ET IGNI[5] INTERDICATUR? Crudele, nefarium, ne in sceleratissimo quidem civi sine judicio ferundum. Non tulit, ut interdicatur. Quid ergo? UT INTERDICTUM SIT. O cœnum, o portentum, o scelus! hanc tibi legem Clodius scripsit, spurciorem[6] lingua sua, ut interdictum sit, cui non sit interdictum? Sexte noster, bona venia, quoniam jam dialecticus es[7], et hoc quoque ligurris: quod factum non est, ut sit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis sanciri, aut suffragiis confirmari potest? Hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro, omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo[8], rempublicam perdidisti?

Neque tu eras tam excors, tamque demens, ut nescires[9], hunc Clodium esse, qui contra leges fa-

4. *Hoc jure firmato.* Si constitutum sit hoc juris esse.

5. MSS omnes habent, præter unum, «aqua et ignis interdicatur». J. V. L.

6. *Spurciorem.* Lingua vel fœdiorem quæ fœdissima quæque patrabat. Quod etiam planius sequenti verbo *ligurris* exponit.

7. Abest *es*.

8. *Quadrupedum impurissimo.* Et hic quoque fœditatem illius significat.

9. *Ut nescires.* Quum tot alii pragmatici homines in urbe sint, tu hoc

ceret; alios, qui leges scribere solerent. Sed neque eorum, neque ceterorum, in quibus esset aliquid modestiæ, cujusquam tibi potestas fuit; neque tu legum scriptoribus iisdem potuisti uti, quibus ceteri; neque operum architectis[10]; neque pontificem adhibere, quem velles; postremo ne in prædæ quidem societate mancipem[11], aut prædem socium[12], extra tuorum gladiatorum numerum; aut denique suffragii latorem in ista tua proscriptione quemquam, nisi furem, aut sicarium, reperire potuisti.

XIX. Itaque quum tu florens ac potens per medium cohortis popularis[1] volitares: amici illi tui[2], te uno amico tecti[3] et beati, qui se populo commiserant[4], ita repellebantur, ut etiam Palatinam[5] tuam perderent; qui in judicium venerant, sive accusatores erant, sive rei, te deprecante damnabantur. Denique etiam ille novitius Ligur[6], venalis adscriptor[7] et subscriptor tuus, quum M. Papirii, sui fratris, esset te-

Sext. Clodio usus ea ad scribendas leges, quas contemnere ille quidem solet, et contra quas facere consuevit. Manutius ac Garaton. *Clodium* expungere velint.

10. *Operum architectis.* Ad ædem Libertatis alludit, in area Ciceronis exstructam.

11. *Mancipem.* Alludit ad publicanorum societates, quorum quidam *mancipes* erant, qui publica a censoribus redimebant: alii *prædes*, qui pro illis fide jubebant.

12. *Prædem socium.* Sic optime correxit post. Manutium Ernestus, quum antea legeretur « prædæ socium »; unde totus mutandus videbatur contextus, et Grævius pro *societate* legendum censebat *sectione*. Garatonius sic locum omnem exponit: « ne in prædæ quidem sectione mancipem, prædem, socium, etc. »

XIX. 1. Alii, « forum pop. »

2. *Amici illi tui.* Ad Vatinium hoc pertinet, qui, ædilitatem petens, repulsam tulerat.

3. *Te uno amico tecti.* Tua amicitia subnixi et unice feroces.

4. *Populo commiserant.* Comitiis in quibus magistratum petebant.

5. *Palatinam.* Tribum. Quæ Clodio mancipata et ex vilissimo quoque constans, hoc duce remp. vexabat.

6. *Novitius Ligur.* Sex. Ælium tribunum pl. significat, qui cognomen *Liguris* sibi, quasi ex antiqua Æliorum gente esset, arripuerat.

7. *Venalis adscriptor.* Adscripserat se pecunia emptus ad amicos Clodii; subscripserat, quia sequutus

stamento et judicio improbatus[8], mortem ejus se velle persequi dixit; nomen Sext. Propertii detulit; accusare, alienæ damnationis scelerisque socius[9], propter calumniæ metum[10], non est ausus.

De hac igitur lege dicimus, quæ jure rogata videatur: cujus quam quisque partem tetigit, digito[11], voce, præda, suffragio, quocumque venit, repudiatus convictusque discessit.

Quid, si iis verbis scripta est ista proscriptio, ut

est ejusdem Clodii voluntatem, quum, L. Ninnio tribuno plebis de Ciceronis exsulantis reditu referenti, intercessit.

8. *Judicio improbatus*. Non substitutus heres, exheredatus inter ceteros. Probro dabatur fratribus præsertim, quum præteriti in testamentis fuissent.

9. Vulg. *socios;* sed *socius* vere correctum est, ex paucis quidem MSS, sed pluribus antiquis edd. ante Gruterum. Wolf. J. V. L.

10. *Propter calumniæ metum*. Plerique interpretes varie locum hunc torquent, unus videtur optime et intellexisse, et explicuisse cum Ferratio Gesnerus. Ælius trib. pl. damnationem Ciceronis adjuverat, eaque re populi offensionem incurrerat; idem erat a fratre in testamento præteritus; hujus se mortem velle ulcisci dixit, forte ut invidiam illius heredibus conciliaret, forte ut eo ipso sibi injuriam a fratre factam ostenderet, jamque detulerat Propertii nomen, et sic accusationi præluserat, quam tamen ingredi non est ausus, propter metum ne si non probaret crimen, calumniæ damnaretur. Unde autem ille metus? quia socius erat damnationis injustæ ac sceleris in Ciceronem et patriam commissi, propter quod se suspectum sentiret. Cujus enim facinoris suspicio non cadat in eum, qui potuit patriæ servatorem contra leges omnes damnare et patria ejicere?

11. *Digito*. Manut. et Ernest. digitum, qui legem scripsit, intelligunt. Is fuit Sex. Clodius. Sed parum hoc est. Digitus etiam in licitatione locum habet, et mancipes sectoresque designat, qui eam legis partem attigerant, qua Ciceronis bona proscripta, et publicis operibus ejus ædes attributæ fuerunt. Vide Bentleium ad Manil. V, 318. Hinc via munitur ad vocem *præda* defendendam, quam ab hoc loco alienam putat Ernestus. Est enim lucrum ex Tullii bonis quacumque ratione factum. Patent omnia ex altero etiam loco, cap. 41, quem vir summus immerito sollicitabat: « At, qui aliqua se contagione prædæ, societatis (ad coemendum ab hasta, ut fiebat, inter plures initæ, in quibus etiam prædes numerari possunt, item forte ad opus ex lege Clodia redimendum), emptionis (hoc pertinet ad ipsos mancipes), contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii pœnam effugere potuerunt ». Qui emptor, emptorisve socius fuit, qui direptioni præfuit, aut alia ratione prædæ particeps fuit, omnes utroque loco comprehenduntur.

se ipsa dissolvat[12]? est enim, QUOD M. TULLIUS FALSUM SENATUSCONSULTUM RETULERIT. Si igitur retulit falsum senatusconsultum, tum est rogatio; si non retulit, nulla est. Satisne tibi videtur a senatu judicatum, me non modo non ementitum esse auctoritatem ejus ordinis, sed etiam unum post urbem conditam diligentissime senatui paruisse?

Quot modis doceo, legem istam, quam vocas, non esse legem? Quid, si etiam pluribus de rebus uno sortitu[13] retulisti? tamenne arbitraris, id, quod M. Drusus in legibus suis plerisque, bonus ille vir, M. Scaurus, et L. Crassus consularis non obtinuerint, id te posse, omnium facinorum et stuprorum omnium[14], Decimis et Clodiis auctoribus, obtinere?

XX. Tulisti de me, ne reciperer[1], non ut exirem: quem tu ipse non poteras dicere non licere esse Romæ. Quid enim diceres? damnatum? certe non: expulsum? qui licuit? sed tamen ne id quidem est scriptum, ut exirem. Pœna est, qui receperit; quam omnes neglexerunt: ejectio nusquam est. Verum sit: quid? operum publicorum exactio[2]: quid? nominis inscriptio, tibi num aliud videtur esse, ac meorum

12. *Ut se ipsa dissolvat.* Ipso jure nulla sit; non aliunde rescindatur, sed in ipsa vitium insit.

13. *Uno sortitu.* Contra legem Cæciliam Didiam, ne una rogatione diversis de rebus ad populum ferretur. — Propositio hæc argumenti comprobatur exemplis eorum, quorum leges abrogatæ sunt ea de causa, quia plures res complectebantur. Quare autem, *uno sortitu?* An fortasse *uno scitu* legendum est, ut Manutius suspicatur? Nequaquam: sed quum unaquæque tribus eo loco suffragium ferret, quem sors dederat, semperque magistratus tributis comitiis eas sortiretur, *uno sortitu* dicitur, h. e. una facta sortitione, unis comitiis, una rogatione.

14. Hottom. excidisse putat *principem*, aut simile quid. Recte; atque hanc conjecturam in interpretando sequimur. J. V. L.

XX. 1. *Ne reciperer.* Ne quis me tecto reciperet: si quis recepisset, in pœnam subiret.

2. *Exactio.* Lex Clodia complectebatur « operum publicorum exactionem »: ut nempe demolitio domus Ciceronis, et exstructio monumenti publice locaretur, et exigeretur per

bonorum direptio? præterquam, quod ne id quidem per legem Liciniam [3], ut ipse tibi curationem ferres, facere potuisti. Quid hoc ipsum, quod nunc apud pontifices agis, te meam domum consecrasse, te monumentum fecisse, in meis ædibus [4] te signum dedicasse, eaque te ex una rogatiuncula fecisse; unum et idem videtur esse, atque id, quod de me ipso nominatim tulisti? Tam hercule est unum, quam quod idem tu lege una tulisti: ut Cyprius rex [5], cujus majores huic populo socii atque amici semper fuerunt, cum bonis omnibus sub præcone subjiceretur, et exsules Byzantium [6] reducerentur. Eidem [7], inquit, utraque de re negotium dedi. Sed quid, si eidem negotium dedisses, ut in Asia cistophorum flagitaret [8], inde iret in Hispaniam; quum Roma [9] decessisset, consulatum

ipsum Clodium a redemptoribus. *Nominis inscriptio :* consequens pro antecedente : nomen enim suum Clodius inscripsit, quia sibi eam curationem demandaverat. Hoc autem quæritur, « num aliud videtur esse, ac bonorum meorum direptio? » quum illam curationem inimicissimus homo susceperit : præterquam quod lex Licinia vetabat, eum, qui tulisset de aliqua curatione et potestate, collegas et cognatos, nedum ipsum legis latorem, eamdem procurationem suscipere. Cf. Agrar. II, 8. Fallitur Manutius: nam hoc ipsum tulit Clodius, ut ei muneri ipse præficeretur: eique rei poterat etiam privatus præfici, qualis tamen plane non erat Clodius, quum esset tribunus plebis.

3. *Per legem Liciniam.* Ne ei qui legem de curatione potestateve aliqua tulerit, ejus collegis, cognatis, affinibus ea potestas, curatiove mandaretur.

4. Edd. vett. ut Venet. prim. et Rom. « in meis ædibus », quod Gar. valde placet. J.V. L.

5. *Cyprius rex.* Ptolemæi regis Alexandrini frater; qui cognita regni sui publicatione, se ipse veneno necavit.

6. *Exsules Byzantium.* Byzantini cives rerum capitalium a suis damnati a Catone reducti sunt. Cf. infra cap. 50; Plut. in Cat. min.

7. *Eidem.* M. Catoni.

8. *Cistophorum flagitaret.* Ut juberet vectigalia perdere Asiaticos, in quibus pendendis cistophoro utebantur. Est autem nummus Asiaticus, qui nomen habet a cista mystica quæ orgiorum solemnibus usurpabatur. Vid. hac de re Xav. Panelii diss. de cistophoris Lugdun. 1734. Conf. etiam Att. II, 6, 18; XI, 1.

9. Garatonius corrigendum censuit *Romam;* optime, ut Wolf. opinatur : non ego. J.V. L.

ei petere liceret; quum factus esset, provinciam Syriam obtineret? quoniam de uno homine scriberes, una res esset? Quod si jam populus romanus de ista re consultus esset, et non omnia per servos latronesque gessisses, nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret, de exsulibus Byzantinis displiceret? Quæ est, quæso [10], alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis et Didiæ [11], nisi hæc, ne populo necesse sit in conjunctis rebus compluribus, aut id, quod nolit, accipere, aut id, quod velit, repudiare?

Quid, si per vim tulisti? tamenne lex est? aut quidquam jure gestum videri potest, quod per vim gestum esse constet? An, si in ipsa latione tua, capta jam

10. *Quæ est, quæso, alia vis.* Vulg. « Quæ est quasi alia vis ». J. V. L.

11. *Quæ est, quæso, alia vis, quæ sententia Cæciliæ legis et Didiæ.* Lege, inquit, Cæcilia Didia juberi videtur promulgatio per trinundinum eo consilio, ut possit examinare populus, quid accipiendum, quidve repudiandum sit, ac proinde videtur etiam prohiberi, ne conjunctim de rebus pluribus feratur, quod tum illud judicium, et examen haberi non possit. Quum de hac lege multa senserint, operæ pretium facturum me arbitror, si rem universam breviter complectar. Primis reip. temporibus non erat necessaria promulgatio per trinundinum, ut colligitur ex Livio, IV, 24, qui Mam. Æmilium dictatorem sic ad populum loquutum memorat, « Se legem laturum, ne plus, quam annua, ac semestris censura esset. Consensu ingenti populi legem postero die pertulit ». Tum certe nulla fuit trinundini promulgatio. Anno U. C. 655, Q. Cæcilius Metellus Nepos, et T. Didius coss. primi ea de re tulere; idemque deinde latum est anno 691, a D. Junio Silano et L. Licinio Murena coss. addita pœna, si quis per trinundinum non promulgasset. Pro Sext. 64; de P. Vatinio, « Cæciliam Didiam, Liciniam Juniam contempsit (adde II ad Atticum, 9). Philipp. V, 3: « Ubi lex Cæcilia et Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœna recenti lege Junia et Licinia? » Ceterum non probatur id, quod vulgo docent interpretes, eadem lege Cæcilia Didia cautum fuisse, ne diversis de rebus lex ulla ferretur: ac tribus præcipue argumentis refello. In primis numquam mihi persuaderi poterit, eos consules contra legem a se ferendam statim facere voluisse: quumque prohiberent ferri ad populum simul de pluribus rebus, ipsos rogasse populum simul de promulgatione per trinundinum, et ut una tantum de re lex quælibet ferretur. Nonne alterum placere poterat, alterum displicere? Tandem ostendit orator, pluribus de rebus rogari non

urbe, lapides jacti, si manus collata non est, idcirco tu ad illam labem, atque eluviem civitatis, sine summa vi pervenire potuisti?

XXI. Quum in tribunali Aurelio conscribebas palam non modo liberos, sed etiam servos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas? Quum edictis tuis tabernas claudi jubebas, non vim imperitæ multitudinis, sed hominum honestorum modestiam prudentiamque quærebas? Quum arma in ædem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare? Quum vero gradus Castoris[1] convellisti ac removisti, tum, ut modeste tibi agere liceret, homines audaces ab ejus templi aditu atque adscensu repulisti? Quum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse jussisti, eorumque advocationem[2] manibus, ferro, lapidibus discussisti; tum profecto ostendisti, vim tibi maxime displicere. Verum hæc furiosa vis vesani tribuni plebis facile superari frangique potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine. Quid? quum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adju-

posse populum ex eo, quod M. Drusi, Scauri et Crassi leges eamdem ob causam fuerint abrogatæ. Crassus quidem triennio post; at Scaurus consul, Drusus pater tribunus plebis fuit aliquanto ante consulatum Metelli et Didii. Non igitur abrogatæ sunt, quod latæ essent contra legem Cæciliam Didiam. In XII tabulis hoc etiam inter alia multa præscribitur: NEC. PLVS. QVAM. DE. SINGVLIS. REBVS. SEMEL. CONSVLVNTO. ut opinor, ne ferre iterum liceret de eadem re, quæ semel repudiata fuisset, et præterea, ne una, et eadem rogatione plures, ac diversæ res comprehenderentur. Quod si etiam aliis legibus idem postea cautum fuisset, illas procul dubio Cicero nominasset, qui nihil omittit eorum, quæ huic argumento aliquid addere ponderis videbantur.

XXI. 1. *Gradus Castoris.* Quos ligneos et exemptitios fuisse multis ex locis intelligitur.

2. *Advocationem.* Amicos, a quibus comitati eo venerant.

varent, tibi manum, copias, tibi suos paratos[3] centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent, te suis sceleratis concionibus sublevarent, senatus auctoritatem irriderent, equitibus romanis mortem proscriptionemque minitarentur, me terrerent minis, mihi cædem et dimicationem denuntiarent, meam domum, refertam viris bonis, per amicos suos complerent[4], proscriptionis metu[5] me frequentia nudarent virorum bonorum, me præsidio spoliarent, senatum pro me non modo pugnare[6], amplissimum ordinem, sed etiam plorare, et supplicare, mutata veste, prohiberent: ne tum quidem vis erat?

XXII. Quid igitur ego cessi[1], aut qui timor fuit? non dicam, in me[2]; fac me timidum esse natura: quid? illa tot virorum fortissimorum millia; quid?

3. *Paratos*. Centuriones illos quos præsto habebant, qui parati ministri cædis et rapinæ futuri erant. Olim legebatur *speratos*, quod sine sensu, quamvis multi proferrent codices; absurde correxerat Lambin. *sparatos*, id est, sparis armatos, quod genus teli neo ad bellum, nec ad centurionem pertinet. Felicius conjecit Græv. *paratos*. Ceterum nonnullis a MSS absunt « tibi suos paratos centuriones, tibi pecuniam », quod commodius videtur.

4. *Per amicos suos complerent*. Lallem. e conjectura Grævii, « terrore complerent ». Marklandus vero ea omnia sic constituit, « per. a. s. complerent proscriptionis metu, me fr. n. v. b. me præsidio spoliarent senatus, etc. » J. V. L.

5. *Proscriptionis metu me frequentia nudar. vir. bonorum*. Putat Garatonius vocem *proscriptionis* adjectitiam esse, ita ut legendum sit « per amicos suos complerent metu: me frequentia, etc. »

6. *Non modo pugnare*. Intulit hanc lectionem Gruterus, quam nemo postea repudiavit, quam primus antea Car. Steph. ex suo MS in var. lect. deinde Lambinus ad marg. notaverat, vulgatam ipse non mutans *propugnare*, quæ legitur in omnibus ante Gruter. editis.

XXII. 1. *Quid igitur ego gessi*. *Cessi* Pantagathus, a quo accepit Manutius. Tandem Lallem. edidit *cessi*, utique contra libros, verum omnino recte. Locos Tullii similes ignorare arbitror neminem, qui hanc emendationem plane suadent: quæ porro tam levi ex mutatione oritur, tamque legitima, ut nullum relinquat dubium. Literas enim C et G invicem commutari passim res notissima est.

2. *In me*. Non video cur displiceat Ernestio loquendi forma, « timor est in me », quæ optime h. l. convenit.

nostri equites romani; quid? senatus; quid? denique omnes boni, si nulla erat vis, cur me flentes potius prosequuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam[3], si mecum ageretur more institutoque majorum, ut possem præsens sustinere? Utrum, si dies dicta esset, judicium mihi fuit pertimescendum? an sine judicio privilegium? Judicium in causa tam turpi[4]? Scilicet is homo sum[5], qui, etiamsi causa esset ignota, dicendo non possem explicare. An eam causam probare non poteram, cujus tanta bonitas est, ut ea ipsa non modo se, sed etiam me absentem per se[6] probarit? An senatus, an ordines, an ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, segniores, me præsente, ad me retinendum et conservandum fuissent in ea causa, quam ipse jam parricida talem dicat fuisse, ut me ab omnibus ad meam pristinam dignitatem expetitum[7] atque revocatum queratur? An vero in judicio periculi nihil fuit, privilegium pertimui? ne, mihi præsenti si multa irrogaretur, nemo intercederet[8]. Tam inops autem ego eram ab amicis, aut tam nuda respublica a magistratibus? Quid? si vocatæ tribus es-

3. *An hoc timebam.* Utrum illud mihi erat metuendum, ne possem præsens causam meam defendere.

4. *In causa tam turpi.* Nempe per ironiam.

5. *Is homo sum.* Quum causas agere possim alienas, prius mihi incognitas, nonne propriam meam facilius dicere et probare posse videbor? Totum hunc locum Garatonius cum Ern. suspectum habet.

6. *Per se.* Pulchre dicitur et efficaciter, causa non modo se ipsa, sed etiam me absentem per se ipsa probavit. « Per se ipsa » est ipsa sola, sine alius rei, aut patroni adminiculo et subsidio. Sueton. Octav. 64 : « Nepotes literas, et natare, aliaque rudimenta per se plerumque docuit ». Jul. 58 : « Neque ante in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus, et navigationem, et accessum ad insulam explorasset ».

7. Alii, *exspectatum.*

8. *Nemo intercederet.* An nihil periculi fuit in legitimo judicio, at privilegium tamen pertimui, contra leges de me in concione ferendum, quasi non aliquis magistratus esset intercessurus.

sent, proscriptionem non dicam in me, ita de sua salute merito, sed omnino in ullo cive comprobavissent?

An, si ego præsens fuissem, veteres illæ copiæ conjuratorum, tuique perditi milites atque egentes, et nova vis[9] sceleratissimorum consulum corpori meo pepercissent? qui quum eorum omnium crudelitati scelerique cessissem, ne absens quidem luctu meo mentes illorum satiare potui.

XXIII. Quid enim vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis: quid mea filia? cujus fletus assiduus, sordesque lugubres vobis erant jucundæ; ceterorum omnium mentes, oculosque flectebant: quid parvus filius? quem, quamdiu abfui, nemo nisi lacrymantem confectumque vidit, quid fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis? Quid frater meus? qui quum aliquanto post meum discessum ex[1] provincia venisset, neque sibi vivendum, nisi me restituto, putaret, quum ejus mœror, squalor incredibilis et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur, quoties ex vestro ferro ac manibus est elapsus? Sed quid ego vestram crudelitatem expromo[2], quam in ipsum me ac meos adhibuistis: qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum quoddam et nefarium, omni imbutum odio bellum intulistis? non enim te arbitror, quum post meum discessum, omnium locupletium fortunas, omnium

9. *Et nova vis.* Si Romæ commoratus essem, num tutus vixissem a tot conjuratis, ab illis novis turmis quas scelestissimi consules comparaverunt, quum nondum eorum sint satiata odia meo exsilio ac luctu.

XXIII. 1. *Post meum discessum ex provincia.* Ex Asia in qua pro prætore fuerat.

2. *Vestram crudelitatem expromo.* Ernest. legendum putabat *vestram crudelitatem exprobro.* J. V. L.

provinciarum fructus, tetrarcharum ac regum bona, spe et avaritia devorasses, argenti et supellectilis meæ cupiditate esse cæcatum; non existimo, Campanum illum consulem[3] cum saltatore collega, quum alteri[4] totam Achaiam, Thessaliam, Bœotiam, Græciam[5], Macedoniam, omnemque Barbariam, bona civium romanorum condonasses, alteri[6] Syriam, Babylonem, Persas, integerrimas pacatissimasque gentes, ad diripiendum tradidisses, illos tam cupidos liminum meorum, et columnarum, et valvarum fuisse. Neque porro illa manus copiæque Catilinæ cæmentis ac testis tectorum meorum se famem suam expleturas putaverunt; sed, ut hostium urbes, nec omnium hostium, verum eorum, quibuscum acerbum bellum intestinumque suscepimus, non præda adducti, sed odio solemus excidere[7], quod, in quos propter eorum crudelitatem inflammatæ mentes nostræ fuerunt, cum horum etiam tectis ac sedibus residere aliquando bellum semper videtur[8].

XXIV. Nihil erat latum de me[1]; non adesse eram jussus; non citatus: abfueram: eram etiam tuo ju-

3. *Campanum illum consulem.* Pisonem, qui, quo anno consul Romæ, eodem Capuæ, quam superiore anno coloniam C. Cæsar consul fecerat, duumvir cum Pompeio fuit. — *Saltatore collega*, Gabinio, quem alibi « calamistratum saltatorem » appellat.

4. *Alteri.* Pisoni.

5. *Græciam.* Locum hunc carpit Wolfius, tamquam male ordinatum, aitque Græciam post Bœotiam non fuisse nominandam, quum eadem esset provincia; quasi non sæpius apud Ciceronem *Græcia* eodem omnino sensu poneretur quo Græcia Ἑλλάς, h. e. pars ea Græciæ quæ ab Isthmi angustiis incipit.

6. *Alteri.* Scilicet Gabinio.

7. *Sed odio solemus excidere.* Alii, *sed odio solemus excipere.*

8. *Tectis ac sedibus residere... bellum semper videtur.* Quum priori comparationis membro alterum non respondet, putat Lambinus aliquid excidisse, istius modi: « Sic vos vestrum in me crudele et immane odium in domum meam profudistis ». Quod sane jejunius videbitur, quam ut ita dixerit orator: neque scio an quidquam desit, quum comparatio illa optime sententiam claudat, et veluti antecedentium ratio subjungatur.

XXIV. 1. *Nihil erat latum de me.* Nulla lex in me lata erat.

dicio[2] civis incolumis[3], quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem transferebatur; senatum consules[4] vetabant; columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inspectante populo romano, ad socrum consulis[5] portabantur; in fundum autem vicini consulis non instrumentum, aut ornamenta villæ, sed etiam arbores transferebantur; quum ipsa villa non prædæ cupiditate (quid enim erat prædæ?), sed odio et crudelitate funditus everteretur. Domus ardebat[6] in Palatio non fortuito, sed oblato incendio: consules epulabantur, et in conjuratorum gratulatione versabantur, quum alter se Catilinæ delicias[7], alter Cethegi consobrinum[8] fuisse diceret. Hanc ego vim, pontifices, hoc scelus, hunc furorem meo corpore opposito, ab omnium bonorum cervicibus depuli, omnemque impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quæ inveterata, compresso odio atque tacito, jam erumpebat, nacta tam audaces duces, excepi meo corpore. In me uno consulares faces, jactæ manibus tribunitiis; in me omnia, quæ ego quondam retuderam[9], conjurationis nefaria tela adhæserunt. Quod si, ut multis fortissimis viris pla-

2. *Etiam tuo judicio.* Hominis inimicissimi, nedum aliorum.

3. *Civis incolumis.* Quia condemnatus non eram, et mea tamen, quasi condemnatus essem, domus in Palatio ad Pisonem, villa in Tusculano ad Gabinium transferebatur.

4. Sic Nauger. Olivet. Lallemand. Oxon. edd. Libri vetuste cusi, « senatus consules vocabant »; cod. Erf. « senatusconsulta volabant », quod Ernest. admiserat. Wolf. item reliquit. Garatonius vero, « senatum consules lugere vetabant ». J. V. L.

5. *Ad socrum consulis.* Pisonis, de qua in Pison. cap. 11, « apud socrum tuam, prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas, non exstinctor, sed auctor incendii ». Male olim *socerum*.

6. *Domus ardebat.* Hæc ipsa totidem verbis in Sextiana.

7. *Catilinæ delicias.* Gabinium significat.

8. *Cethegi consobrinum.* Pisonem.

9. *Retuderam.* Cod. Barb. cum Francii codice in var. lect. *contuderam.* Sed pro Sulla, cap. 30, « cujus nuper ferrum retuderim », et sic porro alibi.

cuit, vi et armis contra vim decertare voluissem : aut vicissem cum magna internecione improborum, sed tamen civium; aut, interfectis bonis omnibus, quod illis optatissimum erat, una cum republica concidissem. Videbam, vivo senatu populoque romano, celerem mihi summa cum dignitate reditum; nec intelligebam, fieri diutius posse, ut mihi non liceret esse in ea republica, quam ipse servassem. Quod si non liceret[10], audieram et legeram, clarissimos nostræ civitatis viros se in medios hostes ad perspicuam mortem, pro salute exercitus, injecisse : ego, pro salute reipublicæ universæ, dubitarem? hoc meliore conditione [esse[11]], quam Decii, quod illi ne auditores quidem suæ gloriæ, ego etiam spectator meæ laudis esse potuissem.

XXV. Itaque infractus furor tuus inanes faciebat impetus. Omnem enim vim omnium sceleratorum acerbitas mei casus exceperat. Non erat in tam immani injuria tantisque ruinis novæ crudelitati locus. Cato fuerat proximus : quid ageres[1]? non erat; ut, qui modus moribus fuerat, idem esset injuriæ : quid?

10. *Quod si non liceret.* Si mihi in patriam redire non daretur, sciebam clarissimos viros sæpius vitam exercitui condonasse; et quum hac in causa de totius reip. salute ageretur, potuissem dubitare vitam et felicitatem civibus meis posthabere? Præsertim quum eo meliore conditione vel exsul futurus essem, quam ii qui sanguinem pro patria profuderunt, ut Decii, quod illi laudi suæ non superfuerunt, ego vero testes meæ habere potueram.

11. *Esse.* Verbum hoc uncinis cum Grævio inclusimus.

XXV. 1. *Quid ageres? non erat, ut, qui modus moribus fuerat, idem esset injuriæ,* etc. Cod. Henr. Stephani, Grutero et aliis suspectus, « Quid ageres, non erat, nisi ut, qui mihi dux in omnibus meis rebus fuerat, socius idem esset injuriæ. Quid? ejicere posses? non : quid ergo? extrudere ad Cypriam pecuniam. Præda perierit; alia non deerit : hic modo amandatus sit ». His addit conjecturam Garatonius : « Quid ageres, non erat, ut qui mihi socius omnibus in rebus fuerat, idem esset injuriæ? Quid? posses extrudere... » Potior sane codicis scriptura, aut etiam Hotomanni.

posses extrudere ad Cypriam pecuniam[2]. Præda perierit[3]; alia non deerit: hunc modo amandandum esse[4]. Sic M. Cato invisus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur[5]. Ejiciuntur duo[6], quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum; alter per honestissimam calamitatem. Atque, ut sciatis, non hominibus istum, sed virtutibus hostem semper fuisse: me expulso, Catone amandato, in eum ipsum se convertit, quo auctore, quo adjutore, in concionibus, ea, quæ gerebat, omnia, quæque gesserat, se fecisse, et facere dicebat. Cn. Pompeium, quem omnium judicio longe principem esse civitatis videbat, diutius furori suo veniam daturum non arbitrabatur. Qui ex ejus custodia, per insidias, regis amici filium[7], hostem captivum, surripuisset, et ea injuria virum fortissimum lacessisset, speravit iisdem se copiis cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem, bonorum periculo, dimicare: et primo quidem, adjutoribus consulibus: postea fregit fœdus Gabinius[8]; Piso tamen in fide mansit. Quas iste tum cædes, quas lapidationes, quas fugas fecerit; quam facile ferro, quotidianisque insidiis, quum jam a firmissimo robore copiarum suarum relictus esset,

2. *Extrudere ad Cypriam pecuniam.* Ad vendenda Ptolemæi regis bona; ex quibus pecuniam redactam Romam retulit.

3. *Præda perierit.* Quod Cato pecuniam hanc non Clodio donum dabit, sed ad ærarium referet.

4. *Amandandum esse.* Ille tantum est relegandus; aliam deinde prædam quæremus.

5. *Quasi per beneficium, Cyprum relegatur.* Vetus est mos sub specie honoris et beneficii relegare suspectos et invisos: vide Gruteri dissertationes politicas libro II.

6. *Ejiciuntur duo, quos improbi.* Cato et Cicero.

7. *Regis amici filium.* Tigranem Tigranis Armenii filium, quem Romam abductum Pompeius in publica custodia apud Flavium prætorem tenuit. De ea re, quæ prima causa exstitit gravis inimicitiæ inter Pompeium et Clodium, vide Asconium ad Mil. cap. 14; Dion. XXXVIII, 30.

8. *Fregit fœdus Gabinius.* Conspi-

Cn. Pompeium foro curiaque privarit, domumque conjecerit, vidistis[9]. Ex quo judicare potestis, quanta vis illa fuerit oriens et congregata, quum hæc Cn. Pompeium terruerit jam distracta et exstincta.

XXVI. Hoc vidit in sententia dicenda kalendis januariis[1] vir prudentissimus, et quum reipublicæ, tum mihi, tum etiam veritati amicissimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non censuit; qui me consuluisse reipublicæ, cessisse tempestati; amiciorem vobis ceterisque civibus, quam mihi ac meis exstitisse; vi, armis, dissensione[2] hominum ad cædem instituta, novoque dominatu pulsum esse dixit; nihil de meo capite potuisse ferri; nihil esse inscriptum[3], aut posse valere; omnia contra leges moresque majorum, temere, turbulente, per vim, per furorem esse gesta; quod si illa lex esset, nec referre

rationi de necando Pompeio renuntiavit, consilium mutavit.

9. *Domumque conjecerit, vidistis.* In Sext. « Inclusus domi tamdiu fui, quamdiu inimicus meus in tribunatu ».

XXVI. 1. *Dicenda kalendis januariis.* Pal. nonus et Erfurt. « dicenda III kal. januar. » Ne quem duorum codicum valde præstantium abripiat auctoritas, ostendendum est, ceteros omnes, quotquot innotuere, hic sanos esse: additionemque illam esse mendosam, et pessime a Grutero collaudatam. Quod infra dicitur, de Tullii reditu retulisse ad senatum consules, aperte declarat, P. Lentulum indicari, qui certe non potuit referre « tertio kal. januarias », sed omnino retulit ipsis kalendis, quibus iniit magistratum. Cotta igitur superiore anno banc sententiam non dixit, quo tribuni pl. tantummodo hac de re ad senatum retulerunt. Commemorat sæpe Tullius kalendas jan. quæ Lentulo et Metello coss. fuerunt, quibus Lentulus de se retulit, quum eo die primum potuerit, quibusque Cotta, princeps rogatus a consule, tam egregie loquutus est. Vide infra cap. 7; post Red. ad Quir. 5, et in Sen. 3, 4; denique in Pison. 15. Sed nil apertius, aut similius, quam quod legitur pro Sext. 33, 34, ubi Cottæ sententiam iterum exponit: « Veniunt kalendæ januariæ... quæ nunc frequentia senatus... quæ virtus, actio, gravitas P. Lentuli consulis.... Tum princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id, quod dignissimum rep. fuit, etc. » Jam vides numerum *III*, ne ita quidem retineri posse, ut legas *tertio loco.*

2. MS Guelferb. *discessione.*

3. Beck. post ed. Junt. « nihil esse scriptum ». Lambinus e conjectura, « nihil esse jure scriptum ». Manutius vero et Pantagathus, probante Ur-

ad senatum consules, nec sententiam dicere sibi licere : quorum utrumque quum fieret, non oportere, ut de me lex ferretur, decerni, ne illa, quæ nulla esset, esse lex judicaretur. Sententia verior, gravior, utilior, melior reipublicæ nulla esse potuit : hominis enim scelere et furore notato, similis a republica labes in posterum demovebatur.

Neque hoc Cn. Pompeius, qui ornatissimam de me sententiam dixit, vosque, pontifices, qui me vestris sententiis auctoritatibusque defendistis, non vidistis, illam esse nullam, atque esse potius flammam temporis, interdictum sceleris 4, vocem furoris; sed prospexistis, ne qua popularis in vos aliquando invidia

sino, « nihil esse jure scitum ». Lall. sic edidit. J. V. L. — Locus non solum mendosus, verum etiam in quo dubites admodum, quidnam reponas. Potes enim hæc omnia æque defendere, « jure scitum, jure rogatum », ut pro Sext. 35 : « jure scriptum, jure actum », ut mox, et l. c. pro Sext. Mira est lectio codicum optimorum, *proscriptum :* nam legum est proprium *promulgari*. Legem quidem Clodiam Cicero appellare solet *proscriptionem*, ut ostendi ad cap. 4 post Red. in Sen. At non vides istud recte posse ad h. l. transferri : nimis enim obscure hæc exprimeretur sententia, me, ac bona mea non esse proscripta. Conf. cap. 18, 31. Ferat tamen, qui volet. Cod. Barb. « nihil esset inscriptum », cum Dresd. et vet. ed. in var. lect.

4. *Interdictum sceleris*. Vos utique vidistis illam legem non esse legem, sed tantum inania verba iniquo tempore ad concitandum incendium dissensionis civilis facta, quo periret respublica et libertas : sed interdictum scelestum, quo mihi patriæ servatori aqua et ignis interdicebatur, sed rabiosi hominis voces. — *Interdictum sceleris* est jussum, imperiumque tyrannicum, a scelere ortum, cujus patrandi causa fuit adhibitum. Hanc explicationem præstant verba illa in Pison. 8 : « Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret?... id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, potestatis erat non ferendæ ». Vim tyrannicam significat eadem vox etiam ad Att. VII, 26 : « Cæsaris interdicta, si te secundo lumine hic offendero ». Scelus autem, quo ejectus est Tullius, non modo privatum in hominem innocentem fuit, sed etiam publicum, ea maxime de causa, quod in libera civitate per vim potestas privilegii contra leges irrogandi arrepta est. Ea plane vis publica fuit, et oppressio reip. a *novo* illo, quem Cotta dixit, *dominatu* profecta : non itaque lex, sed tyrannicum imperium, sceleris in Tullium causa per aliud in remp. scelus editum, rogatione illa continebatur, quæ recte dicitur « interdictum sceleris ».

redundaret, si sine populi judicio [5] restituti videremur.

Eodemque consilio, M. Bibuli, fortissimi viri, senatus sententiam sequutus est, ut vos de mea domo statueretis : non quod dubitaret, quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil jure esset actum; sed ne quis oriretur aliquando in tanta ubertate improborum, qui in meis ædibus aliquam religionem residere diceret.

Nam legem quidem istam, nullam esse, quotiescumque de me senatus sententiam dixit, toties judicavit : quoniam quidem scripto illo istius [6], sententiam dicere vetabatur. Atque hanc rem par illud simile, Piso et Gabinius, vidit. Homines legum judiciorumque metuentes, quum frequentissimus senatus eos, ut de me referrent, quotidie flagitaret, non se rem improbare dicebant, sed lege istius impediri. Erat hoc verum : nam impediebantur, verum ea lege [7], quam idem iste de Macedonia Syriaque tulerat.

XXVII. Hanc [1] tu, P. Lentule, neque privatus, neque consul legem esse umquam putasti : nam tribunis plebis [2] referentibus, sententiam de me designatus consul sæpe dixisti; ex kalendis januariis, quoad perfecta res est, de me retulisti, legem pro-

5. *Si sine populi judicio*. Cod. Car. Steph. « Si sine populo restituti videremur ». Sed etiam Cæsar, Bell. Civ. III, 1, exsules quosdam, legibus latis, a se restitutos ait, quod « statuerat, hos judicio populi debere restitui ».

6. Forte aliquid mendosum subest. J. V. L.

7. *Verum ea lege*. Qua tamquam empti consules Clodio promiserant se legem illius servaturos, id est, de Ciceronis reditu non esse ad senatum relaturos.

XXVII. 1. *Hanc*. Non quam de Macedonia et Syria, sed quam de Cicerone tulerat.

2. *Tribunis plebis*. Post IV id. decembr. quibus T. Annius, P. Sextius et alii tribunatum inierunt. — Antea quoque : vide ad cap. 2 post Redit. in Sen. Ibidem consule cap. 4.

mulgasti, tulisti: quorum tibi, si esset illa lex, nihil liceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clarissimus, quam legem esse homines alienissimi a P. Clodio judicarant, Piso et Gabinius, eam nullam esse, frater P. Clodii, quum de me ad senatum tecum una retulit, judicavit. Sed isti, qui Clodii leges timuerunt, quemadmodum ceteras observarunt? Senatus quidem, cujus est gravissimum judicium de jure legum, quotiescumque de me consultus est, toties eam nullam esse judicavit. Quod idem tu, Lentule, vidisti in ea lege, quam de me tulisti: nam non est ita latum, ut mihi Romam venire liceret, sed UT VENIREM. Non enim voluisti id, quod licebat, ferre, ut liceret; sed me ita esse in republica, magis[3] ut[4] arcessitus imperio populi romani viderer, quam ad administrandam civitatem restitutus.

Hunc tu etiam, portentosa pestis, exsulem appellare ausus es, quum tantis sceleribus esses et factis notatus, ut omnem locum, quo adisses, exsilii simillimum redderes? Quid est enim exsul? ipsum per se nomen calamitatis[5], non turpitudinis. Quando igitur est turpe? re vera, quando est pœna peccati; opinione autem hominum etiam, si est pœna damnati[6]. Utrum igitur peccato meo exsulis nomen subeo, an re judicata[7]? Peccato? jam neque tu id dicere audes,

3. Ernest. hæc permutata esse censuit, et sic constituenda, « magis ut arcessitus ad administrandam civitatem viderer, quam imperio populi romani restitutus ».

4. *Magis ut arcessitus.* Ut populus rom. magis videretur Ciceronem absentem adesse jussisse, quam jus civitatis administrandæ, quod ademptum fuerit, ei restituisse. Ernestum vocabula trajicientem ratio fugiebat.

5. *Ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis.* Vide Senecæ Consolationem ad Helviam matrem, cap. 6 et seqq.

6. *Damnati.* Sive innocens est, seu peccavit. De re hac fusius in Paradoxis disputatur.

7. *Re judicata.* Quia damnatus fuerim.

quem isti satellites tui felicem Catilinam[8] nominant, neque quisquam eorum, qui solebant: non modo jam nemo est tam imperitus, qui ea, quæ gessi in consulatu, peccata esse dicat; sed nemo est tam inimicus patriæ, qui non meis consiliis patriam conservatam esse fateatur.

XXVIII. Quod enim est in terris commune tantum, tantulumve consilium, quod non de meis rebus gestis ea, quæ mihi essent optatissima et pulcherrima, judicarit? Summum est populi romani, populorumque, et gentium omnium ac regum consilium, senatus: decrevit[1], ut omnes, qui rempublicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent; ostenditque, nec stare potuisse rempublicam, si ego non fuissem[2], nec futuram esse ullam, si non rediissem. Proximus est huic dignitati ordo equester: omnes omnium publicanorum societates[3] de meo

8. *Felicem Catilinam*. Qui, quod Catilina non potuit, Ciceronem ejecerit.

XXVIII. 1. *Decrevit*. De hoc decreto in ea post reditum in senatu.

2. Alii male, « si ego non fuissem restitutus ». J. V. L. — Tullius hic demonstrandum sumit, « de suis rebus gestis, quum consul patriam conservavit », omnes judicasse præclare: non ea, quæ gessit in consulatu, peccata, sed merita in remp. fuisse immortalia. Hoc ergo erat præcipue ex illo, quod commemoratur, SC. deducendum; quod in vulgata lectione non fit. Senatus autem reip. conservatæ laudem Ciceroni dedit, quum patefacta et oppressa ab eo consule conjuratio fuit, ut constat ex III in Catil. 6, et eamdem tum confirmavit, quum eum alii omnibus revocandum censuit, « qui remp. salvam vellent »: qui nimirum et a Tullio cos. conservatam gauderent, et in posterum averti nollent; quum illius conservatæ pœnam Cicero iniquam et nefariam sustineret. Appositus est locus post Redit. in Sen. 11, de Cn. Pompeio: « Qui non solum apud vos, qui omnes idem sentiebatis, sed etiam apud universum populum, populi romani salutem et conservatam per me, et conjunctam esse cum mea dixerit ». Hæc eadem suo decreto senatus ostendit: quorum posterius diluceide posteriori membro disjunctionis exprimitur, « nec futuram esse ullam, si non rediissem ». Simile illud est L. Gellii de Cicerone testimonium, quod ab eo refertur ibid. ad Quir. 7, his verbis: « Si ego consul, quum fui, non fuissem, remp. funditus interituram fuisse ».

3. *Omnes omnium publicanorum societates*. Qui omnes equestris erant ordinis.

consulatu, ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt. Scribæ[4], qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempublicam beneficiis suum judicium decretumque esse voluerunt. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani[5] aut montani[6] (quoniam plebei quoque urbanæ majores nostri conventicula[7], et quasi consilia quædam esse voluerunt), qui non amplissime, non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverint. Nam quid ego illa divina atque immortalia municipiorum, et coloniarum, et totius Italiæ decreta commemorem, quibus, tamquam gradibus, mihi videor in cælum adscendisse, non solum in patriam revertisse?

Ille vero dies qui fuit, quum te, P. Lentule, legem de me ferentem populus romanus vidit[8], sensitque, quantus et quanta dignitate esses? Constat enim[9], nullis umquam comitiis, campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse[10]. Omitto civitatum, na-

4. *Scribæ.* De scribis vide Sigon. de Antiquo jure civium romanorum, II, 9, quem ordinem tamen quum minus honestum esse putat, ex hoc loco revincitur, ubi statim equestri ordini subjiciuntur. Vide ad III in Verr. 79.

5. *Nulli pagani.* Plebs urbana in pagos est a Ser. Tullio, teste Dionysio tributa. Unde et Q. Frater in libello de Petitione: « Deinde habe oratores urbis totius, collegium omnium pagorum, vicinitatum; ex iis principes ad amicitiam tuam si adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis ». Cf. Sigon. de Antiquo jure civium rom. II, cap. 7.

6. *Aut montani.* Qui illi ex plebe romana montani, distincti a paganis? Romæ in montibus habitabant plerumque propter aeris salubritatem cives beatiores, unde dicebantur descendere, quum prodirent, ut alibi notavimus; populus vero degebat in plano, et vallibus, qui inter illos erant montes.

7. *Conventicula.* A Numa rege instituta, ut Plutarchus, Plinius et Florus testantur. — Vide de his collegiis et conventiculis opificum, et artificum, Sigon. de Antiquo jure civium romanorum, lib. II, cap. 12.

8. Alii, «ipse vidit».

9. Abest *enim.*

10. *Floruisse.* Pro Sextio, circa finem: « Hunc ego reditum repudia-

tionum, provinciarum, regum, orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum judicium, unumque consensum: adventus meus atque introitus in urbem qui fuit? utrum me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit, an ut crudelem tyrannum? quod vos Catilinæ gregales de me dicere solebatis. Itaque ille unus dies, quo die me populus romanus a porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate lætitiaque comitatum [11] honestavit, tantæ mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa vis, non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse videatur. Quare illa calamitas (si ita est appellanda) excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat jam reprehendere consulatum meum tot, tantis, tam ornatis judiciis, testimoniis, auctoritatibus comprobatum.

XXIX. Quod si in isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum objectas, sed etiam laudem illustras meam; quid te aut fieri, aut fingi dementius potest? Uno enim maledicto, bis a me patriam servatam esse concedis: semel [1], quum id feci, quod omnes non negent immortalitati, si fieri potest, mandandum; tu supplicio puniendum putasti; iterum, quum tuum, multorumque propter te [2], inflammatum in bonos omnes impetum, meo corpore excepi, ne eam civitatem, quam servassem inermis, armatus in discrimen adducerem.

Esto, non fuit in me pœna ulla peccati; at fuit ju-

rem, qui ita florens fuit, ut verear, ne quis me studio gloriæ putet idcirco exisse, ut ita redirem ».

11. Græv. e cod. Franc. « ac comitatu ». J. V. L.

XXIX. 1. *Semel.* Quum Catilinam urbe depulit.

2. *Quum tuum, multorumque propter te.* Quorum impetus a te erat accensus.

dicii. Cujus? quis me umquam ulla lege [3] interrogavit? quis postulavit? quis diem dixit? Potest igitur damnati pœnam sustinere indemnatus? hoc tribunitium est? hoc populare? quamquam ubi tu te popularem, nisi quum pro populo fecisti [4], potes dicere? Scilicet quum hoc juris a majoribus proditum sit, ut nemo civis romanus aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit: quod tu ipse potuisti in tua causa [5] discere.

Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, AUCTORNE ESSES, UT IN TE P. FONTEIUS VITÆ NECISQUE POTESTATEM HABERET, UT IN FILIO [6]. Quæro, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id XXX curiæ [7] jussissent, num id jussum esset ratum? Certe non. Quid ita? Quia jus a majoribus nostris, qui non ficte et fallaciter populares, sed vere et sapienter fuerunt, ita comparatum est, ut civis romanus libertatem nemo possit [8] invitus amittere. Quin etiam, si [9] decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, ta-

3. *Ulla lege.* Secundum ullius legis verba et formulam.

4. *Pro populo fecisti.* Ambigue positum, quum sit populi causam tueri, aut pro eo sacra facere, quod sacerdotum est, ut ad Attic. I, 12, 13. Pungitur acerbe Clodius, renovata illius temporis memoria, quum Pompeiæ, Cæsaris uxoris, amore flagrans, ad sacra Bonæ Deæ muliebri vestitu, quasi et ipse pro populo facturus accessit. Sic optime locum explicat Manutius, in quo hæsere plerique interpretes.

5. *Ipse potuisti in tua causa discere.* Quum a Fonteio te adoptandum curavisti.

6. *Ut in filio.* Quæ adoptionis per populi rogationem verba erant: « Velitis, jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset; utique ei vitæ necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est. Hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo ». Vide A. Gellium, V, 19.

7. Cod. Franc. « triginta cives », quod non displicebat Grævio. J. V. L.

8. Sic Lamb. Græv. Olivet. Lall. Oxon. edd. Alii, *posset*.

9. *Si decemviri.* Nihil aliud hæc verba sibi volunt, quam etsi decemviri pronuntiarint illum, qui sacramento contenderet, « ni liber esset », pecuniam perdidisse.

men, quotiescumque vellet quis, in hoc genere[10] solo rem judicatam referre posse voluerunt. Civitatem vero nemo umquam ullo populi jussu amittet invitus.

XXX. Qui cives romani[1] in colonias latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant : id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, et aquæ, et ignis interdictione faciebant.

Populus romanus, L. Sulla[2] dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem[3] ademit; ademit iisdem agros. De agris ratum est; fuit enim populi potestas : de civitate, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc vero[4] Volaterranis, quum etiam tum essent in armis, L. Sulla victor, republica recuperata, comitiis

10. *In hoc genere solo rem judicatam*, etc. Vett. edd. « hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerunt ». J. V. L.

XXX. 1. *Qui cives rom.* Quicumque civis rom. in colonias latinas erat deductus, non ante fiebat Latinus, quam nomen ipse professus erat. De tota hac juris disceptatione vide pro Cæc. cap. 33, ubi plura comparanda sunt.

2. *Sulla.* Vid. lex Cornelia de civitate, et in orat. pro Cæcin. quam nos exposuimus. Appian. quoque, Civ. II, scribit, eum, posteaquam in singulis hominibus crudelitatem exercuisset, oppida adortum, ea aut mœnibus nudasse, aut tributis adflixisse, aut civitatem paullo ante a senatu datam eripuisse. Hinc illud Sallustii in Catilinaria : « Etruriam novarum rerum cupidam consule Cicerone fuisse, quod Sullæ dominatione agros, bonaque omnia amiserat ».

3. *Municipiis civitatem ademit ; ademit iisdem agros.* Codex Barb. et prior Ven. « municipiis civitatem ademit, eisdem agros. » Adstipulantur his Rom. altera Ven. et Hervagius, nisi quod illæ *hisdem*, hic habet *iisdem*. Naugerius, qui vocem *ademit* geminat, retinet tamen *eisdem*. Hanc ceteri geminationem adoptarunt : et sæpe codices semel ponunt, quod bis erat ponendum.

4. *Hanc vero.* Est autem argumentum a majori. Sulla non potuit Volaterranis civitatem adimere, etc. Clodius Ciceroni consulari potuit ?

centuriatis, civitatem eripere non potuit; hodieque Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate: consulari homini P. Clodius, eversa republica, civitatem adimere potuit, concilio advocato[5], conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum, Sedulio principe, qui se illo die confirmavit Romæ non fuisse? Quod si non fuit, quid te audacius, qui ejus nomen[6] incideris? quid desperatius, qui ne ementiendo quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? Sin autem is primus scivit, quod facile potuit, propter inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non juret se Gadibus fuisse, quum tu te fuisse Interamnæ[7] probaveris?

Hoc tu igitur homo popularis jure munitam civitatem et libertatem nostram putas esse oportere, ut, si, tribuno plebis rogante, VELITIS, JUBEATISNE, Sedulii centum se velle et jubere dixerint, possit unusquisque nostrum amittere[8]? Tum igitur majores nostri populares non fuerunt, qui de civitate et libertate ea jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum, nec res [tum[9]] judicata, nec denique universi populi romani potestas, quæ ceteris in rebus est maxima, labefactare possit[10].

5. *Concilio advocato. Concilium* solius plebis esse, sæpe a nobis dictum est. Itaque centuriata comitia concilio advocato nunc opponit.

6. Frustra defendit vulgatam Ern. « in ejus nomen ». Gronov. Garaton. Beck. Schütz. dederunt id, quod prætulimus. Lallem. « in æa ejus nomen ». J. V. L.

7. *Interamnæ*. Nam P. Clodius de incestu accusatus juravit, se illo die *Interamnæ* fuisse.

8. *Possit unusquisque nostrum amittere?* Gruterus hoc ita reliquit, ut in Lambinianis invenerat, eumque Grævius, et Verb. et Ernest. sequuti sunt. Sed erant una voce auctiores antea editi; habent enim, *amittere civitatem?* neque aliter codex Barberinus.

9. *Tum.* Voculam *tum*, qua item carent cod. Barb. Rom. ambæ Venetæ, Hervag. et Lamb. perperam retulerunt Verburg. Oliv. et Ern.

10. *Labefactare possit*. Ernest. *labefactare posset*. J. V. L.

At tu etiam, ereptor civitatis, legem de injuriis publicis[11] tulisti Anagnino nescio cui Menulæ per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis ædibus posuit; ut locus ipse, in tua tanta injuria, legem et inscriptionem statuæ refelleret: quæ res municipibus Anagninis ornatissimis[12] multo majori dolori fuit, quam quæ idem ille gladiator scelera Anagniæ fecerat.

XXXI. Quid? si[1] ne scriptum quidem umquam[2] est in ista ipsa rogatione, quam se Sedulius negat scivisse; tu hujus, ut acta tui præclari tribunatus hominis dignitate cohonestes, auctoritatem amplecteris?

Sed, tametsi nihil de me tulisti, quo minus essem non modo in civium numero, sed etiam in eo loco, in quo me honores populi romani collocaverunt: tamenne eum tua voce violabis, quem post nefarium scelus consulum superiorum, tot vides judiciis senatus, populi romani, totius Italiæ honestatum? quem ne tum quidem, quum aberam, negare poteras esse tua lege senatorem? Ubi enim tuleras, ut mihi aqua et igni interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio[3], Saturninus de Metello tulit: homines seditiosissimi de optimis ac fortissimis civibus non, ut esset interdictum, quod ferri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. Ubi cavisti, ne meo me loco censor

11. *Legem de injuriis publicis*. Videtur Clodius aliquam legem de injuriis publicis tulisse, ut gratificaretur homini, qui quum multa scelera in municipes suos commisisset, eorum graves iras metuebat. Illam ob rem testandæ gratiæ causa Clodio statuam posuerat in area domus Ciceronianæ.

12. Ernest. resecuit *ornatissimis*.

XXXI. 1. *Quod si ne scriptum quidem umquam est*. Etiam pag. insequenti negat pœnam interdictionis in ipsa rogatione perscriptam.

2. *Umquam*. Gulielm. conjicit *usquam*. J.V. L.

3. *Gracchus de P. Popillio*. Vid. lex Sempronia de jure civitatis, in Indice. Item, Apuleia de Metello.

in senatum legeret? quod de omnibus, etiam quibus[4] damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. Quære hoc e Sext. Clodio, scriptore legum tuarum; jube adesse: latitat omnino; sed si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se, capite demisso[5]. Sed si patrem tuum[6], civem, medius fidius, egregium, dissimilemque vestri[7], nemo umquam sanus exsulem appellavit, qui, quum de eo tribunus plebis promulgasset, adesse propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit, eique imperium est abrogatum; si in illo pœna legitima turpitudinem non habuit propter vim temporum: in me, cui dies dicta non est[8], qui reus non fui, qui numquam sum a tribuno plebis citatus, damnati pœna esse potuit, ea præsertim, quæ ne in ipsa quidem rogatione proscripta est[9]?

XXXII. At vide, quid intersit inter illum iniquissimum patris tui casum, et hanc fortunam conditionemque nostram. Patrem tuum, civem optimum, clarissimi viri filium, qui si viveret, qua severitate fuit, tu profecto non viveres, L. Philippus[1] censor avun-

4. Alii, *quibusdam;* sed non recte.

5. *Occultantem se, capite demisso.* Significat eam obscœnitatem, quam superius aliquoties jam notavit.

6. *Patrem tuum.* Appium Claudium, de quo diximus ad cap. 5 pro Arch. Hic prætor in Cinnam cum reliqua nobilitate conspiravit; dictaque die a tribuno pl. anno seq. post red. cos. 667, quum noluisset adesse, imperium sibi abrogari passus est. Hanc *pœnam legitimam* vocat Cicero, quia juxta leges die dicta citatus fuerat a tribuno, quum sibi neque diem dixerit Clodius, neque jusserit adesse: et hoc illud est, quod maxime queritur. Consul autem hic Appius postea fuit cum P. Servilio, victis jam interfectisque Marianis.

7. *Dissimilemque vestri.* Non puto hic pungi cum Clodio Appium ejus fratrem, illius anni prætorem, ut vult Manutius. Appio numquam conviciatur Cicero ob affinitatem, quam is cum Pompeio contraxerat: sed soror Clodii significatur, quacum et Publius frater rem habere, et Sex. Clodius nequissime vivere dicebatur.

8. Alii, *numquam.*

9. *Rogatione proscripta est? At vide.* Alii, «rogatione perscripta est. At vide». J. V. L.

XXXII. 1. *L. Philippus.* Celeberrimus orator.

culum suum præteriit in recitando senatu; nihil enim poterat dicere, quare rata non essent, quæ erant acta in ea republica, in qua se illis ipsis temporibus censorem esse voluisset: me L. Cotta, homo censorius, in senatu juratus dixit, se, si censor tum esset, quum ego aberam, meo loco[2] senatorem recitaturum fuisse. Quis in meum locum judicem subdidit[3]? quis meorum amicorum testamentum discessu meo[4] fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si[5] adessem? quis me non modo civis, sed socius recipere contra tuam legem et juvare dubitavit? Denique universus senatus multo ante, quam est lata lex de me[6], GRATIAS AGENDAS[7] CENSUIT CIVITATIBUS IIS, QUÆ M. TULLIUM: tantumne? immo etiam, CIVEM OPTIME DE REPUBLICA MERITUM RECEPISSENT. Et tu unus pestifer civis eum restitutum negas esse civem, quem ejectum universus senatus non modo civem, sed etiam egregium civem semper putavit?

At vero, ut annales populi romani et monumenta vetustatis loquuntur, Kæso ille Quintius[8], et M. Fu-

2. *Meo loco.* Foturum fuisse ut meum nomen, de more, inter consulares referret, quippe qui non exsulem, sed tantum a senatu absim.

3. *Judicem subdidit.* Erant judicum decuriæ perscriptæ ex senatorum numero: in demortui autem locum alter sufficiebatur.

4. *Discessu meo.* Postquam discessi.

5. Ernest. putat excidisse aliquot syllabas, et fuisse, «quod tribueret, si adessem». J. V. L.

6. Alii, «lata lex, de me GRAT. etc.» J. V. L.

7. *Gratias agendas.* Duæ fuerant a senatu ad exteras gentes missæ epistolæ, quarum altera iis magni exsulis salus commendabatur, altera posteriore iisdem gratiæ agebantur, quod eum passim errantem benevole recepissent. Confer in Pison. cap. 15; pro Sext. cap. 60, et apud Plutarch. in vit. Cicer.

8. *Kæso ille Quintius.* Significatur Kæso Quintius, L. Quintii Cincinnati filius, qui, populo clamoribus tribunitiis concitato, juvenis optime de republica meritus, ad Tuscos exsulatum abiit. T. Livius libro III Annal. —Recte Manutius scribendum curavit *Kæso* pro *Cæso*, ut vulgat. Vid. Schott. ad Auct. de Viris Illustr. XVII, et Drakenb. ad Liv. II, 41.

rius Camillus, et M. Servilius Ahala [9], quum essent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt; damnatique comitiis centuriatis [10] quum in exsilium profugissent, rursus ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti. Quod si his [11] damnatis non modo non imminuit calamitas clarissimi nominis gloriam, sed etiam honestavit: nam, etsi optabilius est, cursum vitæ conficere sine dolore, et sine injuria; tamen ad immortalitatem gloriæ plus affert, desideratum esse a suis civibus, quam omnino numquam esse violatum: mihi, sine ullo judicio populi profecto, tum amplissimis omnium judiciis restituto, maledicti locum, aut criminis obtinebit? Fortis et constans in optima ratione civis P. Popillius [12] semper fuit; tamen ejus in omni vita nihil est ad laudem illustrius, quam calamitas ipsa. Quis enim jam meminisset, eum bene de republica meritum, nisi et ab improbis expulsus esset, et per bonos restitutus? Q. Metelli præclarum imperium in re militari fuit, egregia censura, omnis vita plena gravitatis; tamen hujus viri laudem ad sempiternam memoriam temporis calamitas propagavit.

XXXIII. Quod si et illis, qui expulsi sunt inique, sed tamen legibus reducti, inimicis interfectis [1], rogationibus tribunitiis, non auctoritate senatus, non

9. *M. Servilius Ahala.* Optime itaque Muretus, Ursinus, Pighius C. Servilium Ahalam ubique nominarunt.

10. *Comitiis centuriatis.* Consuetudo erat, ut si quis ante comitia centuriata solum vertisset exsilii causa, plebs tributis sciseret, id ei justum exsilium esset. Vide Livium, lib. XXVI, cap. 3; Dionys. Halicarn. lib. X, cap. 5.

11. Alii, *iis.*

12. *P. Popillius.* Et de Popillio et de Metello dictum est in extremo orat. post Red. in Senatu.

XXXIII. 1. *Inimicis interfectis.* C. Graccho Popillio, Saturnino Metello.

comitiis centuriatis[2], non decretis Italiæ, non desiderio civitatis, inimicorum injuria probro non fuit; in me, qui profectus sum integer[3], abfui simul cum republica, redii cum maxima dignitate[4], te vivo, fratre tuo altero consule reducente, altero prætore petente[5], tuum scelus, meum probrum putas esse oportere? Ac, si me populus romanus incitatus iracundia, aut invidia, e civitate ejecisset, idemque postea mea in rempublicam beneficia recordatus, se collegisset, temeritatem atque injuriam suam restitutione mea reprehendisset; tamen profecto nemo tam esset amens, qui mihi populi tale judicium non dignitati potius, quam dedecori putaret esse oportere. Nunc vero, quum me in judicium populi nemo omnium vocarit; condemnari non potuerim, qui accusatus non sim; denique ne expulsus quidem ita sim, ut, si contenderem, superare non possem; contraque a populo romano semper sim defensus, amplificatus,

2. *Comitiis centuriatis*. Legem ferente Lentulo consule.

3. *Integer*. Nulla ex lege damnatus.

4. *Redii cum max. dignitate*. Alii habent «dicam max. cum dignitate». J. V. L. — Sed male qui, *indignitate*.

5. *Petente*. Paullus Manutius in notis vere omnino ac feliciter emendavit *patiente*. Commutari solere *pati* et *peti* docet Drak. ad Liv. II, 35. Meliores codices nihil offerunt: manifesto enim depravati sunt ex proximo verbo *reducente*: nisi forte partem alterius lectionis, «non contradicente», ab iis retentâm velis. Libri Græviani cum reliquis omnibus tam scriptis, quam editis, *petente*. Sed Appius Claudius frater Publii germanus, quum eorum patruelis Q. Metellus Nepos cos. Ciceroni faverit, non petiit a quoquam, ut Tullius reduceretur; verum tantummodo passus est, non est adversatus; quod ipsum in beneficii loco erat ponendum; satis enim fuit ab illo fratrem germanum adjutum non fuisse. Audiamus Ciceronem ipsum in Pison. 15: «De me quum omnes magistratus promulgassent, præter unum prætorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, etc.» Ibi Asconius, «P. Clodii Appius Claudius frater fuit». Itaque post Redit. in Sen. 9, quum septem prætoribus nominatim agantur gratiæ, octavus hic Appius præteritur. Hoc autem loco idne confirmatur, quod contra Manut. disputat Ferrat. ad cap. 31, hunc Appium cum Publio simul ibi non pungi? Vide quæ fusius ad cap. 43 de Appio dicturi sumus.

ornatus; quid est, quare quisquam mihi se ipsa[6] populari ratione anteponat?

An tu populum romanum esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus? ut obsideant senatum? optent quotidie[7] cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum, nisi tabernis clausis, frequentare[8] non poteras : cui populo duces Lentidios[9], Lollios, Plaguleios, Sergios præfeceras. O speciem dignitatemque populi romani, quam reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimescant[10], multitudinem hominum ex servis[11], ex conductis, ex facinorosis, ex egentibus congregatam! Illa fuit pulchritudo populi romani, illa forma, quam in campo vidisti tum, quum etiam tibi, contra senatus totiusque Italiæ auctoritatem et studium, dicendi potestas fuit. Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die, scelerate, vidisti tum, quum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium, suffragium se, non de civis, sed de civitatis salute ferre censebant; quum denique homines in campum, non tabernis, sed municipiis clausis, venerunt.

XXXIV. Hoc ego populo, si tum consules aut fuissent in republica, aut omnino non fuissent, nullo la-

6. *Ipsa.* Ex ea ipsa, quam tu sequeris, ratione.

7. *Optent quotidie.* Singularis est lectio codicis Car. Stephani, « optent Catilinæ cædem, incendia, rapinas? » quæ nempe omnia Catilina paraverat : ut eadem hos efficere cupere intelligamus, qui ex illius, ut sæpe dicitur, grege remanserant, et in Clodianum venerant.

8. *Frequentare.* Cogere, congregare. Vide Græv. ad IV in Catil. 7.

9. *Lentidios.* Hunc nominat in Sextiana: « Accusa Lentidium, non percussit locum ».

10. *Pertimescant.* Alii, *pertimescunt.* J. V. L.

11. *Multitudinem hominum ex servis.* Alii, « ex servis conductis ». J. V. L.

bore, tuo præcipiti furori atque impio sceleri restitissem. Sed publicam causam contra vim armatam sine populi præsidio[1] suscipere nolui: non quo mihi P. Scipionis, fortissimi viri, vis intima[2], privati hominis, displiceret; sed Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda republica putabatur fuisse segnior, gesta[3], multis senatusconsultis non modo defendit, sed etiam ornavit: mihi aut, te interfecto, cum consulibus, aut, te vivo, et tecum, et cum illis, armis decertandum fuit. Erant eo tempore multa etiam alia metuenda; ad servos[4], medius fidius, res pervenisset: tantum homines impios ex vetere illa conjuratione inustum nefariis mentibus bonorum odium retinebat[5].

XXXIV. 1. *Sine populi præsidio.* Erepto mihi a te tribuno, et a consulibus, ait Manutius. Atqui Tullius modo dixerat *hoc populo*, nempe hujus populi auxilio, facile se Clodium superaturum fuisse. Quomodo igitur Clodius Tullium populi præsidio nudarat? Quid autem aliud hoc loco dicitur, nisi populum romanum ita Ciceroni favisse, ut vires inde non mediocres ipsi suppeterent, quas operis Clodianis opponeret? Neque vero has ei consules ademerant, quibus contra ipsos consules, ut infra dicitur, omnesque conjurationis reliquias pugnandum fuisset: «Scio, inquit pro Sext. 19, tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse». Sed maxime conferenda illa Sextiana est, cap. 17, 18, 19, ut quæ Tullium a vi deterruerint, planissime intelligantur. Sensus itaque hujus loci summatim est; se noluisse armis decertare cum Clodio, cujus manum summo studio populi facile superasset, quod alia erant metuenda majora, quæ in Sextiana copiose exponuntur. Quin etiam Ciceronem «Lucullus manere jussit, victoriam quippe consecuturum», Λούκουλλος ἐκέλευε μένειν, ὡς περιεσόμενον, ut narrat Plutarchus in Cic. cap. 31. Confer denique pro Plancio, cap. 35, 36. — Mallet itaque Garaton. «sine publico præsidio», h. e. sine publica auctoritate. Explicat Ernestus, «quum populus præsidio ipse careret et armatis Clodianis esset obnoxius».

2. Manut. conjicit *ultima*.

3. *Gesta*. Tum enim re per Scipionem fortiter gesta, ipsum et reliquos optimates aperte P. Mucius defendit, qui vivo Graccho favisse putabatur. Cf. Cic. Acad. IV, 5. Frustra correxit Ernest. *gestam*. Nos Garatonium cum Wolfio sequimur.

4. *Ad servos*. Qui arma contra bonos cives cepissent.

5. *Bonorum odium retinebat*. Man. et Lamb. conjiciunt *tenebat*, quod ipsum antea dederat Hervagius. Vulgatam ceteri libri tuentur, quam con-

Hic tu me etiam gloriari vetas; negas esse ferenda, quæ soleam de me prædicare; et homo facetus inducis etiam sermonem urbanum ac venustum: me dicere solere, esse me Jovem; eumdemque dictitare, Minervam esse sororem meam. Non tam insolens sum[6], quod Jovem esse me dico, quam ineruditus[7], quod Minervam sororem Jovis esse existimo: sed tamen, ego mihi sororem virginem adscisco; tu sororem tuam virginem esse non sivisti. Sed vide, ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eamdem sororem et uxorem appellare possis.

XXXV. Et quoniam hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius prædicare, quis um-

versis casibus explicat Ernest. tantum homines impii odium retinebant. Sed verius dici putem, compositum hic pro simplici esse positum. Ita IV in Verr. 34, de signo Dianæ, « sinistra manu retinebat arcum »: Liv. XXI, 45, «agnum læva manu, dextra silicem retinens»: quibus multi similes loci sunt. Vide ad cap. 6 pro Rosc. Com. et Cortium ad Sall. Jug. IV, 9.

6. *Insolens sum.* Qui omnem emendandi occasionem captant, sensum aiunt hic esse nullum. Atqui et aliquem video, et valde Ciceronianum, hoc est, salsum ac facetum. Age, veniamus quasi in rem præsentem. Oratori de suo consulatu, et republica conservata sæpius, quam aures hominum ferre possent, glorianti hoc objicit Clodius: « Ista gloriatione tu te Jovem esse dicis, Minervam tibi facis sororem ». Imperite dictum: non enim Minerva Jovis soror, sed filia. Sui sane, atque artis immemor Cicero ait, neque minus Clodio fatuus, si stolidam criminationem serio depellat. Joco mavult agere, et jocandi erat locus. Ain' vero, inquit, dicere soleo, esse me Jovem? Idem dictito, Minervam esse sororem meam: eo nimirum, quod ego sim Jupiter? Arroganter dictum, sed tamen docte. Immo docte magis, quam arroganter, ut non tam culpanda videatur insolentia dicentis Jovem me esse, quam suspicienda eruditio existimantis Minervam esse sororem Jovis. Unde autem fatua hæc manarit accusatio, si quis forte quærat, inde, opinor, quod se *Urbis Servatorem* esse jactaret Cicero, et *Servator, Conservator,* titulus sit Jovis proprius. De Minerva narrat Plutarch. in vita Cic. quod hic, quum amicorum sequutus consilium decrevisset cedere Clodiano furori, atque abire, signum Minervæ, quod magna in veneratione diu habuerat domi, in Capitolio posuit, ibique dedicavit, cum hac inscriptione: MINERVAE. VRBIS. ROMAE. PRAESIDI. Quæ quidem de Minerva animadversio an huc fortasse faciat, videbunt critici.

7. Alii multi, *eruditus*, per ironiam. J. V. L.

quam audivit, quum ego de me, nisi coactus ac necessario dicerem? Nam si, quum mihi furta, largitiones, libidines objiciuntur, ego respondere soleo, meis consiliis, periculis, laboribus, patriam esse conservatam, non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de objectis non confiteri [1]: sed si mihi ante hæc durissima reipublicæ tempora nihil umquam aliud objectum est, nisi crudelitas [2] illius temporis, quum a patria perniciem depuli; quid? me huic maledicto utrum non respondere, an demisse [3] respondere decuit? Ego vero etiam reipublicæ semper interesse putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriæ, gessissem, splendorem verbis dignitatemque retinere: præsertim quum mihi uni in hac republica, audiente populo romano [4], opera mea hanc urbem et hanc rempublicam esse salvam, jurato dicere fas fuisset. Exstinctum est [5] jam illud maledictum crudelitatis, quod me, non ut crudelem tyrannum, sed ut mitissimum parentem, omnium civium studiis desideratum, repetitum, arcessitum vident. Aliud exortum est: objicitur mihi meus ille discessus; cui ego crimini respondere sine mea maxima laude non possum. Quid enim, pontifices, debeo dicere? Peccati me conscientia profugisse? at id, quod mihi crimini dabatur, non modo peccatum non erat, sed

XXXV. 1. Alii codices, « quam de objectis confiteri ». Forte rectius.

2. *Crudelitas illius temporis.* Quo Catilinæ conjurationem oppressit. — *Crudelitas illius temporis.* Turing. Victor. Pal. ex. « crudelitas ea unius ». Ita etiam cod. Car. Steph.

3. *Demisse.* Lente, non acriter, non vehementer.

4. *Audiente populo romano.* Significat jusjurandum illud, de quo ad Div. lib. V, ep. 2, et in Pison.

5. *Exstinctum est jam illud maledictum crudelitatis.* Periit jam illud crudelitatis crimen, quod mihi olim objiciebatur, quum me omnes, ut mitissimum virum, desideraverint et arcessiverint.

erat res post natos homines pulcherrima. Judicium populi pertimuisse? at id nec propositum ullum fuit; et, si fuisset, duplicata gloria[6] discessissem[7]. Bonorum mihi præsidium defuisse? falsum est. Me mortem timuisse? turpe est.

XXXVI. Dicendum igitur est id, quod non dicerem, nisi coactus (nihil enim umquam de me dixi sublatius, adsciscendæ laudis causa potius, quam criminis depellendi); dico igitur, et quam possum maxima voce dico: Quum omnium perditorum et conjuratorum incitata vis[1], duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus romanis, suspensa ac sollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret, quam per me in omnes bonos: me vidisse, si vicissem, tenues reipublicæ reliquias; si victus essem, nullas futuras. Quod quum judicassem, deflevi conjugis miseræ discidium[2], liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum, subitas fundatissimæ familiæ ruinas: sed his omnibus rebus vitam anteposui meorum civium; remque publicam concidere[3] unius discessu, quam omnium interitu occi-

6. *Duplicata gloria.* Una pulcherrimi facti, altera judicis populi factum comprobantis.

7. *Discessissem.* Ex judicio absolutus.

XXXVI. 1. *Incitata vis.* Alii, *incita vis.* J. V. L.

2. *Conjugis miseræ discidium.* Sic est legendum, non ut vulgo, *conjugis miseræ dissidium.* Non enim fuit inter M. Tullium et Terentiam dissidium, sed M. Tullio in exilium pulso, factum est viri et uxoris discidium. *Discidium* autem, id est, distractio, divulsio, discissio, a verbo discindo.

3. *Concidere.* Significat Cic. rempublicam suo discessu concidisse: sin autem omnes interiissent, funditus occasuram fuisse. Procul dubio Cicero lusit in vocibus *concidere* et *occidere*. Quoties in hac oratione et præcedente, dicit rempublicam suo discessu fuisse afflictam, et si non rediisset plane perituram fuisse? Superius cap. 33: « Abfuisse secum rempublicam » ait, hoc est, fere fuisse rempublicam, sive concidisse; cap. 29: « Utrum me patria sic accepit, ut lucem, salutemque redditam sibi, ac restitutam accipere debuit », et passim.

dere malui. Speravi, id quod accidit, me jacentem posse a vivis viris fortibus excitari; si una cum bonis interiissem, nullo modo posse recreari. Accepi, pontifices, magnum atque incredibilem dolorem : non nego; neque istam mihi adscisco sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse atque afflicto loquebantur. An ego poteram, quum a tot rerum tanta varietate[4] divellerer, quas idcirco prætereo, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum, infitiari me esse hominem, et communem naturæ sensum repudiare? Tum vero neque illud meum factum laudabile, nec beneficium ullum a me in rempublicam profectum dicerem, si quidem ea reipublicæ causa reliquissem, quibus æquo animo carerem; eamque animi[5] duritiam, sicut corporis, quod, quum uritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem.

XXXVII. Suscipere tantos animi dolores, atque ea, quæ, capta urbe, accidunt victis, stante urbe, unum perpeti, et jam se videre distrahi a complexu suorum, disturbari tecta, diripi fortunas, patriæ denique causa patriam ipsam amittere, spoliari populi romani beneficiis amplissimis, præcipitari ex altissimo dignitatis gradu, videre prætextatos inimicos[1], nondum morte complorata, arbitria petentes funeris[2]; hæc

4. *Quum a tot rerum tanta varietate divellerer.* Hoc est, a tot rebus variis. Harum multitudo et varietas in infra posita enumeratione perspicitur.

5. *Animi duritiam.* Sententia est Crantoris ex Dispp. Tuscul. III, 6 : « Minime assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant; quæ nec potest ulla esse, nec debet. Istud nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore ».

XXXVII. 1. *Prætextatos inimicos.* Quod magistratuum est insigne.

2. *Arbitria funeris* consules hic petisse, in Pison. 9, accepisse, Clodium autem solvisse p. r. in Sen. 7, dicit orator. Hoc multi explicare conati sunt, Mattius Opin. III, 8; Turnebus, Advers. XXVIII, 2; Cujacius

omnia subire conservandorum civium causa, atque ita, ut dolenter absis, non tam sapiens, quam ii, qui nihil curant, sed tam amans tuorum ac tui, quam communis humanitas postulat: ea laus præclara atque divina. Nam qui ea, quæ numquam cara ac jucunda duxit, animo æquo reipublicæ causa deserit, nullam benivolentiam insignem in rempublicam declarat: qui autem ea relinquit, reipublicæ causa, a quibus cum summo dolore divellitur, ei patria cara est, cujus salutem caritati anteponit suorum. Quare

ad IV Quæst. Paoli t. V, pag. 988; Pareus in Lex. Crit. p. 109; Gnther. II, de 9 Pont. 9; J. F. Gronovius ad Liv. II, 9; Ernestus in Ind. Gesnerus in Thes. L. L. Hornm plerique cum Hottomanno recte statnerunt, mercedem, pretinm, impensam fnneris intelligi, sed ex loci sensu, noo ex verbi explorata ratione. Nam id quidem adhuc obscurum reor: in qno Mattius et Abramius vehementer erraruut, aliis tam parum explaoatio processit, nt ii videantur fecisse prudentins, qui, rem quum viderint, de verbo solliciti non fuerunt. Heoman. ad cap. 7 in Sen. Consules, tamqnam in bonis reipnbl. coberedes, arbitria familiæ erciscundæ, debitam nimirum ex arbitri sententia portionem accepisse, interpretatur. Sed ita vocem *funeris* expedire oon potuit. Cojacios et Turnebus (apud quos male legitur *arbitraria*), quod fuoeris modos, et impeosa in alicujus arbitrium testamento conferri soleret, idcirco pecuniam in fuons erogatam, quasi arbitri æstimationem, *arbitrium* appellari censebant. Gronovins banc locutionem ad certas illas pensiones retulit, quibos a publicaois rei alicujus vendendæ arbitrinm redimebator, nt omne ad ipsos ex ea re locrum redondaret. Ejns arbitrii exemplum babet Alfeous Varus in Pandect. XXXIX, 4, 15. Obscurum Gronovii dictum unus interpretari conatus Gesnerus est, pretiomque intellexit, quo Clodio rempubl. funerandam consules addixerunt. Sed is mirifice rem omnem implicavit, quam se declarare potabat. Illud quidem compertum est, quod nemo attendit, locari funera consuevisse. Vide Kirchman. de Foner. I, 9. Cum libitinariis, nt in eam pompam omnia præbereot, certa mercede paciscendom erat. Jam bæc merces æstimatio erat multarum et rerum, et operarum. Socii condnctionis videntor foisse dissignatores, quos *funerum arbitros* Tertullianus appellat de Spect. 10, qooniam in libitinariorum operis eos noo foisse docent tabolæ Heracl. pag. 415. Lndi antem gladiatorii accedebant, immo etiam epulum publicum in amplissimis, quæ hoc decet referre, funeribus. Quid oi bæc qooque locata fuerint? Hanc mercedum varietatem fortasse indicat Cicero, dum non *arbitrium* dicit, verum *arbitria*. Consules ergo, tamquam funeris reip. condnctores, iidemque arbitri, amplissimam, quam ipsi fecerant, ejus foneris æstimationem a Clodio, morte illa vix obita, postularuot, provincias nempe, et quæ alibi commemorantnr.

disrumpatur licet ista furia, atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit. Bis servavi[3], ut consul togatus armatos vicerim, privatus consulibus armatis cesserim. Utriusque temporis fructum tuli maximum: superioris, quod ex senatus auctoritate, et senatum, et omnes bonos, meæ salutis causa, mutata veste vidi; posterioris, quod et senatus, et populus romanus, et omnes mortales, et privatim, et publice judicarunt, sine meo reditu rempublicam salvam esse non posse.

Sed hic meus reditus, pontifices, vestro judicio continetur. Nam, si vos me in meis ædibus collocatis, id quod[4] in omni mea causa semper studiis, consiliis, auctoritatibus, sententiisque fecistis; video me plane ac sentio restitutum. Sin mea domus non modo mihi non redditur, sed etiam monumentum præbet inimico doloris mei, sceleris sui, publicæ calamitatis; quis erit, qui hunc reditum potius, quam pœnam sempiternam putet? In conspectu[5] præterea totius urbis domus est mea, pontifices: in qua si manet illud non monumentum urbis, sed sepulcrum, inimico nomine inscriptum; demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua tropæa et de me, et de republica videam constituta.

XXXVIII. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam possim, ut, cujus urbis servatorem me esse senatus omnium assensu toties judicarit, in ea possim intueri domum meam

3. *Bis servavi.* Alii, post Olivetum ex Lambino, *Rempublicam his servavi.* Quod minus necessarium videbitur, si præcedentibus paullum attenderis. J. V. L.

4. *Id quod in omni mea causa.* Sic in extrema orat. « Quæso, obtestorque vos, pontifices, ut me quem auctoritate, studio, sententiis restituistis, nunc manibus vestris collocetis ». Significat eos, quum in senatu sententias dicerent, sibi perpetuo suffragatos fuisse.

5. *In conspectu præterea.* In Palatino colle, loco edito et celebri: ut paullo post: « In Palatio, atque in pulcherrimo urbis loco ».

eversam, non ab inimico meo, sed ab hoste communi, et ab eodem exstructam[1] et positam in oculis civitatis, ne umquam conquiescere possit fletus bonorum? Sp. Melii[2], regnum appetentis, domus est complanata. Ecquid aliud? æquum accidisse Melio populus romanus judicavit: nomine ipso Æquimelii[3], stultitia[4] pœna comprobata est. Sp. Cassii domus ob eamdem causam eversa; atque in eodem loco ædes posita Telluris[5]. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci[6], quæ publicata est et eversa, ut illius facinus memoria et nomine loci notaretur. M. Manlius, quum ab adscensu Capitolii Gallorum impetum repulisset, non fuit contentus beneficii sui gloria; regnum appetisse est judicatus: ergo ejus domum eversam duobus lucis convestitam videtis[7]. Quam igitur majores nostri sce-

XXXVIII. 1. *Ab eodem exstructam.* An possum loco domus meæ aliam aspicere ab hoste communi exstructam, ita ut hac visa bonorum virorum fletus semper redintegretur.

2. *Sp. Melii.* Nota est historia ex Livii lib. XV, et Valer. lib. XI, cap. 3, ubi hæc omnia commemorantur. Vide et Flori lib. I, c. ult. et quæ ibi docti notarunt.

3. *Æquimelii.* Inde Valerius Max. VI, 3, 1: « Eadem ausum Sp. Melium consimili exitu patria multavit; area vero domus ejus, quo *justi supplicii* notitia ad posteros perveniret, Æquimelii appellationem traxit ». Ceterum aliquid hoc loco coronæ dedisse videtur orator, quum recte vereque Æquimelium dictum fuerit, quod in æquum seu planitiem versa fuerit Melii domus; verum nisi quis auctores græcos et latinos plane ignoraverit, hunc non fugiet sæpius etyma ab eis ad utilitatem deducta, neque umquam oratores aut philosophos veteres ad amussim esse loquutos: si vacaret et Plato, et ipse Tullius notationum nihilo sane meliorum amplam materiem suppeditarent.

4. *Stultitia.* Hottomann. conjicit *stultitiæ;* Grævius vero, « nomine ipso Æquimelii Melii pœna comprobata est ». Marklandus, ut nihil mutandum sit, jubet sic interpungere, « judicavit nomine ipso Æquimelii, stultitia, etc. » J. V. L.

5. *Ædes posita Telluris.* Conferri meretur adnotatio Drak. ad Liv. II, 41, qui egregio Dionysii Halic. loco Ciceronem cum Livio conciliat.

6. *M. Vacci.* Qui Fundanorum dux contra Romanos pugnavit; ejus ædes in Palatio dirutæ Vacci prata sunt appellata. Liv. VIII, 19, 20.

7. *Duobus lucis convestitam videtis.* Inter duos lucos sitam. Videntur fuisse illi duo luci, qui erant extra portam Capenam, ubi erat Camœnarum ædes

leratis ac nefariis civibus maximam pœnam constitui posse arbitrati sunt; eamdem ego subibo ac sustinebo, ut apud posteros nostros non exstinctor conjurationis et sceleris, sed auctor et dux fuisse videar? Hanc vero, pontifices, labem turpitudinis et inconstantiæ poterit populi romani dignitas sustinere, vivo senatu, vobis principibus publici consilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci[8] ad memoriam pœnæ publice constitutæ conjuncta esse videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra salutem reipublicæ fecerat, et senatus sententia est interfectus, et ejus domus eversa et publicata est: in qua porticum post aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Ista autem fax ac furia patriæ, quum urbem, Pisone et Gabinio ducibus, cepisset, occupasset, teneret, uno eodemque tempore et clarissimi viri mortui monumenta delebat, et meam domum cum M. Flacci domo conjungebat: ut, qua pœna senatus affecerat eversorem civitatis, eadem iste, oppresso senatu, afficeret eum, quem patres conscripti custodem patriæ judicassent.

XXXIX. Hanc vero in Palatio atque in pulcherrimo urbis loco porticum esse patiemini, furoris tribunitii, sceleris consularis, crudelitatis conjuratorum, calamitatis reipublicæ, doloris mei defixum indicium ad memoriam omnium gentium sempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in rempublicam, et semper habuistis, non modo sententiis, sed, si opus esset, manibus vestris disturbare cuperetis; nisi

luco ornata a Fulvio Nobiliore, et alter lucus in quo fons erat Egeriæ, et ipse Camœnis sacer. Fuerunt enim luci duo Camœnarum.

8. *Cum domo Fulvii Flacci.* Hic ille est M. Fulvius Flaccus, qui cum C. Graccho, Tiberii fratre, a L. Opimio consule interfectus est.

quem forte[1] illius castissimi sacerdotis[2] superstitiosa dedicatio deterret.

O rem, quam homines soluti ridere non desinant, tristiores autem sine maximo dolore audire non possint! Publiusne Clodius, qui ex pontificis[3] maximi domo religionem eripuit; is in meam intulit[4]? hunccin' vos, qui estis antistites cærimoniarum et sacrorum, auctorem habetis et magistrum publicæ religionis? O dii immortales (vos enim hæc audire cupio)! P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? Hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adsunt, summorum virorum? non vestra, pontifices, gravitate abutitur? Ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? quam tu[5] eodem ore, accusando senatum, quod severe de religione decerneret, impurissime teterrimeque violasti.

XL. Adspicite, adspicite, pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur (quod est bonorum pontificum), monete eum, modum quemdam esse religionis; nimium esse superstitiosum[1] non oportere.

XXXIX. 1. *Nisi quem forte.* Transitio est ad eam partem qua nullo modo dedicatam domum fuisse probat.

2. *Castissimi sacerdotis.* Alluditur scelesto Clodii facinori, qui in domum Cæsaris, dum sacra Bonæ Deæ fierent, furtim et per stuprum penetraverat.

3. *Ex pontificis maximi domo.* C. Cæsaris, quum in opertum Bonæ Deæ ingressus est.

4. *In meam intulit.* Exstructa Libertatis æde.

5. *Quam tu.* Alii, *quum tu.* Emendationem Lambini sequuntur fere omnes. J. V. L.

XL. 1. *Superstitiosum.* Tullius hic salse exagitat Clodium, quasi nimis fuisset superstitiosus, qui voluerit videre mysteria, quæ nulli viro videre fas est. Atque Justinus etiam *superstitionem* pro religione bis usurpavit, qui XXXIX, 3, « superstitionem templi » dixit; et XLI, 3, « in superstitionibus, atque cura deorum præcipua omnibus veneratio est ». Virg. Æneid. XII, 817: « Adjuro Stygii caput implacabile fontis; Una superstitio superis quæ reddita divis ». Mazoch. Spicileg. Bib. tom. III, p. 265. Ita etiam intellexerat cel. Ernestus, qui recte observat *superstitionem* pro religione bono sensu a Tullio usurpari in Verr. IV, 51. Ceterum confer, quos ille citat, et Vossii Etymolog.

Quid tibi necesse fuit anili superstitione[2], homo fanatice[3], sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere? quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? Quem umquam audisti majorum tuorum, qui et sacra privata coluerunt, et publicis sacerdotiis præfuerunt, quum sacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuisse? neminem, ne illum quidem, qui cæcus est factus[4]. Ex quo intelligitur, multa in vita falso homines opinari : quum

2. *Anili superstitione.* Iterum ejus in opertum Bonæ Deæ ingressum significat.

3. *Fanatice.* Verbum hoc in utramque partem usurpari posse tum alii, tum hic locus demonstrat. Illud optime interpretatur vir in omni re literaria consultissimus *Voltaire*, quem vernacula lingua exscribere satius arbitramur : « *Fanaticus*, dit-il, était un titre honorable; il signifiait *desservant* ou *bienfaiteur d'un temple*. Les antiquaires, comme dit le Dictionnaire de Trévoux, ont retrouvé des inscriptions dans lesquelles des Romains considérables prenaient ce titre de *fanaticus*. Dans la Harangue de Ciceron *pro Domo sua*, il y a un passage où le mot *fanaticus* me paraît difficile à expliquer : *Adspicite, pontifices,... homo* FANATICE, etc. Le mot *fanaticus* signifie-t-il, en cette place, insensé fanatique, impitoyable fanatique, abominable fanatique, comme on l'entend aujourd'hui? ou bien signifie-t-il pieux consécrateur, homme religieux, dévot zélateur des temples? ce mot est-il ici une injure ou une louange ironique? je n'en sais pas assez pour décider, mais je vais traduire : *Regardez, pontifes, regardez cet homme religieux; avertissez-le que la religion même a ses bornes, qu'il ne faut pas être si scrupuleux. Quel besoin, vous consécrateur, vous* FANATIQUE, *quel besoin aviez-vous de recourir à des superstitions de vieille, pour assister à un sacrifice qui se faisait dans une maison étrangère?* Cicéron, ajoute-t-il, appelle Clodius homme religieux; l'ironie doit donc être soutenue dans tout ce passage. Il se sert de termes honorables pour mieux faire sentir la honte de Clodius, surpris chez la femme de César. Il me paraît donc qu'il emploie le mot *fanatique* comme un mot honorable, comme un mot qui emporte avec lui l'idée de consécrateur, de pieux, de zélé desservant d'un temple ».

4. *Qui cæcus est factus.* Credidit Grævius de Metello agi, qui, quum e flammis Palladium eripuisset, cæcus factus est. Plin. Hist. Nat. VII, 42. Verum hæc sapientius ad Appium referuntur, de quo etiam vulgi opinio erat, quod sacra Herculis divulganda curasset, idcirco luminibus orbatum. Conf. de Harusp. Resp. cap. 18, et nova orationis in Clodium et Curionem fragmenta, in quibus est : « ita fuit cæcus, ut facile appareret vidisse eum, quod fas non fuisset ».

ille, qui nihil viderat[5] sciens, quod nefas esset, lumina amisit; istius, qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit cærimonias, pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis[6] est conversa. Hoc auctore tam casto, tam religioso, tam sancto, tam pio, potestis, pontifices, non commoveri, quum suis dicat se manibus domum civis optimi evertisse, et eam iisdem manibus consecrasse?

Quæ tua fuit consecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid? non exceperas[7], ut, si quod jus non esset rogare, ne esset rogatum? Jus igitur statuetis esse, uniuscujusque vestrum sedes, aras, focos, deos penates, subjectos esse libidini tribunitiæ? in quem quisque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, hujus domum non solum affligere, quod est præsentis insaniæ, quasi tempestatis repentinæ, sed etiam in posterum tempus religione sempiterna obligare?

XLI. Equidem sic accepi, pontifices, in religionibus suscipiendis, caput esse, interpretari, quæ voluntas deorum immortalium esse videatur: nec est ulla erga deos pietas[1], nisi honesta de numine eorum

5. *Viderat.* Edit. Victorii, *videret.*

6. *Cæcitatem mentis.* Alter quidem, quum nihil sponte vidisset, quod hominem videre nefas esset, oculis est orbatus; ille vero Clodius, quum cærimonias omnes polluerit, quamvis non oculis, mente certe captus est, et vere obcæcatus; quod multo severius est.

7. *Non exceperas.* Quod in legibus excipi solet: « si quid jus non est rogari, ejus ea lege nihilum rogatum ». Vide Brisson. de Formul. II, 19.

XLI. 1. *Nec est ulla erga deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio.* Vere Augustinus lib. I de lib. arb. cap. 2: « De deo optime existimare, pietatis est exordium ». Nam ex illa recta et honesta opinione pietas et cultus oritur. Quæ sit illa honesta opinio, et quomodo illa pariat virtutem, docet in primis pulcherrime Arrianus apud Epictetum, lib. II, 14: Μαθεῖν δεῖ πρῶτον τοῦτο, ὅτι ἐστι θεὸς, καὶ προνοεῖ τῶν ὅλων, etc. Latina tantum adscribam, quia locus est prolixior: « Primum illud est discendum, esse deum, et providere rebus universis, ac non modo facta, sed ne cogitationes quidem ac motus animo-

ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis[2], quod sit injustum atque inhonestum, arbitrere. Hominem invenire ista labes tum, quum omnia tenebat, neminem potuit, cui meas ædes addiceret[3], cui traderet, cui donaret: ipse quum loci illius, quum ædium cupiditate flagraret, ob eamque causam unam una justa illa rogatione sua vir bonus dominum se in meis bonis esse voluisset; tamen illo ipso in furore suo non est ausus meam domum, cujus cupiditate inflammatus erat, possidere. Deos immortales existimatis, cujus labore et consilio sua ipsi templa tenuerunt, in ejus domum afflictam et eversam per unius[4] hominis sceleratissimi nefarium latrocinium immigrare voluisse? Civis est nemo in tanto populo, extra contaminatam illam et cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit: at, qui aliqua se contagione prædæ, societatis, emptionis, contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii pœnam effugere potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum

rum enm latere posse. Deinde cujusmodi sunt dii? Nam quales illi reperientur, talis ut sit etiam is, qui illis placere ac parere volet, opera necessario danda erit, et ut quam proxime ad eorum similitudinem accedat. Si numen fidele est, illum quoque fidelem esse oportet. Si liberum, illum quoque liberum. Si beneficum, illum quoque beneficum. Si magnanimum, illum quoque magnanimum esse oportebit».

2. *Quum expeti nihil ab iis, quod sit injustum atque inhonestum.* Itaque Plato et alii philosophi sentiunt, non nisi sapientem tenere artem orandi. Hinc Persius, Sat. II, et Juvenalis satira decima exagitarunt illos, qui vana, et inania, et sibi noxia petebant a diis, quod plerique faciunt homines.

3. *Cui meas ædes addiceret.* Ita ex Lambino Gruterus, omnesque postea: et ordinem tantum habent alium Herv. et Manut. exhibentes, «cui ædes meas». Sed editio Rom. princeps, et Ven. 1483, et Naug. «cui sedes meas addiceret».

4. *Per unius. Unius* frigere putat Ernest. et mallet *istius.* Immo id tam elegans est, atque opportunum, ut se vel unico ex codice approbare posset. Quod vir magnus profecto sensisset, nisi ei loci similes excidissent, qui apud Tullium complures exstant. Collegit jam nonnullos Grævius ad cap. 4 in Vatin.

nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio sceleratissimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? Ista tua pulchra Libertas deos penates et familiares meos lares[5] expulit, ut a te[6] ipsa, tamquam in captivis sedibus, collocaretur? Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? Hic aræ sunt, hic foci, hic dii penates, hic sacra[7], religiones, cærimoniæ continentur; hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.

5. *Deos penates et familiares meos lares expulit.* Cornelia Gracchorum mater in epistola ad filium, quam princeps publicavit Andr. Schottus inter fragmenta Corn. Nepotis: « Ubi mortua ero, parentabis mihi, et invocabis deos manes parentis. In eo temporene pudebit te eorum deum paces expetere, quos vivos, atque præsentes relictos, atque desertos habueris? » Sic hunc locum recte emendavit maximus Salmasius in Exercitt. Plinianis. *Lares familiares* erant manes parentum. Hinc duo erant lares. Ovid. Fast. V: « Bina gemellorum quærebam signa deorum, Viribus annosæ facta caduca moræ. Mille lares geniumque ducis, qui tradidit illos Urbs habet, et vici numina terna colunt ». Loquitur quidem de laribus publicis, seu compitalitiis, quos duos tantum fuisse, quibus accesserit postea genius Augusti; sed tamen et privati lares erant quoque tantum duo, et quum genius Augusti inter lares quoque coleretur, tria erant numina, quæ et publice in compitis, et domi colebantur in larario. Et Vitellius Narcissi, et Pallantis imagines aureas inter lares coluit, teste eodem Suetonio. Sed *penates* aut erant manes majorum cujuslibet familiæ, aut quos etiam ex majoribus diis præcipue colebant, singuli tamquam custodes salutis domesticæ. Patet hoc ex Ciceronis lib. IV in Verr. « Quærendum est, credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum res nummariæ tenuerit, tanta egestas, ut deos patrios venderet ». Dicebantur enim penates ab aliis quoque scriptoribus dii patrii. Quinam fuerint illi penates in eadem oratione docet Tullius: « Erat apud Heium sacrarium magna cum dignitate cum ædibus a majoribus suis traditum perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, Cupido Praxitelis, Heracles Myronis, duæ Canephoræ Polycleti ». Talis fuit Fortuna cubitalis Galbæ, de qua Sueton. Galb. 4. Colebantur lares in larario, quod vocat Suetonius, « partem ædium consecratarum ». Erat id lararium sæpe in cubiculo; vide Sueton. Domit. c. 17. Penatium vero sedes erat plerumque focus. Hinc Græcis dicebatur ἐφέστιον.

6. Alii, « ut te ipsa... collocaret ». J. V. L.

7. Sic Lambin. e codd. Memm. Male olim legebatur, « sacræ religionis cærimoniæ ». J. V. L.

XLII. Quo magis est furor istius ab auribus vestris repellendus, qui, quæ majores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea iste non solum contra religionem labefactavit, sed etiam ipsius religionis nomine evertit.

At quæ dea est? Bonam [1] esse oportet, quandoquidem est abs te dedicata. Libertas, inquit, est. Eam tu igitur domi meæ collocasti, quam ex urbe tota sustulisti? Tu, quum collegas tuos, summa potestate præditos, negares liberos esse [2]; quum in templum Castoris aditus esset apertus nemini; quum hunc clarissimum virum, summo genere natum, summis populi beneficiis usum, pontificem, et consularem [3], et singulari bonitate et modestia præditum (quem satis mirari, quibus oculis adspicere audeas, non queo), audiente populo romano a pedisequis conculcari juberes; quum indemnatum [4] exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis; quum principem orbis terræ virum inclusum domi contineres; quum forum armatis catervis perditorum hominum possideres [5]: Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quæ domus erat ipsa indicio tui crudelissimi dominatus, et miserrimæ populi romani servitutis? Eumne potissimum Libertas domo sua debuit pellere, qui nisi fuisset, in servorum potestatem civitas tota venisset?

XLIII. At unde inventa est ista Libertas? quæsivi enim diligenter. Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur: ejus non longe a Tanagris [1] simulacrum e

XLII. 1. *Bonam esse oportet.* Bonæ Deæ memoriam ex consulto renovat. Fingit se non intelligere locum hunc Wolf.

2. *Negares liberos esse.* Elatorie, pro negares intercedendi jus habere.

3. *Consularem.* De Lentulo loqui videtur.

4. *Indemnatum.* Ipsum Ciceronem.

5. Mallet Grævius *obsideres.*

XLIII. 1. *Tanagris.* Tanagra Bœotiæ civitas fuit non ignobilis.

marmore in sepulcro positum fuit. Hoc quidam homo nobilis[2], non alienus ab hoc religioso Libertatis sacerdote, ad ornatum ædilitatis suæ[3] deportavit. Etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare. Itaque omnia signa, tabulas, ornamentorum quod superfuit in fanis, et communibus locis, tota e Græcia, atque insulis omnibus, honoris populi romani causa, sane frugaliter domum suam deportavit. Is posteaquam intellexit, posse se, interversa ædilitate[4], a L. Pisone consule prætorem renuntiari, si modo eadem prima litera[5] competitorem habuisset

2. *Homo nobilis*. Is fuit Appius Clodius, P. Clodii frater, qui prætermissa ædilitate, L. Pisonis consulis gratia et suffragatione præturam est adeptus, ut olim docuit St. Pighius ad annum Urb. C. 696, quem vide. — Non favit Appius exsuli Tullio: neque enim hoc Tullius omnino præteriisset. Quin immo Dion aperte tradit, Appium prætorem cum Publio fratre Ciceronem oppugnasse: neque illum dicit ad opem Tullio ferendam postea fuisse conversum, ut de Nepote cos. tamen dicit. Denique Appium hoc ipso die, quo Tullii domum a religione pontifices liberarunt, fratri eam vi retinere studenti affuisse constat ex IV ad Att. 2, quod hominis plane inimici fuit. Ad ipsum Appium ita scribit Cicero ad Div. III, 1: «longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, et gratia ... sarciam». Videtur hæc intermissio ab anno 692 repetenda, quo Cicero inimicitias cum P. Clodio suscepit, ex I ad Att. 13, 14, videturque durasse usque ad ann. 698, quo Appius designatus est consul.

3. *Ædilitatis suæ*. Solebant signa et alia ornamenta ex Græcia et Asia conquirere ædiles ad ornandum forum, quum ludos darent solemnes. Sueton. Jul. cap. 10: «Ædilis præter comitium, ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus exstructis». Vide Livium, lib. IX, cap. 40.

4. *Interversa ædilitate*. Populus rom. a viris nobilibus, divitibusque ædilitatem poscebat, tum spectaculorum præcipue causa, tum etiam propter usitatum ordinem magistratuum gerendorum. Vide de Offic. II, 16, 17. Appius eam petere fortasse non cœperat: sed certe, tot rebus ad ludorum magnificentiam paratis, ostenderat ædilem se fieri velle. Ætas erat quidem illi prætoria: sed, si populum ædilitatis prætermissione alienasset, repulsam se præturæ laturum videbat. Ut vero fraus est reperta, qua prætor fieret, ædilitatem, quam et populus suo jure exspectabat, et ipse populo destinaverat, neglexit, maximoque suo compendio populum decepit, fraudavit, elusit.

5. *Prima litera*. Fac eodem anno petiisse cum Appio Claudio præturam Aulum Postumium, quemdam. Quum

aliquem : ædilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis suis collocavit; signum de busto meretricis ablatum isti dedit, quod esset signum magis istorum[6], quam publicæ libertatis.

Hanc deam quisquam violare audeat, imaginem meretricis, ornamentum sepulcri, a fure sublatam, a sacrilego collocatam? hæc me domo mea pellet? hæc ultrix afflictæ civitatis, reipublicæ spoliis ornabitur? hæc erit in eo monumento, quod positum est, ut esset indicium oppressi senatus ad memoriam sempiternam turpitudinis?

O Q. Catule (patremne appellem, an filium? recentior memoria filii est, et cum rebus meis gestis conjunctior), tantumne te fefellit, quum mihi summa et quotidie majora præmia in republica fore putabas?

tabellis non inscriberentur integra nomina candidatorum, sed brevitatis causa prima solum litera nominis cujusque; necesse erat in una ex multis tabellis A. P. pro Postumio, in alia A. C. scribi pro Claudio. Promiserat autem Piso consul, se in examinandis uniuscujusque centuriæ suffragiis tabellas omnes inscriptas A. P. pro Appio accepturum: quorum punctorum accessione facta ad ea, quæ ipse tulisset, dubium non erat, quin prætor fieret. Nam opinio Manutii, potuisse reliquas nominis literas, prima tantum incolumi, facile corrumpi, defendi non potest: tum quia litura apparuisset, tum etiam quia tot literis corrumpendis in tam multis tabellis nec tempus erat opportunum, si uno die comitia erant absolvenda, nec locus, quum universus populus romanus adesset. Vide plura apud Grucch. I de Comit. 4. Idem Cicero exprobrat Vatinio: « Quæro abs te, inquit in eum, cap. 5, teneasne memoria quum P. Sextius quæstor sit cunctis suffragiis factus, tunc te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhæsisse? » Quemadmodum C. Antonius « concessione competitorum, et beneficio, et collatione centuriarum », ut ait Cic. orat. in Tog. cand. in petitione præturæ tertium locum adeptus est, qui populi beneficio postremum tenuisset: sic Vatinius, quem comitiis quæstoriis populus præteriisset, obtinuit, ut crearetur inter extremos, beneficio consulis comitia habentis, a quo, licet numerum tribuum non expleverit, falso est renuntiatus, eodem fere genere fraudis, sicut et a Pisone Appius factus est prætor.

6. *Istorum.* Quod istos meretricios homines deceret. Alii suspicantur excidisse *sceleris*.

Negabas fas esse, duos consules[7] esse in hac civitate inimicos reipublicæ. Duo sunt inventi, qui senatum tribuno furenti constrictum traderent; qui pro me patres conscriptos deprecari, et populo supplices esse, edictis atque imperio vetarent; quibus inspectantibus[8] domus mea disturbaretur, diriperetur; qui denique ambustas fortunarum mearum reliquias, suas in domos comportari juberent.

Venio nunc ad patrem. Tu, Q. Catule, M. Fulvii domum[9], quum is fratris tui socer fuisset, monumentum tuarum manubiarum esse voluisti, ut ejus, qui perniciosa reipublicæ consilia cepisset, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Hoc si quis[10] tibi ædificanti illam porticum diceret, fore tempus, quum is tribunus plebis, qui auctoritatem senatus, judicium bonorum omnium neglexisset, tuum monumentum, consulibus non modo inspectantibus, verum adjuvantibus, disturbaret, everteret, idque cum ejus civis, qui rempublicam ex senatus auctoritate consul defendisset, domo conjungeret: non responderes, id, nisi eversa civitate, accidere non posse?

XLIV. At videte hominis intolerabilem audaciam

7. *Duos consules*. Plura in ea post Red. in Sen.—Rectius quidam MSS, « duos consules », quod sæpe corruperunt librarii, qui nesciebant veteres *duo* et *duos* dixisse, de quo ad epistolas.

8. Edd. vett. *spectantibus*.

9. *M. Fulvii domum*. Fuit is M. Fulvius Flaccus, Gracchi collega in triumviratu agrario, et seditionis præcipuus satelles. Quum a consulibus expellerentur ex urbe, M. Fulvius cum majore filio e latebris balnei cujusdam extractus, occisus est, ejus caput fuit ad consulem relatum, et quo pensabatur auro, domus ejus diruta, et in aream redacta est, quæ Flacciana vocabatur. Vide Plut. in Graccho.

10. *Hoc si quis*. Edit. Rom. *si qui*, ut sæpe Tullius. Etiam *diceret*, ac *responderes* pro *dixisset*, ac *respondisses* rectum esse arbitror. Sunt enim apud Tullium similia non pauca: eamdemque rationem habent, quam tempus pro præterito præsens in narrationibus.

cum projecta quadam et effrenata cupiditate. Monumentum iste numquam, aut religionem ullam excogitavit; habitare laxe et magnifice voluit, duasque et magnas, et nobiles domos conjungere. Eodem puncto temporis, quo meus discessus isti causam cædis eripuit, a Q. Seio[1] contendit, ut sibi domum[2] venderet: quum ille id negaret, primo se luminibus ejus esse obstructurum minabatur. Affirmabat Postumus[3], se vivo, illam domum istius numquam futuram. Acutus adolescens ex ipsius sermone intellexit, quid fieri oporteret; hominem veneno apertissime sustulit; emit domum, licitatoribus defatigatis[4], prope dimidio carius, quam æstimabat. Quorsum igitur hæc oratio pertinet? Domus mea illa prope tota vacua est[5]; vix pars ædium

XLIV. 1. *Q. Seio.* Postumo.

2. Alii, « ut Q. Postumius s. d. v. » J. V. L.

3. Alii, *Postumius*.

4. *Defatigatis.* In auctione victis.

5. *Prope tota vacua est.* Vacuam Ciceronis domum idcirco dici putat Manutius, quod eam Clodius possidere ausus non sit, ut cap. 41 legitur. Verum neque ad argumentum, quod pertractatur, hoc pertinere ullo modo potest, neque cum iis, quæ sequuntur, recte congruere, si tota res accuratius perpendatur. Contendit orator, dedicationem illam a Clodio excogitatam fuisse, non religionis causa, sed quia « habitare laxe, et magnifice voluit, duasque et magnas, et nobiles domos conjungere »: explicat autem sigillatim, quo pacto id factum sit. Clodianis ædibus proxima erat domus Q. Seii a P. Clodio empta: non enim potuisset ille Seii fenestras ædificando obstruere, nisi proxime habitasset. Post Q. Seii domum porticus erat Catuli, eamdemque porticum ab altera parte attingebat Ciceronis domus. Itaque Clodius disjecit monumentum Catuli, quamdam etiam illarum ædium partem, quæ Ciceronis fuerant, et aream præclaram quum haberet, novam ipse porticum exstruxit, dedicavitque Libertati : « in Palatio pulcherrimo prospectu, etc. » laxe nimirum habitare voluit, ut dictum est. Hinc porro nemo ignorat, qua ratione Sejanam, et Tullianam, magnas et nobiles domos conjunxerit, quum media inter utramque porticus esset a P. Clodio exstructa. Sed jam et ad alterum locum aggredior : « domus mea illa prope tota vacua est », non impedita religione, neque per pontificem dedicata: rationem quoque statim affert, « vix pars ædium mearum decima ad Catuli porticum accessit ». Hæc pars tantummodo et religioni poterat esse obnoxia, et an posset restitui, necne, cognoscere pontifices debebant : reliqua enim domus, quam alieno nomine ab hasta emptam Clodius possi-

mearum decima ad Catuli porticum accessit : causa fuit[6] ambulatio, et monumentum, et ista Tanagræa, oppressa libertate, Libertas. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum ; cetera ejusmodi, facile ut omnium domos et laxitate, et dignitate superaret. Et homo religiosus, quum ædes meas idem emeret, et venderet : tamen illis tantis tenebris[7] non est ausus suum nomen emptioni illi adscribere ; posuit scilicet Scatonem illum, hominem sua virtute egentem[8], ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum, quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet, ædes in Palatio nobilissimas emisse se diceret. Inferiorem ædium partem assignavit non suæ genti Fonteiæ, sed Clodiæ, quam reliquit :

debat, et cujus inferiorem partem genti suæ Clodiæ assignaverat, ab omni religione vacua erat, et sine controversia restituenda : adeoque sic prosequitur Cicero : « causa fuit ambulatio, etc. » Nullam, inquit, religionem P. Clodius excogitavit ; meas ille ædes occupare voluit, easque cum Sejana domo conjungere ; aliquam tamen partem addidit ad porticum Catuli duas ob causas, tum ut mea etiam domus videretur Libertati dedicata, ne quando per senatum restitueretur, tum ut porticum ipse haberet magis amplam et splendidam ad deambulandum. Sic decrevisse pontifices de Ciceronis domo dicuntur ad Attic. IV, 2 : « videri posse sine religione jam partem areæ mihi restitui ». Cur non totam aream? quia decima tantum ædium pars dedicata fuerat, et domus prope tota a religione jam vacua erat. Quid enim de eo decernerent, quod non venerat in controversiam? quod restitutum jam fuerat a senatu?

6. *Causa fuit. Causa*, ut modo diximus ad cap. 41, idem hoc loco valet, quod supra, cap. 5, valere monuerunt Maout. et Græv. et ipse Ern. ea nimirum est, quam postea dixere *prætextum*.

7. *Illis tantis tenebris.* Illis temporibus miseris, quum vi omnia gererentur, quum nec leges, nec judicia valerent, quum omnia tamquam in tenebris miscerentur et turbarentur : ut superius in hac oratione : « Quæ tu in illis reipublicæ tenebris, cæcisque nubibus et procellis constituisti ». Ipse quid sit explicat in orat. pro Sexto Roscio : « Qui tamquam si offusa reipublicæ sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omnia miscebant ».

8. Male Lambinus e conjectura, « sine virtute, egentem ». J. V. L.

quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus.

XLV. Hanc vos, pontifices, tam variam, tam novam in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem comprobabitis?

Pontifex, inquit, affuit[1]. Non te pudet, quum apud pontifices res agatur, pontificem dicere, non collegium pontificum affuisse: præsertim quum tribunus plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere[2]? Esto: collegium non adhibuisti: quid? de collegio quis tandem affuit? Posuerat enim auctoritatem in[3] uno: quæ est in his omnibus; sed tamen auget et ætas, et honos dignitatem. Opus erat etiam scientia: quam etsi omnes consequuti sunt, tamen certe peritiores vetustas facit. Quis ergo affuit? Frater, inquit, uxoris meæ[4]. Si auctoritatem quærimus, etsi id est ætatis, ut nondum consequutus sit; tamen quanta est in ado-

XLV. 1. *Pontifex affuit.* Ut solemnem dedicationis formulam præiret: posito foculo, quo area illa consecrabatur. Vide Guther. de Jure Pontific. lib. III, cap. 11.

2. *Cogere.* Quamvis ἀνυπεύθυνοι a Dionysio dicantur sacerdotes, veri simillimum videtur eis a tribunis plebis vim adhiberi potuisse, quum præsertim magistratibus iis prætores ipsos in vincula ducendi jus esset. Alio sensu intelligit Gesnerus, ut cogere idem sonet ac nomine populi jubere ut conveniat, quemadmodum cogitur senatus.

3. *In uno.* Putavit vel in uno pontifice eamdem auctoritatem esse, quæ est in universo collegio.

4. *Uxoris meæ.* Viros doctos complures hic locus in errorem induxit. Pighium eo loco refutavit Perizonius: ante quem tamen L. Pinarium Nattam significari, iisdem collatis locis, infra cap. 52, et pro Mur. 35, ostenderat egregie Manutius. Ab hoc in eo tantum discedit, Grævio assentiente, Perizonius, quod ante Fulviam Clodio putat uxorem fuisse Pinariam; idque constare ait ex hac oratione; in qua tamen nihil video, quod Manutium refutet, cui Pinarius ipsius Fulviæ frater non germanus est visus. Norisium miror existimare cum Glandorpio potuisse, hic L. Fulvium Nattam intelligi, nulla ex cognomine dubitatione suborta, Cen. Pisan. I, 5. Manutium is non consuluit: quem tamen non vidit modo, sed etiam refellere conatus est Corradinus vet. Lat. prof. II, 21, ad Pighii somnia relabens. Qui Nattæ cognomen habet, et cujus majores ab ipso Hercule sacra didicerunt, alius, quam Pinarius esse non potest. Accedit Servii testimo-

lescente auctoritas, ea, propter tantam conjunctionem affinitatis, minor est putanda. Sin autem scientia est quæsita, quis erat minus peritus, quam is, qui paucis illis diebus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti, quum se, fratrem uxoris tuæ, fratri tuo germano antelatum videbat. Etsi in eo providisti[5], ne frater te accusare posset. Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi romani ornatum pontificem, non denique adolescentem quemquam[6], quum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? Affuit is, si modo affuit, quem tu impulisti, soror rogavit, mater coegit.

Videte igitur, pontifices, quid statuatis in mea causa de omnium fortunis. Ergone pontificem[7] putatis, si is postem tenuerit et aliquid dixerit, domum uniuscujusque consecrare posse? An istæ[8] dedicationes, et templorum et delubrorum religiones, ad honorem deorum immortalium, sine ulla civium calamitate a majoribus nostris constitutæ sunt? Est inventus tribunus plebis, qui consularibus copiis instructus, omni impetu furoris in eum civem irruerit, quem perculsum ipsa respublica suis manibus extolleret.

XLVI. Quid, si quis similis istius (neque enim jam deerunt, qui imitari velint) aliquem mei dissimilem, cui respublica non tantum debeat, per vim afflixerit,

nium, qui ad Virgilium, Æneid. lib. VIII, vers. 269, verba illa Ciceronis, quæ ad hunc pontificem pertinent, cap. 52, Pinarium Nattam describere affirmat.

5. *In eo providisti.* Obscurius enim, qualia sæpe oratores in adversarios jactare solent. Videtur veneno sublatum eum innuere, quum alio loco Clodii arbitrio venena omnia tractari dicat.

6. *Quemquam.* Qui tibi sanguine conjunctus non esset.

7. Alii, « Verbone, pontifices, putatis ». Lallem. e duobus codd. regiis, « Verbone pontificis putatis... consecrari posse? » J. V. L.

8. Græv. Ern. *At istæ.*

domum ejus per pontificem dedicarit : id, vos ista auctoritate constituetis, ratum esse oportere? Dicetis, quem reperiet pontificem? Quid? et tribunus plebis idem esse non potest pontifex ? M. Drusus ille, clarissimus tribunus plebis[1], pontifex fuit : ergo, si is Q. Cæpionis, inimici sui[2], postem ædium tenuisset, et pauca verba fecisset, ædes Cæpionis essent dedicatæ?

Nihil loquor de pontificio jure, nihil de ipsius verbis dedicationis, nihil de religione, cærimoniis; non dissimulo me nescire ea, quæ, etiamsi scirem, dissimularem, ne aliis molestus, vobis etiam curiosus viderer : etsi effluunt multa ex vestrâ disciplina, quæ etiam ad nostras aures sæpe permanant. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse[3] templi : ibi enim postis est, ubi templi aditus est, et valvæ. Ambulationis postes nemo umquam tenuit in dedicando; simulacrum autem, aut aram si dedicasti, sine religione loco moveri potest. Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem postem tenuisse dixisti.

XLVII. Quamquam quid ego de dedicatione loquor[1]? aut quid de vestro jure et religione contra, quam proposueram, disputo[2]? Ego vero, si omnia solemnibus verbis, veteribus et priscis institutis[3] acta esse dicerem : tamen me reipublicæ jure defenderem.

XLVI. 1. Alii, « clarissimus vir, tribunus plebis ». J. V. L.

2. *Inimici sui.* Exortas inter eos inimicitias ex occasione annuli in auctione empti Plinius ait.

3. *Videor audisse.* Non semel Cicero suam juris et civilis et pontificii scientiam dissimulavit, quod nempe aspernabatur, ut videre est pro Murena et passim : hoc etiam sibi proponit ut fastidii plenam disquisitionem nec ad causam omnino valentem, hac ignorantiæ excusatione effugiat. Conf. infra cap. 54.

XLVII. 1. Alii, *loquar.*

2. Alii, *disputabo.*

3. *Pr. institutis. Instituta publica* sunt, quibus utuntur communiter pontifices in talibus dedicationibus : ut « publicum jus » apud Suetonium,

An, quum tu ejus civis discessu, cujus unius opera senatus atque omnes boni civitatem esse incolumem toties judicassent, oppressam teterrimo latrocinio cum duobus sceleratissimis consulibus rempublicam teneres; domum ejus qui patriam a se servatam perire suo nomine noluisset, per pontificem aliquem dedicasses, posset recreata respublica sustinere? Date huic religioni aditum, pontifices : jam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An, si postem tenuerit pontifex, et verba ad religionem deorum immortalium composita, ad perniciem civium transtulerit, valebit ad injuriam nomen sanctissimum religionis : si tribunus plebis verbis non minus priscis, et pæne[4] solemnibus, bona civis cujuspiam consecrarit, non valebit? Atqui C. Atinius, patrum memoria, bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor ejecerat, avi tui, Q. Metelle[5], et tui, P. Servili, et proavi tui,

Octav. 10 : « Ne publicum quidem, et translatitium jus ulla in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertiente » : ut « publica verba » apud Ovid. Am. III : « Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit, Et quæ præterea publica verba sonant ».

4. Lambino videbatur legendum *plane*. Tale quid sane res desiderat. J. V. L.

5. *Avi tui*, *Q. Metelle*. Hunc existimat esse Manutius Q. Metellum Nepotem, collegam P. Lentuli in consulatu : quem idcirco miratur c. 6 de Har. Resp. non statim post Lentulum nominari, et consulem non appellari. Quid si Metellum eum fuisse dicamus? cujus meminit Cicero I ad Att. 14, scribens, Metello Celere, et Afranio coss. « Legati sunt Q. Metellus Creticus, et L. Flaccus ». Ii omnes nominantur in Pison. 24, qui, bene gesta provincia, triumphaverant : « P. Servili, Q. Metello, C. Curio » : quumque significari non possit, nisi Creticus, qui de Creta insula nobilem triumphum egerat, fateamur necesse est, eum vixisse iisdem temporibus, quibus hæc dicebantur. Sic a Cic. c. 6 de Har. Resp. dignitate ordo recte servatur, quod semper facit : nam Lentulum primum nominat consulem simul et pontificem, deinde Servilium antiquissimum consularium ex pontificibus, et reliquos omnes suo loco. Macedonici autem filii fuerunt Q. Balearicus, L. M. et C. et Cæciliæ duæ. Ex Balearico natus est Q. Metellus Nepos, qui cos. fuit cum T. Didio, pater hujus alterius Nepotis, de quo quæritur : hinc pro Sex. Roscio 50, « a Cæcilia Balearici filia, Nepotis

P. Scipio, consecravit, foculo posito in rostris, adhibitoque tibicine. Quid tum? num ille furor tribuni plebis, ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis, fraudi Metello fuit, summo illi et clarissimo viro? Certe non fuit. Vidimus, hoc idem Cn. Lentulo censori tribunum plebis facere. Numquid igitur is bona Lentuli religionibus[6] obligavit?

Sed quid ego ceteros? Tu, tu, inquam, capite velato[7], concione advocata, foculo posito[8], bona tui Gabinii, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Persarumque donaras, consecrasti. Quod si tum nihil est actum, quid in meis bonis agi potuit? Sin est ratum, cur ille gurges, helluatus tecum simul reipublicæ sanguinem, ad cælum tamen exstruxit villam in Tusculano visceribus ærarii; mihi meas ruinas, quarum ego similem totam urbem esse passus non sum, adspicere non licuit?

XLVIII. Omitto Gabinium. Quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Mummius[1], vir omnium fortissimus atque optimus, consecravit? Quod si, quia ad te pertinet, ratum esse negas oportere; ea jura constituisti in præclaro tribunatu tuo, quibus in te conversis,

sorore »: hæc alia Cæcilia soror erat primi Nepotis, quippe filia Q. Balearici. Ex Lucio, seu Caio natus est Q. Metellus Creticus, quum uterque liberos habuerit, ex c. 3 post Red. ad Quir. Ex filiabus altera nupta P. Servilio peperit hunc P. Servil. Isauricum; altera P. Scipionem illum, qui unus erat ex advocatis Sex. Roscii in causa de parricidio, patrem hujus qui numeratur inter pontifices, quique adoptatus a Q. Metello Pio, postea socer fuit Pompeii Magni. Quamobrem orator optime vocat Macedonicum proavum Scipionis, avum autem tum Metelli Cretici ex filio, tum Servilii Isaurici ex filia. Quod si Metellus ille pontifex Nepos fuisset collega Lentuli juxta Manutium, proavum habuisset, non avum Macedonicum.

6. Alii, *religioni*.

7. *Capite velato*. Quasi esset pontifex.

8. *Foculo posito*. Quod erat solemne in sacrificiis.

XLVIII. 1. *L. Mummius, vir omn. fortissimus*. De eodem homine sermo esse videtur, cujus tribuni plebis, et

recusares, alios everteres? Sin ista consecratio legitima est, quid est, quod profanum in tuis bonis esse possit? An consecratio nullum habet jus, dedicatio est religiosa[2]? Quid ergo illa tua tum obtestatio[3] tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem quid voluisti? Nam si est illud ratum, mitto Gabinium; tua domus certe, et, quidquid habes aliud, est Cereri consecratum: sin ille tibi ludus fuit, quid te impurius, qui religiones omnes pollueris aut ementiendo, aut stuprando?

Jam fateor, inquit, in Gabinio me nefarium fuisse. Quippe vides, pœnam illam a te in alium institutam,

Clodii collegæ fortitudinem Cicero et merita erga se magna commemorat. Post Reditum in Sen. 2: « Referente L. Ninnio, fortissimo atque optimo viro ». Pro Sext. 11: « Vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia L. Mummius ad senatum de rep. retulit, senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit ». Pro eod. 31: « Decrevit senatus frequens de meo reditu kal. junii, dissentiente nullo, referente L. Ninnio, cujus in mea causa numquam fides, virtusque contremuit ». Vide notas ad hos locos. Si nomen infrequens Ninnii librarios corrupisse dixero, summos viros auctores habebo: conf. potissimum quæ ad d. cap. 2 in Sen. notavi, et adde J. F. Gronov. Observat. IV, 4, et Burman. junior. ad Anthol. Lat. t. I, pag. 415. Qui pro Sext. 11, Mummium relinquunt, quum ceteris locis Ninnium maluerint, inconstanter agunt: est enim certe ibi vir idem nominatus.

2. *Dedicatio est religiosa.* Clodius ædes et bona Ciceronis consecrarat non modo, sed etiam aream Libertati dedicarat, quam tum religiosum reddidisse locum existimabat, ac aliis persuadere volebat, ut perpetuo hominum usu esset exemptus. In dedicatione requirebatur, ut postem teneret pontifex, aliisque uteretur ritibus solemnibus, qui in consecratione non requirebantur, et ut dedicatio fieret populi jussu aut plebiscito, ut hic Cicero ostendit. Itaque loca non poterant in privatum usum converti iterum, nisi resacrarentur, multo minus, quæ dedicata erat solemnibus verbis diis. Sed et hanc consecrationem et dedicationem tamquam vanam et inanem exagitat Cicero. De utraque et antiquis illis verbis, quibus res dedicabantur, vide quæ notavit Guther. de Jure Pontificio, III, 11, et IV, 21, necnon Brisson. de Formul. lib. I.

3. *Obtestatio.* Festus: « Obtestatio est, quum deus testis in meliorem partem vocatur: detestatio quum in deteriorem ».

in te ipsum esse conversam. Sed, homo[4] omnium scelerum flagitiorumque documentum, quod in Gabinio fateris, cujus impudicitiam pueritiæ, libidines adolescentiæ, dedecus et egestatem reliquæ vitæ, latrocinium consulatus vidimus; cui ne ista quidem ipsa calamitas injuria potuit accidere: id in me infirmas? et gravius esse dicis, quod uno adolescente[5], quam quod concione tota teste[6] fecisti?

XLIX. Dedicatio magnam, inquit, habet religionem. Nonne vobis Numa Pompilius videtur loqui? Discite orationem, pontifices, et vos, flamines; etiam tu, rex[1], disce a gentili homine[2]: quamquam ille gentem istam reliquit; sed tamen disce ab homine religionibus dedito, justo, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione, nonne, et quis dicit, et quid, et quomodo, quæritur? An tu hæc ita confundis et perturbas, ut, quicumque velit, quod velit, quomodo velit, possit dedicare? Quis eras tu, qui dedicabas? quo jure? qua lege? quo exemplo? qua potestate? ubi te isti rei populus romanus præfecerat? Video enim esse legem veterem tribunitiam[3], quæ vetet, injussu plebis ædes, terram, aram consecrare. Neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, sensit, neque suspicatus est, fore periculum, ne domicilia aut possessiones indemnatorum civium

4. *Sed homo.* Quod concedis nefarie te egisse in Gabinii bonis consecrandis, hominis impurissimi, idem de meorum bonorum consecratione fateri non vis?

5. *Uno adolescente.* Pontifice Natta, quem ad meæ domus dedicationem adhibuisti.

6. *Concione tota teste.* Quum bona Gabinii consecrasti.

XLIX. 1. *Tu, rex.* L. Claudium appellat, sacrorum regem.

2. *A gentili homine.* Alii, *a gent. h. tuo.* J. V. L.

3. *Video enim esse legem veterem tribunitiam.* Videtur L. Papirius, tribunus plebis, legem tulisse de consecratione rerum; qua lege cautum erat, ne quis quid injussu populi consecraret.

consecrarentur : neque enim id fieri fas erat, neque quisquam fecerat, neque erat causa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam admonere. Sed quia consecrabantur ædes, non privatorum domicilia, sed quæ sacræ nominantur; consecrabantur agri, non ita ut nostra prædia, si quis vellet, sed ut imperator agros de hostibus captos consecraret; statuebantur aræ, quæ religionem afferrent, ipso[4] si loco essent consecratæ[5] : hæc, nisi plebs jussisset, fieri vetuit. Quæ si tu interpretaris de nostris ædibus atque agris scripta esse, non repugno : sed quæro, quæ lex lata sit, ut tu ædes meas consecrares; ubi tibi hæc potestas data sit; quo jure feceris. Neque ego nunc de religione, sed de bonis omnium nostrum, nec de pontificio, sed de jure publico[6] disputo.

L. Lex Papiria vetat, ædes injussu plebis consecrari. Sit sane hoc de nostris ædibus, ac non de publicis templis. Unum ostende verbum consecrationis in ipsa tua lege : si illa lex est, ac non vox sceleris, et crudelitatis tuæ. Quod si tibi tum in illo reipublicæ naufragio omnia in mentem venire potuissent, aut si tuus scriptor in illo incendio civitatis non syngraphas cum Byzantiis exsulibus et cum legatis regiis faceret, sed vacuo animo tibi ista non scita, sed portenta con-

4. Habent *ipsi* MSS aliquot, ut Franc. Dresd. Guelferb. etc. Utrumque Græv. et Ernest. delendum censuerunt. J. V. L.

5. *Consecratæ*. Statuebantur aræ, quæ religiosum reddebant id, ubi erant constitutæ, si loco, hoc est suo, seu commodo loco, jure, et legitime essent consecratæ. Hanc enim vim *loco consecrare* habet. Terent. Adelph. II, 2 : « Pecuniam loco negligere, maximum interdum est lucrum ». Cicero pro Milone : « Quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitabit occidere ». Act. V in Verrem : « Ut hæc ipsa ædilitas, etc. recte collocata, et judicio populi, et loco posita esse videatur ». Vide quæ ibi notavi.

6. *De jure publico*. Est hoc loco jus commune, quod pertinet ad omnes cives, ut superius notatum.

scriberet; esses omnia, si minus re, at verbis legitimis consequutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum, fœdera feriebantur provinciarum[1], regum appellationes[2] venales erant, servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio, inimici in gratiam reconciliabantur[3], imperia adscribebantur novæ juventuti[4], Q. Seio venenum misero parabatur, de Cn. Pompeio, propugnatore et custode imperii, interficiendo consilia inibantur, senatus ne quid esset, ut lugerent boni semper, ut capta respublica consulum proditione, vi tribunitia teneretur. Hæc quum tot, tantaque agerentur; non mirum est, præsertim in furore animi et cæcitate, multa illum et te fefellisse.

At videte, quanta vis sit hujus Papiriæ legis, in re tali; non qualem tu affers[5], sceleris plenam et furoris. Q. Marcius, censor, signum Concordiæ fecerat, idque in publico collocarat : hoc signum C. Cassius

L. 1. *Fœdera feriebantur provinciarum. Fœdera feriebantur provinciarum* de Clodiana illa cum Pisone, Gabinioque consulibus pactione optime dicitur, quæ supra cap. 21; pro Sext. 30, in Pison. 24, etc. commemoratur. Neque enim aut repugnat tempus, aut aliud potest significare locutio, quæ in eam rem adhiberi eleganter solet a Tullio, neque in alios ullos convenit, qui pecunia, non opera, de Clodio provincias emebant. Emptio enim ceterorum erat inhonesta : fœdus autem consulum potestate consulari tribunum plebis adjuvantium, qui vicissim rogatione tribunitia provincias iis optimas dedit latissimis finibus, atque ornatissimas, cum ingenti ex ærario pecunia. Tantum abest, ut Clodio quidquam consules numerarint. Loci sunt plures, qui sententiam declarant hujus, figuramque defendunt : pro Sext. 15 : « quum duo consules a rep. provinciarum fœdere retraxisset » : iisdem p. r. ad Quir. 5 : « provinciarum fœdere irretiti » dicuntur : tum in Pison. 12 : « tu, scilicet homo religiosus, et sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti ». Confer etiam locum prolixiorem pro Sext. 10.

2. *Regum appellationes.* Titulos regum plus licitanti venditos.

3. *Reconciliabantur.* Ut in me impetum facerent.

4. Magna hic varietas est; præstat forte, quod Schütz. post Lambinum et Beckium dedit, « imperia adscribebantur nova juventuti ». J. V. L.

5. *Qualem tu affers.* In dedicandis meis ædibus.

censor quum in curiam transtulisset, collegium vestrum consuluit, num quid esse causæ videretur, quin id signum curiamque Concordiæ dedicaret.

LI. Quæso, pontifices, et hominem cum homine, et tempus cum tempore, et rem cum re comparate. Ille erat summa modestia et gravitate censor; hic tribunus plebis, scelere et audacia singulari. Tempus illud erat tranquillum, et in libertate populi, et gubernatione positum senatus; tuum porro tempus, libertate populi romani oppressa, senatus auctoritate deleta. Res illa plena justitiæ, sapientiæ, dignitatis. Censor enim, penes quem majores nostri (id quod tu sustulisti) judicium senatus de dignitate[1] esse voluerunt, Concordiæ signum volebat in curia, curiamque[2] ei deæ dedicare. Præclara voluntas, atque omni laude digna. Præscribere enim[3] se arbitrabatur, ut, sine studiis dissensionis, sententiæ dicerentur, si sedem ipsam ac templum publici consilii religione Concordiæ devinxisset. Tu quum ferro, quum metu, quum edictis, quum privilegiis, quum præsentibus copiis perditorum, absentis exercitus terrore et minis[4], consulum societate et nefario fœdere, servitute oppressam civitatem teneres, Libertatis signum posuisti magis ad ludibrium pudicitiæ[5], quam ad simulationem religionis. Ille in curia, quæ poterat, sine cujusquam incommodo, dedicabat; tu in civis optime de republica meriti cruore, ac pæne ossibus, simula-

LI. 1. Lambin. *de senatus dignitate*.

2. Car. Stephan. et Lambin *aramque*.

3. *Præscribere enim*. Sperabat hoc nomine senatores ad dicendas sine studio et partibus sententias adigere, quum ipso nomine concordiæ admonerentur.

4. *Absentis exercitus terrore*. Cæsaris, cujus nomine terrorem imperitis objiciebat.

5. *Pudicitiæ*. Quum statuam hanc Libertatis a scorti sepulcro in romanum forum transtulerit. Frustra vulgatam « impudentiæ » tuetur Garatonius. Alii habent « impudicitiæ ».

crum non libertatis publicæ, sed licentiæ[6] collocasti.

Atque ille tamen ad collegium retulit : tu ad quem retulisti? Si quid deliberares; si quid tibi aut piandum, aut instituendum fuisset religione domestica : tamen instituto ceterorum vetere[7], ad pontificem detulisses : novum delubrum quum in urbis clarissimo loco, nefando quodam atque inaudito instituto, inchoares; referendum ad sacerdotes publicos non putasti? At, si collegium pontificum adhibendum non videbatur; nemone horum tibi idoneus visus est, qui ætate, honore, auctoritate antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares? quorum quidem tu non contempsisti, sed pertimuisti dignitatem.

LII. An tu auderes quærere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo, quorum ego consilio atque auctoritate rempublicam consul ex vestris manibus ac faucibus eripui : quibusnam verbis, aut quo ritu, primum hoc dico, civis domum consecrares; deinde civis ejus, cui princeps senatus[1], cui etiam[2] ordines omnes, deinde Italia tota, post cunctæ gentes, testimonium hujus urbis atque imperii conservati dedissent? Quid diceres, o nefanda et perniciosa labes civitatis? Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi præeatis[3], postemque teneatis. Es tu quidem quum

6. Markland. legendum putabat *licentiæ tuæ*. J. V. L.

7. *Instituto ceterorum vetere*. Cod. Barb. pro *vetere* habet *uterere* cum duobus libris Græv. in var. lect.

LII. 1. *Princeps senatus*. Dicit, primum omnium senatum, verbis illis notissimis, quibus Ciceronem cos. laudans ei supplicationem decrevit, hoc testimonium dedisse. Quod moneo, ne proxima omnium ordinum commemoratione senatum contineri aliquis putet, qui tamen et propter rationem temporis hic apprime servatam, et propter eximiam dignitatem, neque ullo modo cum aliorum splendore ordinum comparandam, separatim et primo loco debuit nominari.

2. Al. codd. *tum etiam*, probante Garatonio. J. V. L.

3. *Ut mihi præeatis*. Solemnis est mos, verbumque solemne, *præire*, qua quis formula dedicet, precetur, juret. Varro de L. L. V, pag. 56, l. 20

audacia, tum impudentia singulari : sed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidissent, quum te viri, qui sua dignitate personam populi romani atque auctoritatem imperii sustinerent, verbis gravissimis perterruissent; neque sibi fas esse dixissent, furori interesse[4] tuo, atque in patriæ parricidio et scelere.

Quæ quum videres, tum te ad tuum affinem, non delectum a te, sed relictum a ceteris, contulisti : quem ego tamen credo, si est ortus ab illis, quos memoriæ proditum est ab ipso Hercule, perfuncto jam[5] laboribus, sacra didicisse, in viri fortis ærumnis non ita crudelem fuisse, ut in vivi et jam[6] spirantis caput bustum suis manibus imponeret: qui aut nihil dixit, aut, si fecit[7], omnino pœnam hanc maternæ temeritatis[8] tulit, ut mutam in delicto personam, nomenque præberet; aut, si dixit aliquid[9] verbis hæsitantibus, postemque tremebunda manu tetigit, certe nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perfecit. Viderat ille Murenam[10], vitricum suum, consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre; audierat ex illo, se a me bis salutem accepisse, separatim semel, iterum cum universis. Quare quis est, qui existimare possit, huic

« ædis sacra a magistratu, pontifice præeunte, dicendo dedicatur ». Jam olim Brissonius de Form. I, 191, 192, « præire, postem tenere », illustravit.

4. Garaton. conjicit, « furori interesse tuo in patriæ parricidio exsultanti », nisi potius quædam interciderint.

5. *Perfuncto jam laboribus. Jam*, quod recte adest, omittitur apud Servium ad Virgil. Æn. VIII, 269.

6. *Et jam spirantis.* Satis probabiliter legendum est *etiam*, nisi *jam* eodem sensu ponatur quo « vix, tantum non ». Sensus est : quomodo ita crudelis esse potuit Natta ut bustum, id est, sepulcrale illud monumentum viventi homini ipse suis manibus erigeret.

7. Ernest. « aut fecit omnino, pœnamque hanc maternæ temerit. tulit ». Malim ego, *et, si fecit.* J. V. L.

8. *Maternæ temeritatis.* Superius dixit hunc a matre coactum id fecisse.

9. Alii, *si dixit aliquid, verbis hæsitantibus.* J. V. L.

10. *Murenam.* Pro quo exstat oratio, qua illum ambitus defendit : quod illis verbis significat, *separatim semel.*

novo pontifici, primam hanc post sacerdotium initum religionem instituenti, vocemque mittenti, non et linguam obmutuisse, et manum obtorpuisse, et mentem debilitatam metu concidisse : præsertim quum ex collegio tanto, non regem, non flaminem, non pontificem videret; fierique particeps alieni sceleris invitus cogeretur, et gravissimas pœnas affinitatis impurissimæ sustineret?

LIII. Sed, ut revertar ad jus publicum dedicandi[1], quod ipsi pontifices semper non solum ad suas cærimonias, sed etiam ad populi jussa accommodaverunt: habetis in commentariis vestris, C. Cassium censorem de signo Concordiæ dedicando ad pontificum collegium retulisse, eique M. Æmilium, pontificem maximum, pro collegio respondisse, nisi eum populus romanus nominatim præfecisset atque ejus jussu faceret, non videri ea[2] recte posse dedicari. Quid? quum Licinia, virgo vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio prædita, T. Flaminino, Q. Metello, consulibus, aram, et ædiculam, et pulvinar sub saxo sacro[3] dedicasset, non eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sext. Julius prætor retulit? quum P. Scævola, pontifex maximus, pro collegio

LIII. 1. Alii legunt, *vindicandum.*

2. Beck. nocinis inclusit *ea*, ut verbum spurium. J. V. L.

3. *Sub saxo sacro.* Sacrum saxum, ait J. Gother. de Vet. Jur. Pont. III, 5, esse ædem in saxo excavatam, quam Apuleius Florid. I, vocarit speluncam frondibus inumbratam. Nihil poterat dici alienius. Non in saxo fuit illa ædes, quam dedicavit Licinia. Per sacrum saxum intelligitur, credo, rupes Aventini montis, quæ saxum dicebatur, ad quod fuit etiam Bonæ Deæ subsaxanæ templum, cujus meminit P. Victor, regione XII, et describit Ovidius Fast. V: « Est moles nativa loco, res nomina fecit. Appellant saxum. Pars bona montis ea est ». Hoc saxum dictum est sacrum propter hoc Bonæ Deæ templum, ut et templum Minervæ in illo situm. Rupes Tarpeia non potest hic denotari, quamvis et illa saxum dicatur, et totus mons Jovi fuerit sacratus a Tarquinio, quia hoc saxum infame est pœnis sceleratorum, qui de illo dejiciebantur.

respondit, quod in loco publico Licinia, Caii filia, injussu populi dedicasset, sacrum non videri [4]. Quam quidem rem quanta severitate, quantaque diligentia senatus sustulerit [5], ex ipso senatusconsulto facile cognoscetis. Recita senatusconsultum : SENATUSCONSULTUM. Videtisne, prætori urbano negotium datum, ut curaret, ne id sacrum esset? et ut, si quæ essent incisæ aut inscriptæ literæ, tollerentur? O tempora! o mores! Tum censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiæ dedicare pontifices in templo inaugurato [6] prohibuerunt; post autem senatus in loco augusto consecratam eam aram, tollendam ex auctoritate pontificum censuit, neque ullum est passus ex ea dedicatione literarum exstare monumentum : tu, procella patriæ, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio reipublicæ, tenebris offusis, demerso populo romano, everso atque ejecto senatu, dirueris, ædificaris, religione omni violata, reipublicæ tantum nomine contaminaris; in civis hujusce [7] ædibus, et in urbe, quam suis laboribus ac periculis conservasset [8], monumentum deletæ reipublicæ collocaris, ad equitum notam [9], ad dolorem bo-

4. Al. *non vid. esse.*

5. *Sustulerit.* Rem istam omnem ab Licinia virgioe actam, ad senatum, et pontifices a magistratu relatam, senatus ita sustnlit, nt nullum ejus vestigiom exstare voloerit. Similiter in Verr. II, 57 : « qoum ea, quæ in magistratn gessisti, sustulit ».

6. *In templo inaugurato.* Notum est senatum nisi in *inaugurato loco* haberi fas non fuisse.

7. *Hujusce.* Se ipsum hoc dicens indicabat.

8. *Conservasset.* Frustra Grævius ex nonnullis eodicibus *consecrasset*, quod sobtilins est.

9. *Ad eqnitum notam.* Quamquam eteoim eqnites romani Cieeronem consulem præsidio texerint, eumque in opprimenda conjnratione vehementer adjnveriot, ut notum est, ac proinde pro Sext. 12, ex Gabinii coneione ista referantur : « equites vero romanos datoros illins diei pœnas, qno, me consule, cum gladiis in elivo Capitolino fuissent » : qnum nimirum perditi homines, et conjuratorum novi dnees, Clodius et Gabinios, ejos eriminis, cujus ipsi vere accnsari poterant, defensores reip. insimularent; quamquam pœna conservatori patriæ ioflieta istud equitom romanorum faetom ne-

norum omnium, sublatoque Q. Catuli nomine incideris[10] : id sperasti rempublicam diutius, quam, quoad mecum simul expulsa careret his mœnibus, esse laturam?

At si, pontifices, neque is, cui licuit, neque id, quod fas fuit, dedicavit : quid me attinet jam illud tertium, quod proposueram, docere, non his institutis ac verbis, quibus cærimoniæ postulant, dedicasse?

LIV. Dixi a principio, nihil me de scientia vestra, nihil de sacris, nihil de abscondito jure pontificum, dicturum. Quæ sunt adhuc a me de jure dedicandi disputata, non sunt quæsita ex occulto aliquo genere literarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam per magistratus actis, ad collegiumque delatis, ex senatusconsulto, ex lege. Illa interiora jam vestra sunt, quid dici, quid præcipi[1], quid tangi, quid teneri jus fuerit. Quæ si omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constarent; aut si M. Horatius ille Pulvillus, qui, quum ejus dedicationem multi, propter invidiam, fictis religionibus[2] impedirent, restitit, et constantissima mente Capitolium dedicavit, hujusmodi alicui dedicationi præfuisset,

tarie notaret, qui etiam Tullio in ejus periculis a Clodio profectis adfuerant : tamen est observandum hanc *notam*, qua de agitur, non tam equitum romanorum esse, quam universi senatus, cujus auctoritatem Cicero consul secutus fuerat, ut sæpe ipse vereque prædicat, cujus postea voluntatem omnes in tuendo Cicerone perspexerant : tris porro solere ab oratore conjungi, quum sermo incidit de suis rebus gestis, suisque temporibus, *senatum*, *equites*, *bonos omnes*; veluti pro Sext. 13, pro Milone, 34, etc.

10. *Incideris.* Videtur requiri *tuum;* quod Ernestus, nescio quomodo, mutat in *tuo*. Garatonius diverso errore repeti mavult *quod*, ut sit, quod incideris seu inscriptionem.

LV. 1. Vulg. leg. *præcipere*, quod servavit Lallem. Sed *præcipi* debet esse, ut simile sit ceteris; idque est in uno MS. J. V. L.

2. *Fictis religionibus.* Allato de filii morte nuntio; quum dicerent funesta familia dedicari templum non posse.

tamen in scelere religio non valeret; nedum valeat id, quod imperitus adolescens, novus sacerdos, sororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, sine collegis, sine libris, sine auctore, sine[3] fictore, furtim, mente ac lingua titubante fecisse dicatur: præsertim quum iste impurus atque impius hostis omnium religionum, qui contra fas inter viros sæpe mulier, et inter mulieres vir fuisset, ageret illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret.

LV. Delatum tum est ad vos, pontifices, et post omnium sermone celebratum, quemadmodum iste præposteris verbis, ominibus obscœnis, identidem se ipse revocando[1], dubitans, timens, hæsitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, et pronuntiarit, et fecerit. Quod quidem minime mirum est, in tanto scelere, tantaque dementia, ne audaciæ quidem lo-

3. *Sine fictore.* Fuerunt sane *fictores* inter officia divina. Sic in lapidibus antiquis apud Gruterum, DISCIPVLVS. FICTORVM. PONTIFICVM. item, FICTOR. V. V. id est, virginum Vestalium: et in alia: FICTORES PONTIFICVM. Quid fuerint, Isidorus explicat: « Fictor a componendo, et fingendo, velut aut capillos mulierum linit, et pertractat, ungit, et nitidat». Tales autem ministros habuisse paganos ex Artemidoro, II, 34, docet Lipsius Elect. II, cap. 18, cui hæc debes. Sed Gnth. de vetere jure pontificio, II, 24, putat fictores dici, qui in sacris simulata pro veris offerunt. Nam quum de animalibus, quæ difficile inveniantur, de pane vel cera facta, et pro veris accepta. Sic dixisse poetam sacrorum peritissimum Æn. IV: « latices simulatos fontis Averni ». Hanc simulationem ait tenuioris fortunæ hominibus concessam fuisse. Illos enim, quum nullum animal sacrificare possent, taurum e farina finxisse, ut Suidas prodiderit in βοῦς ἕβδομος. Et taurum, verbenasque in commentario sacrorum significasse ficta farinacea, ut videre licet apud Festum in *Taurus*, a quo fictores pontificum dictos, qui de pane, vel cera, simulatas hostias fecerint. Equidem *fictores* dicti sunt *a fingendis libis* teste Varrone de L. L. lib. VI, quæ « libandi caussa fiebant». Hinc et conjunguntur cum *Argeis* apud Enn. quod et Argei simularentur. Erant autem Argei simulacra hominum ex virgultis scirpeiis, quæ quotannis e ponte sublicio a sacerdotibus publice jactari solebant, teste eodem Varrone. Hos fictores adhibebant pontifices in dedicationibus et aliis sacris.

LV. 1. *Revocando.* Sua verba corrigendo.

çum ad timorem comprimendum fuisse. Etenim, si nemo umquam prædo tam barbarus atque immanis fuit, qui quum fana spoliasset, deinde aram aliquam in litore deserto, somniis stimulatus[2], aut religione aliqua consecraret, non horreret animo, quum divinum numen scelere violatum placare precibus cogeretur : qua tandem istum perturbatione mentis, omnium templorum atque tectorum totiusque urbis prædonem, fuisse censetis, quum pro detestatione tot scelerum[3] unam aram nefarie consecraret? Non potuit ullo modo (quamquam et insolentia dominatus extulerat animos, et erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac sæpe peccare, præsertim illo pontifice, et magistro, qui cogeretur docere[4], antequam ipse didicisset. Magna vis est[5] quum in deorum immortalium numine, tum vero in ipsa republica. Dii immortales suorum templorum custodem ac præsidem sceleratissime pulsum quum viderent, ex suis templis in ejus ædes immigrare nolebant : itaque istius vecordissimi mentem cura metuque terrebant. Res vero publica, quamquam erat exterminata mecum, tamen obversabatur ante oculos exstinctoris sui[6], et ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me seque repetebât. Quare quid est mirum, si iste metus[7] furore instinctus, scelere præ-

2. *Somniis stimulatus.* Prædo quidam fingitur ad placandam iram deorum somniis atrocibus inductus, atque coactus, quum illi per quietem dira objicere dii viderentur, et pavorem incutere, quem scelerum conscientia fovebat.

3. *Detestatione tot scelerum.* Quasi divinum numen tot sceleribus violatum placare vellet.

4. *Docere.* Verba præire ritu sacro.

5. *Magna vis est.* Ad incutiendum mortalibus religionis metum.

6. *Exstinctoris sui.* Cod. Car. Steph. Barb. et ed. Rom. *exstinctoris*, ut Venetas mittam, quas vidit Gruterus. Sed in Barb. margine, *alii*, *exterminatoris*, antiqua manus adscripsit.

7. *Iste metus.* Iste Nattæ timor qui invitus ferme parebat, Clodii furore instinctus, ejusdem scelere præceps. Varie locum hunc torquent interpretes.

ceps, neque institutas cærimonias persequi, neque verbum ullum solemne potuit effari?

LVI. Quæ quum ita sint, pontifices, revocate jam animos vestros ab hac subtili nostra disputatione ad universam rempublicam, quam antea cum viris fortibus multis, in hac vero causa solis vestris cervicibus sustinetis. Vobis universi senatus perpetua auctoritas, cui vosmet ipsi præstantissimi[1] semper in mea causa præfuistis; vobis Italiæ magnificentissimus ille motus, municipiorumque concursus[2]; vobis campus[3], centuriarumque una vox omnium, quarum vos principes atque auctores fuistis; vobis omnes societates, omnes ordines, omnes, qui aut re, aut spe denique sunt boni[4], omne vobis erga meam dignitatem studium[5], et judicium non modo commissum, verum etiam commendatum esse arbitrantur[6]. Denique ipsi dii immortales, qui hanc urbem atque hoc imperium tuentur, ut esset omnibus gentibus posteritatique perspicuum, divino me numine esse reipublicæ redditum, idcirco mihi videntur fructum ipsum reditus et gratulationis meæ, ad suorum sacerdotum potestatem judiciumque revocasse. Hic est enim reditus, pontifices, hæc restitutio[7], in domo, in sedibus, in aris, in focis, in diis penatibus recuperandis: quorum si iste suis sceleratissimis manibus tecta sedesque convellit, ducibusque consulibus, tamquam urbe

LVI. 1. Forte, ut conjiciunt, *præstantissime.*

2. *Concursus.* Ad me defendendum et restituendum.

3. *Campus*, in quo de meo reditu lata lex est.

4. Al. emendant *bona.*

5. *Studium. Studium suum*, quod illi erga me testatum fecerunt, quum tantopere laborarent, ut restituerer, et judicium, quid de me existimarent, cum tanta benivolentia et applausu restitutum exciperent, de quibus in verbis præcedentibus.

6. Al. *arbitrabantur.*

7. *Hæc restitutio.* Tum vere restitutus videbor, quum domum meam, sedes recuperavero.

capta, hanc unam domum, quasi acerrimi propugnatoris, sibi delendam putavit; tamen illi dii penates ac familiares mei, per vos in meam domum mecum erunt restituti.

LVII. Quocirca te, Capitoline[1], quem propter beneficia populus romanus optimum, propter vim maximum nominavit, teque, Juno regina, et te, custos urbis, Minerva, quæ semper adjutrix consiliorum meorum, testis laborum exstitisti, precor ac quæso; vosque, qui maxime me repetistis, atque revocastis, quorum de sedibus hæc mihi proposita est contentio, patrii penates familiaresque, qui huic urbi et reipublicæ præsidetis[2], vos obtestor, quorum ego a templis ac delubris pestiferam illam et nefariam flammam depuli; teque, Vesta mater, cujus castissimas sacerdotes ab hominum amentia, furore et scelere defendi, cujusque ignem illum sempiternum non sum passus aut sanguine civium restingui, aut cum totius urbis incendio commisceri: ut[3], si in illo pæne fato reipublicæ objeci meum caput, pro vestris cærimoniis atque templis, perditissimorum civium furori atque ferro; et, si iterum, quum ex mea contentione interitus bonorum omnium quæreretur, vos sum testatus, vobis me ac meos commendavi, meque ac meum caput ea conditione devovi, ut, si et eo ipso

LVII. 1. *Te, Capitoline.* Is nempe Jupiter est, quem proprie *optimum maximum* dixerunt. Vide Ouzel. ad Minuc. Felic. p. 124.

2. *Reipublicæ præsidetis.* Sic Gruter. e suis codd. Al. *reipublicæ præsides estis.*

3. *Ut.* Wolfius hoc in loco exsultat et equitat, quasi nulla sit periodi series ac conjunctio; illudque tantum sues effugere ait, qui non ita ut catuli olent. Quæ sane urbana disceptandi ratio valere posset, si *ut* necesse cum subjunctivo conjungi esset. Verum quid obstat quin formulam hanc recordemur solemnium votorum ac precum, in quibus fit comparatio eadem; Horatius, Od. I, 3: «Sic te diva potens Cypri, etc.» Hunc inde sensum eruemus: «Te, summe Jupiter ceterique dii ita quæso precorque. Quemadmodum, etc.»

tempore, et ante, et in consulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, præmiis prætermissis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, nisi de salute meorum civium, laborassem, tum mihi republica aliquando restituta liceret frui; sin autem mea consilia patriæ non profuissent, ut perpetuum dolorem, avulsus a meis, sustinerem : hanc ego devotionem capitis mei, quum ero in sedes meas restitutus, tum denique convictam esse [4] et commissam putabo. Nam nunc quidem, pontifices, non solum domo, de qua cognoscitis, sed tota urbe careo [5], in quam videor esse restitutus. Urbis enim celeberrimæ et maximæ partes adversum illud non monumentum, sed vulnus patriæ contuentur : quem quum mihi conspectum morte magis vitandum fugiendumque esse videatis; nolite, quæso, eum, cujus reditu restitutam rempublicam fore putastis, non solum dignitatis ornamentis, sed etiam urbis partibus velle esse privatum [6].

LVIII. Non me bonorum direptio, non tectorum excisio, non depopulatio prædiorum, non præda consulum ex meis fortunis crudelissime capta permovet: caduca semper et mobilia hæc esse duxi; non virtutis atque ingenii, sed fortunæ et temporum munera : quorum ego non tam facultatem umquam et copiam.

4. *Convictam.* Ut convicti dicuntur votorum votis obligati seu damnati; eodemque sensu commissa dicitur stipulatio, quæ sit facto et commisso promissoris impleta, item convicta et commissa devotio est, quæ adimpleta sit, et ipso exitu comprobata. Conf. Salmas. de modo usurar. cap. 14.

5. *Tota urbe careo.* Quum enim domus mea e celeberrimis urbis partibus adspiciatur, iis carere cogor, ne dolor meus moveatur. Sermo hic ad summum civem optime pertinet, qui in luce, in foro versari vult, si urbe sit, neque se in urbe commorari putet, si in foro esse sine summa ignominia et indignatione non possit.

6. *Velle esse privatum.* Ne cui dura videatur loquendi forma, conferenda dabit exempla Tullius ipse Phil. VII, 9; pro Balb. c. 28; pro Cœl. c. 32; pro Muren. cap. 25.

expetendam[1] putavi, quam et in utendo rationem, et in carendo patientiam. Etenim ad nostrum usum propemodum jam est definita moderatio rei familiaris[2]; liberis autem nostris satis amplum patrimonium paterni nominis, ac nostræ memoriæ, relinquemus : domo per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim sceleratius etiam ædificata, quam eversa, carere sine maxima ignominia reipublicæ, meo dedecore ac dolore non possum. Quapropter, si diis immortalibus, si senatui, si populo romano, si cunctæ Italiæ, si provinciis, si exteris nationibus, si vobismet ipsis, qui in mea salute principem semper locum auctoritatemque tenuistis, gratum et jucundum meum reditum intelligitis esse : quæso obtestorque vos, pontifices, ut me, quem auctoritate, studio[3], sententiis[4] restituistis, nunc, quoniam senatus ita vult[5], manibus[6] quoque vestris in sedibus meis collocetis.

LVIII. 1. *Expetendam*. Non immerito Olivet. Lallem. et Ernest. *expetendam* restituerunt : quod a MSS et edd. vetustioribus aliquibus (in iis Angellum et Aldum nominat Ernestus) accepisse Naugerium existimo, Lambinumque non sine Memmianorum suffragio codicum adoptasse.

2. *Rei familiaris*. Hæc verba, quibus codicem Franc. et edit. 1472 carere adnotavit in var. lect. Grævius, desunt etiam in cod. Barb. et priore Veneta.

3. *Auctoritate, studio*. Similis locus supra, ex quo intelligitur, pontifices extra collegium, quum in senatu sententias dicebant, Ciceroni suffragatos fuisse. Ad Attic. ep. 11, quum pontifices decressent ita : « Si neque populi jussu, neque plebiscito qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset, videri posse sine religione eam partem areæ mihi restitui ». Post factum est SC. Videri Ciceronis domum judicio pontificum religione liberatam, et ut magistratus curarent, ut ei sine vi ædificare liceret : in ea de Har. Resp.

4. *Sententiis*. In senatu dictis.

5. *Quoniam senatus ita vult*. Nam quid velit ipse declaravit, quum me decretis restituit.

6. *Manibus*. Quod jam sententiis perfecistis.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

DE HARUSPICUM RESPONSIS

ARGUMENTUM.

Quum in agro suburbano, qui Latinensis appellatur, fremitus quidam auditus esset, senatus, ut solebat in similibus prodigiis, consuli cœptus. Neque deerant qui narrarent parvum quoddam sacellum Junonis, quod in Albano monte dedicatum orientem solem spectabat, ad septemtriones fuisse conversum; facem a meridie erumpentem ad aquilonem porrigi visam; lupum in Urbem intravisse; aliquot cives de cælo tactos. Hæc quum vates expiare vellent, aliquod numen iratum populo dixerunt, quod in locis quibusdam religiosis esset ædificatum. Ibi Clodius Ciceronem aperte adortus est, quod is in area Libertati dedicata ædes struxisset, semelque eo se contulit, ut domum denuo dirueret; sed id facere a Milone est prohibitus.

Tum ex hac Dionis XXXIX, 20, narratione, tum ex ipsa oratione, patet P. Clodium ædilem A. U. 698, ansam hanc in Ciceronem arripuisse, illudque in primis de sacrorum locorum profanatione verbis extulisse, quasi Ciceroni totum crimen esset subeundum. Qua ex re orator occasionem nactus iterum defendendæ domus suæ ita criminationes Clodii repellit, ut omnia haruspicum responsa in eum retorqueat. Haruspices autem declaraverant :

1° Ludos minus diligenter factos pollutosque;
2° Loca sacra et religiosa profana haberi;
3° Oratores contra jus fasque interfectos;
4° Fidem et jusjurandum neglectum;
5° Sacrificia vetusta occultaque minus diligenter facta.

« Monere igitur deos, ne per optimatium discordiam dissensionemque patribus principibusque cædes periculaque creentur; qua re ad unum provinciæ redeant, ne occultis consiliis respubl. lædatur; ne deterioribus repulsisque honos augeatur; ne reipublicæ status commutetur. »

Cicero autem, quod ad primam causam attinet, ludos, qui polluti dicantur, non posse alios significari, nisi Megalenses, ab adversario paullo ante cum insigni periculo civium factos,

in caveam immissa servorum multitudine, quum ad ludos liberi tantum accedere solerent. 2° De locis sacris responsum non pertinere ad domum suam, utpote ab omni religione omnibus judiciis liberatam, sed ad eam quam Clodius possideat, vetere domino Q. Seio interfecto, quippe in ea sacellum atque aras fuisse, quæ nunc profano usu habeantur. 3° Oratores significatos videri legatos Theodosium et Platorem, quorum ille per Clodium, hic Pisonis fraude occisus sit. 4° Fidem jurisjurandi notari spretam olim a judicibus, qui Clodium manifesto incestus crimine absolverint. 5° Denique scelus Clodii facillime agnosci, qui sacrificia Bonæ Deæ, omnium vetustissima et occultissima stupro nefario polluerit.

Simili modo deorum monita, quæ subjuncta feruntur, sic explicat orator, ut ea maximam partem ad Clodium et Clodii similes homines pertinere, et quæcumque mala civitati impendeant, ad istius scelus et furorem referenda esse videantur. Ad extremum in peroratione excusat, quod tam gravi et tristi oratione sit usus, atque ad religiones diligenter procurandas hortatur.

M. T. CICERONIS
ORATIONES.

ORATIO
DE HARUSPICUM RESPONSIS.

ORATIO TRICESIMA.

I. Hesterno die, patres conscripti, quum me et vestra dignitas, et frequentia equitum romanorum, quibus senatus dabatur[1], magnopere commosset: putavi mihi reprimendam esse P. Clodii [impudicam[2]] impudentiam, quum is publicanorum causam stultissimis[3] interrogationibus impediret, et P. Tullioni Syro navaret operam, atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus, venditaret. Itaque hominem furentem exsultantemque continui, simul ac periculum judicii intendi: duobus inceptis[4] verbis omnem impetum gladiatoris ferociamque compressi.

I. 1. *Quibus senatus. dabatur.* Ut audirentur controversiæ, quæ erant inter Syros, et eam publicanorum societatem, quæ Syriaca vectigalia de censoribus redemerat. Quo die publicanis Syriæ datus fuerit senatus, conf. ad Q. Fratr. II, 13, init.

2. *Impudicam.* Quum verbum hoc sequenti conjunctum non ita bene sonet, alii expunxerunt, alii cum Ernesto ac Garatonio *impunitam* conjecere.

3. *Stultissimis.* Absurdissimis.

4. *Duobus inceptis verbis.* Vixdum duobus legis verbis prolatis. Sic inf. cap. 4: « Voce tantum attigi legis initium et judicii; concidit ille ». Poterat eum accusare Cicero de vi, quam

Attamen ignarus ille, qui consules essent[5], exsanguis atque æstuans, se ex curia repente proripuit, cum quibusdam fractis[6] jam atque inanibus minis, et cum illius Pisoniani temporis Gabinianique terroribus. Quem quum egredientem insequi cœpissem, cepi equidem fructum maximum, et ex consurrectione omnium vestrum, et ex comitatu publicanorum. Sed vecors repente sine suo vultu, sine colore, sine voce constitit; deinde respexit; et simul ac Cn. Lentulum consulem adspexit, concidit in curiæ pæne limine, recordatione, credo, Gabinii sui, desiderioque Pisonis. Cujus ego de effrenato et præcipiti furore quid dicam? haud potest gravioribus a me verbis vulnerari, quam est statim, in facto ipso[7], a gravissimo viro P. Servilio confectus ac trucidatus: cujus si etiam vim et gravitatem illam singularem, ac pæne divinam, assequi possem, tamen non dubito, quin ea tela, quæ conjecerit inimicus[8], quam ea, quæ collega patris[9] emisit, leviora atque hebetiora esse videantur.

II. Sed tamen mei facti rationem exponere illis volo, qui hesterno die dolore me elatum, et iracundia longius prope digressum arbitrabantur, quam sapientis hominis cogitata ratio postularet. Nihil feci[1] iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum, ac multo ante meditatum. Ego enim, patres conscripti,

his temporibus et privatis et publice intulerat.

5. *Qui consules essent.* Quum novorum consulum indolem nondum cognosceret.

6. *Fractis.* Mutata temporum ratione, quum neque Piso, neque Gabinius jam consules essent.

7. *In facto ipso.* Quum egrediens minitaretur.

8. *Quin ea tela, quæ conjecerit inimicus.* Cicero.

9. *Quæ collega patris emisit.* Servilius cum patre Clodii Appio Claudio Pulchro ann. U. 675 consulatum gesserat.

II. 1. *Nihil feci iratus.* Adeo non quorumdam senatorum crimen amoliri quærit orator, ut contra illud amplexetur, ut meditatæ mentis opus.

inimicum me semper esse professus sum duobus[2], qui me, qui rempublicam, quum defendere deberent, servare possent; quumque ad consulare officium ipsis insignibus[3] illius imperii, ad meam salutem non solum auctoritate, sed etiam precibus vestris vocarentur; primo reliquerunt, deinde prodiderunt, postremo oppugnaverunt, præmiisque nefariæ pactionis[4] funditus una cum republica oppressum exstinctumque voluerunt; quique suo ductu, et imperio cruento illo, atque funesto, supplicia neque a sociorum mœnibus[5] prohibere, neque hostium[6] urbibus inferre potuerunt; excisionem, inflammationem, eversionem, depopulationem, vastitatem eam, sua cum præda, meis omnibus tectis atque agris intulerunt. Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis, ac pæne hujus imperii pestibus, bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum: neque id tamen ipsum tantum, quantum meus ac meorum, sed tantum, quantum vester[7] atque omnium bonorum dolor postulavit.

III. In Clodium vero non est hodie meum majus odium, quam illo die[1] fuit, quum illum ambustum[2] religiosissimis ignibus, cognovi muliebri ornatu, ex

2. *Duobus*. Consulibus Gabinio et Pisoni.

3. *Ipsis insignibus*. Suæ dignitatis notis.

4. *Nefariæ pactionis*. Acceptis a Clodio provinciis, ob proditum Ciceronem.

5. *Supplicia ... a sociorum mœnibus*. Piso Macedoniam ita administravit, ut Barbari eam undique invaderent, et Thessalonicenses in ipso imperii gremio oppidum relinquere, et urbem munire cogerentur.

6. *Hostium urbibus*. Gabinius, quum victis aliqua ex parte hostibus senatui de gratibus agendis scripsisset, repulsam tulit; quod uni tantum proconsuli probrum fuerat inustum.

7. *Vester*. Quum non minus in remp. quam in me peccaverint.

III. 1. *Illo die*. Causam odii a privata simultate ad publica delicta transfert, quo majus dicenti pondus insit.

2. *Ambustum*. Ernestus explicat, ex sacrificio Bonæ Deæ vix impune

incesto stupro, atque ex domo pontificis maximi emissum: tum, inquam, tum vidi, ac multo ante prospexi, quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reipublicæ. Videbam, illud scelus tam importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis, nobilis, vulnerati[3], non posse arceri otii[4] finibus; erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem civitatis.

Non multum mihi sane post ad odium accessit; nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis[5], odio dignitatis, odio reipublicæ. Non me magis violavit, quam senatum, quam equites romanos, quam omnes bonos, quam Italiam cunctam; non denique in me sceleratior fuit, quam in ipsos deos immortales[6]. Etenim illos eo scelere violavit, quo nemo antea: in me fuit eodem animo, quo etiam ejus familiaris Catilina, si vicisset, fuisset. Itaque eum numquam a me esse accusandum putavi, non plus, quam stipitem illum[7], qui, quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem ipse esse diceret. Quid enim hunc persequar[8], pecudem ac belluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum[9]? qui si sen-

dimissum, non sine nota turpitudinis, sicut is ambustus judicio dicatur, qui judicii periculum ægre evaserit. Manutius simplicius interpretatur, quasi ad sacrificia ita prope accesserit, ut ignibus ambustus videri potuerit; quo sensu ad illam cæcitatem, de qua sæpius in præcedenti oratione mentio est, alludi potest.

3. *Vulnerati.* Infamia sua graviter offensi.

4. *Arceri otii finibus.* Non posse in quiete contineri.

5. *Odio severitatis.* Non me privatim ita oderat, quam in me legum severitatem, magistratuum dignitatem, reipublicæ salutem vindicatam persequebatur.

6. *Deos immortales.* Quos stupro suo violavit.

7. *Stipitem illum.* Ælium Ligurem, collegam Clodii in tribunatu, qui, referente L. Ninnio de reditu Ciceronis intercessit.

8. *Quid enim hunc persequar, pecudem ac belluam.* Ælium hunc Ligurem.

9. *Corruptum.* Emptum.

sit, quo sese scelere devinxerit, non dubito, quin sit miserrimus ; sin autem id non videt, periculum est, ne se stuporis excusatione defendat.

Accedit etiam, quod, exspectatione omnium, fortissimo et clarissimo viro, T. Annio, devota et constituta ista hostia[10] esse videtur : cui me præripere desponsam jam et destinatam laudem, quum ipse ejus opera et dignitatem et salutem recuperarim, valde est iniquum.

IV. Etenim, ut P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis, qui illam a multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, pæne captam aliquando, quasi fatali eventu, solus evertit : sic T. Annius ad illam pestem comprimendam, exstinguendam, funditus delendam natus esse videtur, et quasi divino munere donatus reipublicæ. Solus ille cognovit, quemadmodum armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios[1] fugaret, alios domi contineret, qui urbem totam, qui curiam, qui forum, qui templa omnia cæde incendiisque terreret, non modo vincere, verum etiam vincire[2] oporteret.

Huic ego, et tali, et ita de me, ac de patria merito

10. *Hostia*. Quæ T. Annio, fortissimo viro, dedatur. Atque hoc loco de accusatione loquitur, quam Milo jam tum Clodio intenderat. Et eodem sensu Cicero consul pro L. Flacco repetundarum reo verba facit, quem conf. cap. 38. Solis Marklando et Wolfio datur ita locum hunc trahere, ut ad futuram Clodii cædem, quæ tribus post annis facta est, alludi certum habeant, et in hoc tam pulchro sensu exsultent, cum festivissima (dii boni!) ironia! Qui si vel minime sequens caput respexissent, non oratorem stultitiæ damnassent, quod crimen ad quos jure revertatur modestior ego non dicam.

IV. 1. *Alios*. Ut Ciceronem. — *Alios*. Ut Pompeium.

2. Alii, ut Lamb. et Ernest. magis probant « vincire, ver. et. vincere ». Falso : nam ut vincias belluam, victam antea esse oportet. — Anno superiore Milo tribunus pl. Clodium privatum accusavit : sed ratio est inventa, qua judicium id tolleretur, Clodiusque causam non diceret. Tum itaque Milo adversus armatam illius vim arma paravit. Vide post Redit. in Sen. 8 ; pro Sext. 40, et seqq. Ea de re sic

viro, numquam mea voluntate præripiam eum præsertim reum, cujus ille inimicitias non solum suscepit propter salutem meam, verum etiam appetivit. Sed si etiam nunc illaqueatus jam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exspectatione supplicii jam non diuturna implicatus, feretur tamen hæsitans, et in me impetum impeditus facere conabitur; resistam, et aut concedente, aut etiam adjuvante Milone, ejus conatum refutabo: velut hesterno

anno inde tertio decimo Tullius de Offic. II, 17: «Honori summo nuper nostro Miloni fuit, qui gladiatoribus emptis reip. causa, quæ salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit». Tullio restituto, Clodius a sua vi non discesserat. Quomodo ei, dum in tribunatu fuit, Milo restiterit, cognosces ex IV ad Att. 3, ubi Lambin. tempora non distinxit, in quibus aliquid peccat etiam fortasse Dion, XXXIX, 20. Hoc anno 697 Milo privatus erat, Clodius ædilis. Hic igitur Miloni apud populum diem dicere ausus est: manu semper et armis est usus in Milonem et Pompeium: sed Milonem eadem ratione resistentem expertus est: tum ea, quæ de ludis Megalensibus infra narrantur cap. 11, sequuta sunt: denique Milonem omisit, quum suis eum et Pompeii copiis multo superiorem esse perspiceret. Conf. pro Mil. 15, et ad Q. Fratr. II, 3. Hoc erant loco res Clodii, quum a Tullio hæc dicerentur. Ut, inquit, Scipio Carthagini, sic Milo huic pesti delendæ natus videtur. Id vero judicio publico fieri oportebat, quo damnatum iri Clodium, Milone de vi accusante, spondebat causa et apertissima, et SCtis præjudicata, spondebat fortitudo illa Milonis, magno armatorum præsidio instructa, cui Clodius, qua vi ad scelera et ad impunitatem uti solebat, ea jam par esse non poterat. Hinc ii, qui anno superiore judicium de Clodio sustulerant, infra cap. 24, restitisse dicuntur, «ne a republica reip. pestis removeretur», ne scilicet Clodius de civitate per damnationem et exsilium exterminaretur. Non licebat Miloni hoc anno pœnas ab ædile judicio repetere: interea vinctum tenebat hominem tum armis præsentibus, tum damnationis certæ periculo, ut inanes impetus faceret, et jamjam se commovere non posset. Solus quippe Milo jam inde a tribunatu cognorat, quemadmodum oporteret a rep. vim civis armati depelli: legibus quidem agendum, sed armis quoque utendum, quibus remp., leges, teque ipsum tuearis. Hæc ergo erant vincula, leges simul et arma: non solæ leges, quas facile per vim Clodius eluserit; non arma sola, quæ ad defendendum, non ad lædendum, privato, non publico consilio sumi necesse fuerat; quibus Clodium identidem vincere, aliud ex alio conantem, non in perpetuum reprimere, ut finis aliquando pugnarum esset, probo viro licebat.

die, quum mihi stans[3] tacenti[4] minaretur, voce tantum attigi legum initium et judicii; consedit ille; conticuit. Diem dixisset[5], ut fecerat : fecissem, ut ei statim tertius a prætore dies diceretur. Atque hoc sic moderetur, et cogitet, si contentus sit iis sceleribus, quæ commisit, jam se esse[6] consecratum Miloni; si quod in me telum intenderit, statim me esse arrepturum arma judiciorum atque legum.

Atqui paullo ante, patres conscripti, concionem habuit, quæ est ad me tota delata : cujus concionis primum universum argumentum sententiamque audite. Quum riseritis impudentiam hominis, tum a me de tota concione audietis.

V. De religionibus, sacris et cærimoniis est concionatus, patres conscripti, Clodius : P. inquam, Clodius sacra et religiones negligi, violari, pollui questus est. Non mirum, si hoc vobis ridiculum videtur. Etiam sua concio risit hominem, quomodo ipse gloriari solet, ducentis confixum senatusconsultis[1], quæ sunt omnia contra illum pro religionibus facta, hominemque eum, qui pulvinaribus Bonæ Deæ stuprum intulerit,

3. *Quum mihi stans tacenti.* Alii, « stanti tacens ». Manutius et Lamb. habent « stanti jacens », quod uno codice firmatur.

4. *Tacenti.* Quum consurrexisset, et mihi tacenti minaretur, ac meæ domui, simul ac verbo attigi judicium illud, consedit et tacuit.

5. *Diem dixisset.* Quid fecisset? Me ad populum vocasset, ut fecerat, quum in exsilium abii? At curassem ut ei prætor de vi publica diem diceret, et post tertium diem, seu perendinum, ante tribunal sisteret. Si diem mihi dixisset, feeissem ut ipsi illi causa esset ante me dicenda. Judicia enim de vi se majestate extra ordinem, diebus etiam festis, judicabantur.

6. Alii, *esse jam*. Oliv. et Lallem. retulerunt, « jam se esse », quod ante Grut. obtinebat : nisi quod Rom. et ambæ Ven. cum cod. Barb. omittunt *se esse*.

V. 1. *Senatusconsultis.* Clodius, summa homo impudentia, senatum irridebat, quum apud infimam plebem, et sectatores suos, quibus, ut ipsi, senatus erat nomen invisum, ducentis se confixum SCtis gloriabatur, quæ tamen ei nihil nocere potuerant.

eaque sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, adspici fas est, non solum adspectu virili, sed flagitio stuproque violarit, in concione de religionibus neglectis conqueri[2]. Itaque nunc proxima concio ejus exspectatur de pudicitia. Quid enim interest, utrum ab altaribus religiosissimis fugatus, de sacris et religionibus conqueratur, an ex sororum cubiculo[3] egressus, pudorem pudicitiamque defendat? Responsum haruspicum hoc recens de fremitu[4] in concione recitavit: in quo cum aliis multis scriptum etiam illud est (id quod audistis), loca sacra et religiosa, profana haberi. In ea causa esse dixit domum meam, a religiosissimo sacerdote, P. Clodio, consecratam.

Gaudeo mihi de toto hoc ostento, quod haud scio, an gravissimum multis his annis huic ordini nuntiatum sit, datam non modo justam, sed etiam necessa-

2. *De religionibus neglectis conqueri.* Hoc quam ridiculum sit, id crimen scelusve reprehendere, cui ipse sis obnoxius, non solum Satyrici traducunt. Notus est locus Juvenalis, Sat. II: « Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Qui cælum terris non misceat, et mare cælo, Si fur displiceat Verri, homicida Miloni, Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum? » Sed et de his graviter disputat Tullius ipse libro tertio in Verrem, capite primo et seq.

3. *Ex sororum cubiculo egressus.* Quibuscum parum caste vivere putabatur.

4. *De fremitu.* Is est, qui cap. 10 dicitur « horribilis fremitus armorum », ubi, et cap. 21, cum *strepitu* conjungitur, et cap. 28, « genus sonitus » appellatur. Apud Lucanum, I, 569, est « fragor armorum » inter ostenta. De cælo id exauditum, quidquid fuerit, facile colligas ex iis verbis, cap. 28, « quum ipse mundus, quum aer (in agro Latiniensi), atque terra (Potentiæ in Piceno, ut ibid. ante dixerat) motu quodam novo, contremiscunt, et inusitato aliquid sono, incredibilique prædicunt ». Notum est illud Tibulli, II, 5, 73, « arma crepitantia cælo », et plura similia. Fuerit ergo quoddam tonitru minus frequens, quod armorum fremitum imitaretur. Cælo tonanti *fremitum* attribuit Lucret. V, 1192, VI, 100, 198, 269, 409. Sed aliter hoc ipsum ostentum est a Dione relatum, XXXIX, cap, 20, Καὶ θόρυβος, inquit, ἐν τῷ Λατίνῳ ὑπὸ γῆς ἐξηκούσθη· « et strepitus in Latiniensi (non *in monte Latino*, ut vertunt) sub terra fuerat exauditus ». Θόρυβος apud Dionem id significat, quod de vento subterraneo ait Lucretius, VI, 580: « Speluncas inter magnas fremit ante tumultu ».

riam causam esse dicendi. Reperietis enim ex hoc toto prodigio atque responso, nos de istius scelere ac furore, ac de impendentibus periculis maximis, prope jam voce Jovis optimi maximi præmoneri. Sed primum expiabo religionem ædium mearum, si id facere vere, ac sine cujusquam dubitatione potero. Sin scrupulus tenuissimus residere aliquis videbitur, non modo patienti, sed etiam libenti animo portentis deorum immortalium religionique parebo.

VI. Sed quæ tandem est in hac urbe tanta domus, ab ista religionis suspicione tam vacua atque[1] pura? Quamquam vestræ domus, patres conscripti, ceterorumque civium, multo maxima ex parte sunt liberæ religione, tamen una mea domus judiciis omnibus liberata, in hac urbe, sola est. Te enim appello, Lentule, et te, Philippe: ex hoc haruspicum responso decrevit senatus, ut de locis sacris religiosis ad hunc ordinem referretis : potestisne referre de mea domo? quæ (ut dixi) sola, in hac urbe, omni religione, omnibus judiciis, liberata est : quam primum inimicus ipse, in illa tempestate ac nocte reipublicæ, quum cetera scelera stylo illo impuro, Sext. Clodii[2] ore tincto[3], conscripsisset, ne una quidem attigit litera religionis[4] : deinde eamdem domum populus romanus, cujus est summa potestas omnium rerum, comitiis centuriatis, omnium ætatum ordinumque suffragiis, eodem jure esse jussit, quo fuisset.

VI. 1. *Atque pura.* Ulpian. Pand. XI., 7, 2, § 4 : «Purus locus dicitur, qui neque sacer, neque sanctus est, neque religiosus, sed ab omnibus hujusmodi nominibus vacare videtur».

2. Alii, *Clodius.*

3. *Ore tincto.* Amarissimum convicium; quod optime in Sext. Clodium, de cujus impurissimo ore satis multa dicuntur pro Domo, cap. 18; pro Cœl. cap. 32. Proinde Sext. Clodius leges scribere P. Clodio tribuno pl. solitus erat.

4. *Ne una quidem attigit litera religionis.* Ne una quidem litera religiosam fecit.

Postea vos, patres conscripti, non quod dubia res esset, sed ut huic furiæ, si diutius in hac urbe, quam delere cuperet, maneret, vox interdiceretur [5], decrevistis, ut de mearum ædium religione ad pontificum collegium referretur. Quæ tanta religio est, qua non in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus, unius P. Servilii ac M. Luculli responso ac verbo liberemur? De sacris publicis, de ludis maximis, de deorum penatium Vestæque matris cærimoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi romani, quod, post Romam conditam, hujus unius casti tutoris religionum scelere violatum est, quod tres pontifices statuissent, id semper populo romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est. At vero meam domum P. Lentulus, consul et pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus [6], M'. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, flamen Martialis [7], P. Galba, Q. Metellus Scipio [8], C. Fannius,

5. *Vox interdiceretur.* Sic omnes codices, et ferendum putant Oudend. ad Sueton. Ner. 32, et Garaton. ad h. l. quibus ipsi assentimur. Alii correxerunt « intercluderetur, interciperetur, incideretur ». Cf. pro Domo, cap. 18.

6. *Q. Metellus.* Consulendus est celeb. Norisius Cenot. Pisan. I, 5, ubi de collegiis pontificum, ac de unoquoque a Tullio hic nominato egit accuratissime. Ex ejus observationibus Ferratium jam refutavit Drak. ad Liv. Epit. LXXXIX, ubi traditur, pontificum collegium ab L. Sulla fuisse auctum, ut pontifices essent *quindecim*. Horum tredecim Tullius nominat: aberat autem C. Cæsar pontifex maximus in Gallia pro consule, ac L. Pinarius Natta, qui Clodianæ consecrationi præfuerat.

7. *L. Lentulus, flamen Martialis.* Macrobius, Saturn. II, 9: « A. D. nonum kal. sept. quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, etc. » ex commentariis Q. Metelli Pii P. M. Excidit ibi prænomen L. quia nomen eamdem habet primam literam. Nam ad hunc Lentulum ea pertinere vidit Norisius, quem consule l. c. pag. 56, 61, 62 edit. Burm. in Thes. Ital.

8. *Q. Metellus Scipio.* Nonnullis videtur locus esse corruptus, qui pro Quinto Publium reponunt. Utraque tamen lectio germana et legitima est: quod sic ostendo. P. Cornelius Scipio

M. Lepidus, L. Claudius, rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sext. Cæsar, flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores[9], causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.

VII. Nego umquam post sacra constituta, quorum eadem est antiquitas, quæ ipsius urbis, ulla de re, ne de capite quidem virginum vestalium, tam frequens collegium judicasse : quamquam ad facinoris disquisitionem interest adesse quam plurimos. Ita est enim interpretatio[1] illa pontificum, ut iidem potestatem

adoptatus est a Q. Metello Pio, ut notum est, proindeque nominibus commutatis Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio dictus est, sicut in Fastis Consularibus. At, si quando privatim appellaretur, non Q. Metellus, sed P. Scipio nomen illi erat, et vulgo talis audiebat. Eadem ratione M. Brutus, ita passim ab omnibus nominatus, Philipp. X in SCto Q. Cæpio Brutus dicitur, utpote ab ejus avunculo Q. Servilio Cæpione adoptatus : quod in literis monumentisque publicis adoptantis familiæ nomina retinebantur, ac gentis, quæ relicta fuerat, cognomen tantummodo manebat. Quæ quum ita sese haberent, recte quidem c. 47 pro Domo P. Scipio dicitur, privatim appellatus a Cicerone, quum Macedonicum proavum maternum haberet, ut Scipio, non ut adoptatus a Metello; quo modo proavus illi paternus erat L. Metellus Macedonici frater. Hic vero nominatur, ut pontifex, et publico sacerdotio insignitus, quem profecto locum occupaverat, ut plebeius, et adoptatus, non ut patricius; neque omitti poterat pronomen Metelli, qui adoptaverat.

9. *Pont. minores.* Male in Francii legitur *pontifices majores.* Hi fuerunt quos superius nominavit; subjiciuntur minores. Erant autem pontifices majores et minores, de quorum discrimine vide Guther. de vet. Jure Pontif. lib. I, cap. 24.

VII. 1. *Interpretatio.* Sic dicitur sententia pontificum lata de re dubia, ad religiones pertinente, de qua apud illos disceptabatur, quam consulibus referentibus postea senatusconsultum sequebatur. Ut quum ad pontifices rejectum de domo Ciceronis frequens collegium omni eam religione liberavit. Quod quum ad senatum relatum esset, censuit domum illam religione liberatam videri. Pontificum interpretationem M. Tullius responsionem vocat : « De domo nostra, inquit, nihil adhuc pontifices responderunt ». Jac. Guther. de vet. Jure Pontific. lib. I, cap. 24. Paucis versibus post vocat *collegii*, nimirum pontificum, *judicium*.

habeant judicum. Religionis explanatio[2] vel ab uno pontifice perito recte fieri potest : quod idem in judicio capitis durum atque iniquum est. Tamen sic reperietis, frequentiores pontifices de mea domo, quam umquam de cærimoniis virginum judicasse. Postero die frequentissimus senatus, te consule designato, Lentule, sententiæ principe[3], P. Lentulo et Q. Metello consulibus referentibus, statuit, quum omnes pontifices, qui erant hujus ordinis adessent, quumque alii, qui honoribus populi romani antecedebant, multa de collegii judicio verba fecissent, omnesque iidem scribendo adessent : domum meam, judicio pontificum, religione liberatam videri. De hoc igitur loco [sacro] potissimum videntur haruspices dicere, qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc præcipue juris habet, ut ab ipsis, qui sacris præsunt, sacer non esse judicatus sit[4]?

Verum referte[5] : quod ex senatusconsulto facere debetis. Aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo sententiam dixistis, et eam religione omni liberastis; aut senatus ipse judicabit, qui, uno illo solo antistite sacrorum dissentiente, frequentissimus antea judicavit; aut, id quod certe fiet, ad pontifices reji-

2. Alii, *expiatio*. Invitissimo sensu. — *Explanatur* a pontificibus religio, ut ab haruspicibus portenta, cap. 9, quum quid ea postulet, quomodo sit explananda, quidnam in ludis, in sacrificiis, in consecrationibus recte, aut perperam actum sit, quid denique religione teneatur, quidve solutum sit, a pontificibus definitur. Hinc ait Cicero : « religionis explanatio », sive « interpretatio », aliquando « ab uno pontifice recte fieri potest », quod etiam dixerat cap. 6. Quum autem « de cærimoniis Vestalium » quæritur, si idem fieret, iniquum fore : tunc enim religionem interpretari pontifices nequeunt, nisi de virginis capite simul judicent, quæ cærimonias incesto polluisse arguatur.

3. *Lentule, sententiæ principe*. Primus enim sententiam dicebat consul designatus.

4. *Non esse judicatus sit*. Quomodo de domo mea loquuti sunt haruspices, quam sacram non esse judicaverunt pontifices?

5. *Referte*. Cn. Lentulum et Philippum consules alloquitur.

cietur, quorum auctoritati, fidei, prudentiæ majores nostri sacra religionesque, et privatas, et publicas, commendarunt. Quid ergo hi possunt aliud judicare, ac judicaverunt? Multæ sunt domus in hac urbe, patres conscripti, atque haud scio, an pæne cunctæ jure optimo; sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi[6]: nego esse ullam domum aliam[7], æque privato jure[8], atque optima lege, publico vero omni præcipuo, et humano, et divino jure munitam. Quæ primum ædificatur ex auctoritate senatus, pecunia publica; deinde contra vim nefariam hujus gladiatoris, tot senatusconsultis munita atque septa est.

VIII. Primum negotium iisdem magistratibus est datum anno superiore, ut curarent, ut sine vi mihi ædificare liceret, quibus in maximis periculis universa respublica commendari solet; deinde, quum ille saxis, et ignibus, et ferro vastitatem meis sedibus intulisset, decrevit senatus, eos, qui id fecissent, lege de vi, quæ esset[1] in eos, qui universam rempublicam op-

6. *Jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi.* His verbis Cicero *auctoritatem* pro jure dominii quæsiti usucapione: *mancipium* pro emptionis et alienationis jure: *jus nexi*, pro obligatione aliqua, verbi gratia pro oppigneratione usurpavit. Turn. Advers. lib. XX, c. 19, ubi oratio pro Domo per mendum citatur pro hac de Har. Responsis. Vide quæ notata sunt de his juris Quiritium acquirendi modis quum ad epist. ad Div. et ad Atticum, tum ad libros de Offic.

7. *Nego esse ullam domum aliam*, etc. Garaton. e MSS vestigiis, « nego esse ullam domum aliam privato eodem, quo quæ optima lege ». Al. alia conjiciunt. J. V. L.

8. *Æque pr. jure.* Varie locus hic turbatur, quum vulgata planum tamen omnino sensum suppeditet: multæ sane domus optimo jure hac in urbe possidentur, sed tamen optimum illud jus privatum est; mea vero tum jure privato optimo, tum vero publico, divino et humano freta est; ita ut contendere possim nullam domum æque ac meam variis hisce juris speciebus ita esse munitam. Nihili Ernesti suspicio est, verba « atque optima lege » pro glossemate habentis. Jura vero quatuor hereditarium, auctoritatis, mancipi, nexi, idem sunt ac hereditatis, usucapionis, venditionis, oppignerationis.

VIII. 1. Alii, *est*.

pugnassent, teneri. Vobis vero referentibus, o post hominum memoriam fortissimi atque optimi consules, decrevit idem senatus frequentissimus, qui meam domum violasset, contra rempublicam esse facturum.

Nego, ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus exstare consulta, quot de mea domo, quam senatus unam, post hanc urbem constitutam, ex ærario ædificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a judicibus puniendam[2] putaret. P. Valerio, pro maximis in rempublicam beneficiis, data domus est in Velia publice[3]; at mihi in Palatio restituta : illi locus; at mihi etiam parietes atque tectum : illi, quam ipse privato jure tueretur ; mihi, quam publice magistratus omnes defenderent. Quæ quidem ego si aut per me, aut ab aliis haberem, non prædicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer. Sed, quum sint mihi data a vobis, quum ea attententur ejus lingua, cujus antea manu eversa vos mihi et liberis meis, manibus vestris,

2. *Judicibus puniendam.* Verbum *punire* reciprocam significationem habet, valetque *ulcisci*, cum eoque verbo apprime convenit, quod sensu duplici adhiberi notissimum est : altero, quem habet etiam plerumque ipsum *punire*, unde Faber. Lamb. et Græv. decepti sunt : altero autem, quem hic habet idem *punire*, veluti pro Amer. 24 : « patris ulciscendi causa supplicium de matre sumere », locisque plurimis. Atque adeo *puniri* haud secus quam *ulcisci*, deponentium forma usurpari, observavit jampridem Laurenburg. in Antiquario, et Popma de Usu ant. locut. I, 11, ipsius etiam Tullii locis allatis : quibus adde pro Mil. 13. Est autem huic nostro affinis ille VIII Philipp. 2 : « ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem ».

3. Sic Lallem. Wolf. Beck. etc. — Vulgata lectio, *in villa publica*, quin corrupta sit, nemo dubitat. Itaque cum Grævio sequimur emendationem Palmerii et Rubenii, auctoritate nixam Varronis et Livii. — Ern. ex ed. Angelii arripuit, *in via publica*, tamquam non modo vulgata, sed etiam emendatione Palmerii tolerabilius. Idem in utraque Ven. esse video. Probarem, si constaret, ut erat *vicus publicus*, ita fuisse viam, quæ κατ' ἐξοχὴν eadem ratione *publica*

reddidistis : non ego de meis, sed de vestris factis loquor; nec vereor, ne hæc mea vestrorum beneficiorum prædicatio, non grata potius, quam arrogans videatur.

Quamquam, si me, tantis laboribus pro communi salute perfunctum, efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum hominum animi quidam dolor, quis non ignosceret? Vidi enim hesterno die quemdam murmurantem; quem aiebant negare[4],

diceretur, et in ea templum Vicæpotæ, quod Valerianæ domus locum indicat apud Liv. II, 7; Ascon. ad cap. 2 in Pison. et Plutarch. in Poplic. cap. 10. Nunc puto ex *villa publica* id ortum esse, ut alibi : vide Drak. ad Liv. Epit. LXXXVIII. Tullium hic patet domum suam cum Valeriana ita conferre, ut omnia sibi superiora esse contendat. Celeberrimus urbis locus erat Palatium. Longe minus illustris Velia, etsi montis Palatini pars esset, sive potius collis Palatio adjunctus : neque tamen edito ibi loco, sed humili area Valerio data. Non ergo, inquit vir summus, *in Velia*, sed, ut recte Asconius loquitur, *sub Velia*. Ac sane similiter pro Domo, c. 53, « sub saxo sacro ». Sed mihi videtur *in Velia* defendi posse. Quod enim ait Liv. « in infimo clivo » id opponitur superiori dicto, « in summa Velia », locumque demissiorem quidem significat, sed tamen Veliæ. Sic ædes Penatium, quæ *in Velia* fuisse dicitur a Varrone IV de L. L. 16; Livio, XLV, 16; Solino, cap. 1, et ab Augusto in Monument. Ancyr. eadem *sub Velia* ponitur apud Dionys. Halicarn. I. A. R. 68, ut sensit jam olim Cujacius. Nam profecto depravata ibi vox illa Ὑπελαίαις nihil aliud continet, nisi ὑπ' Ἐλίαις, omisso digammate, quomodo idem, V, 19, Ἐλίαν pro Velia dixit. Neque aliter, V, 48, ubi de loco sepulcri agit publice dato huic ipsi Poplicolæ, ὑπὸ Ἐλεοῦς factum ex ὑπὸ Ἐλίαις· licet Casaubonus Ἐλεοῦς pro eadem Velia ferat, ad quam sepulcrum illud fuisse cognovit ex Plutarchi Poplic. cap. 32, παρα την καλουμένην Οὐελίαν, hoc est, prope domum ipsam Valerii. Est autem ὑπ' Ἐλίαις, *sub Veliis*, optimum : nam *Velias* plurali numero eum clivum appellat Varro loc. cit. et apud Non. pag. 531; Merc. Fragm. pag. 56, et Festus ex Verrio, pag. 256 ed. Amst. Quæ igitur ædificia in imo colle, aut fere imo posita sunt, eadem et in eo, et sub eo esse colle dici posse videntur; quum neque sint extra collem, neque dubium sit, quin ipsi colli maxime subjaceant. Talis ædes Penatium fuit, quam male Nardinus VI. R. V. 12, in summa Velia collocabat. Talis Valerii domus, licet infra ipsam Penatium ædem posita videatur : cujus quidem locum, et historiam omnes ita noverant, ut vereri Cicero non deberet, ne, quum *in Velia* diceret, summam, non infimam dicere videretur. GARATON.

4. *Negare ferre*. Ἐλλειπτικῶς, pro *negare se ferre*, ut supra cap. 4, et

ferre me posse, quia, quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cujus essem civitatis, respondi, me, probantibus et vobis, et equitibus romanis, ejus esse, quæ carere me non potuisset. Ille, ut opinor, ingemuit. Quid igitur responderem (quæro ex eo ipso, qui ferre me non potest)? Me civem esse romanum? literate respondissem[5]. Tacuissem? desertum negotium. Potest quisquam vir in rebus magnis cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? At ipse non modo respondet, quidquid potest[6], quum est lacessitus; sed etiam gaudet, se ab amicis, quid respondeat, admoneri.

IX. Sed, quoniam mea causa expedita[1] est, videamus nunc, quid haruspices dicant. Ego enim fateor, me et magnitudine ostenti, et gravitate responsi, et una atque constanti haruspicum voce vehementer esse commotum. Neque is sum, qui, si cui forte videor plus quam ceteri, qui æque atque ego sunt occupati, versari in studio literarum, his delecter, aut utar omnino literis, quæ nostros animos deterrent atque avocant a religione[2]. Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum majores nostros: quorum mihi tanta fuisse sapientia videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illorum pru-

sæpe apud Tullium. Vide ad cap. 24 pro Mil.

5. *Literate respondissem.* Errant hoc in loco Manutius et Grævius, qui interpretantur scite et eleganter. Multo verius Ernestus, cui ex contextu consideranti videtur esse *ad literam*, quod gallice nos diceremus *à la lettre*.

6. *At ipse non modo respondet, quidquid potest.* Significat eum, quisquis sit, non solum esse malevolum, sed etiam tardum atque hebetem, quippe cui nihil in mentem veniat, quod lacessitus respondeat.

IX. 1. *Quoniam mea causa expedita.* Hoc est, quoniam quæ de mea causa dicenda habui, dixi. Parum recte Manutius exponit.

2. *Avocant a religione.* Quod ad philosophiam referendum est et maxime Epicuream.

dentiam, non dicam assequi, sed, quanta fuerit, perspicere possint: qui statas[3] solemnesque cærimonias, pontificatu; rerum bene gerendarum auctoritates, augurio; fatorum veteres prædictiones Apollinis, vatum libris; portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri putarunt; quæ quidem tanta est, ut nostra memoria primum Italici belli funesta illa principia, post Sullani Cinnanique temporis extremum pæne discrimen, tum hanc recentem urbis inflammandæ delendique imperii conjurationem non obscure nobis paullo ante prædixerint[4].

Deinde etiam cognovi, multa homines doctissimos sapientissimosque et dixisse, et scripta de deorum immortalium numine reliquisse: quæ quamquam divinitus perscripta video, tamen ejusmodi sunt, ut ea majores nostri docuisse illos, non ab illis didicisse videantur. Etenim quis est tam vecors, qui aut, quum suspexerit in cælum, deos esse non sentiat, et ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac necessitudinem[5] persequi possit, casu fieri putet; aut, quum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum, et retentum? Quam volumus licet, patres conscripti, ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos[6], nec denique hoc ipso

3. *Qui statas.* Locum hunc ad suum usum convertit Valer. Maximus, I, 1: « Majores nostri statas solemnesque cærimonias pontificum scientia; bene gerendarum rerum auctoritates, augurum observatione; Apollinis prædictiones, vatum libris; portentorum depulsa, Etrusca disciplina explicari voluerunt ».

4. Grævius, e MS Fr. et ed. Waldarf. *prædixerit*: quasi *prædixerit* ipsa disciplina, non haruspices Etrusci. J. V. L.

5. Alii, *vicissitudinem*.

6. *Nec artibus Græcos.* Virg. Æn. VI: « Excudent alii spirantia mollius æra, Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus ». Et quibus Græco-

hujus gentis ac terræ domestico nativoque[7] sensu, Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia[8], quod deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.

X. Quare, ne plura de re minime loquar dubia, adhibete animos, et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete: QUOD IN AGRO LATINIENSI[1] AUDITUS EST STREPITUS CUM FREMITU. Mitto haruspices, mitto illam veterem ab ipsis diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriæ datam disciplinam: nos nonne haruspices esse possumus? EXAUDITUS IN AGRO PROPINQUO ET SUBURBANO EST STREPITUS QUIDAM RECONDITUS, ET HORRIBILIS FREMITUS ARMORUM. Quis est ex gigantibus illis, quos poetæ ferunt bellum diis immortalibus intulisse, tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid deos populo romano præmonstrare et præcinere fateatur? De ea re scriptum est, postulationes[2] esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cælestibus.

rum artes describit quæ sequuntur. Est enim notissimus locus. Romanos artium fines non protulisse, sed quidquid norint, accepisse a Græcis, Strabo, Geograph. lib. I, tradit.

7. *Hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativoque sensu.* Hac Italorum indole et ingenio de rebus humanis subtiliter sentiendi et judicandi. *Gentis ac terræ* est ἓν διὰ δυοῖν, gentia hujus terræ.

8. *Hac una sapientia.* Pulcherrimum hunc locum, ac sententiis et verbis vere Ciceronianum, frigore tactum deprehendit Wolfius, aureus certe homo, cujus subtili judicio et delicatissimis auribus nescio an quisquam scriptor vetus possit satisfacere.

X. 1. *In agro Latiniensi.* Erat ager antiqua ex urbe, quæ interierat Plinii ætate, nominatus, nescio autem, an Tullii ævo superesset, quum cap. 28 legamus, « genua sonitus ejus, quem Latinienses nuntiarunt », quod videtur verisimilius: an vero agri, qui Latiniensis appellabatur, incolæ sint intelligendi? Sed nihil commodius, quam « vicum Latiniensem » intelligere: unum ex iis scilicet, quos Plutarch. in Lucull. cap. 37, urbi dixit proximos circumjacere.

2. *Postulationes esse Jovi, Saturno,* est Jovem, Saturnum aliquid postulare, ut eorum pax obtineatur. *P.* Manutius ait *postulationes* esse expiationes. Nequaquam. Postulationem qui-

Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur[3]; sed, hominum quæ ob delicta, quæro. LUDOS MINUS DILIGENTER FACTOS, POLLUTOSQUE. Quos ludos? te appello, Lentule (tui sacerdotii sunt thensæ, curricula[4], præcentio[5], ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum), vosque, pontifices, ad quos epulones Jovis optimi, maximi, si quid est prætermissum, aut commissum, afferunt[6]; quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur: qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto, aut quo scelere polluti? Respondebis et pro te, et pro collegis tuis, et pro pontificum collegio[7], nihil cujusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum; om-

dem sequebatur, si diis satisfacere volebant, expiatio, sed non est postulatio: quid ea sit docet Varro, de L. L. IV: « A Procilio relatum in eo loco dehisse terram, et ex senatusconsulto ad haruspices relatum, esse responsum, deum Manium postulionem postulare, civem fortissimum eo demitti ». Putat Scaliger postulatoria ostenta, fulgura, prodigia dici, quæ neglecta fuerant, nec procurata, quæque ideo indiguerint expiatione. Sed non illa tantum ostenta, quæ significabant aliquid esse neglectum, sed et quæ indicabant aliquid fuisse pollutum, aut quocumque modo aliquid commissum esse, propter quod dii erant placandi, et crimen expiandum, ut ex hoc loco Ciceronis apparet, et ex illo, quem ex Varrone adduximus. Postulationes enim erant, quum dii violati aliquid fieri postularent, ad avertenda mala, quæ ostenta minabantur.

3. *Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur.* Hoc est, audio, qui dii irritati aliquid postulent, ut id, quo violati sunt, expietur, non quod *expiatio* sit postulatio, ut ex hoc loco colligit Manutius.

4. *Thensæ, curricula.* Thensæ sunt sacra vehicula, quibus deorum statuæ in Circensi pompa circumferebantur, ut notatum ad Verrinas ex Asconio, de quibus præ ceteris vide J. Scheff. lib. II, cap. 24, de re vehiculari. *Curricula* sunt aurigarum, bigariorum, trigariorum, quadrigariorum currus, quibus in ludis illis certabant. Hinc « bijuge curriculum » apud Sueton. in Caio: « Postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum per eum pontem commeavit ».

5. *Præcentio.* Est tibicinum, qui in ludis, quum sacrificarent, tibiis canebant. Hinc inferius: « Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit ».

6. Ernest. conj. *deferunt.*

7. *Pro pontificum collegio.* Honoris causa consulem pro se respondere sinet collegium pontificum, quum ei se assentiri significaverit: præsertim

nia solemnia ac justa ludorum[8], omnibus rebus observatis, summa cum cærimonia esse servata.

XI. Quos igitur haruspices ludos minus diligenter factos, pollutosque esse dicunt? eos; quorum ipsi dii immortales, atque illa Mater Idæa[1], te, te, Cn. Lentule, cujus abavi[2] manibus esset accepta, spectatorem esse voluit. Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis, atque his de rebus jam queri liceret: vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis collecta servorum ab hoc ædili religioso, repente fornicibus ostiisque[3] omnibus, in scenam, signo dato, immissa irrupit. Tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quæ in

quum abesset C. Cæsar pontifex maximus, ad quem pro collegio respondere spectabat, ut quidem colligitur ex cap. 53 pro Domo.

8. *Omnia solemnia ac justa ludorum. Justa* sunt rerum in ludis faciendarum solemnia. Vide Gron. Observ. IV, 6.

XI. 1. Alii, *Mater Dea.* J. V. L. — *Matris Idææ* sacra P. Scipionem eum, qui est *vir optimus* a populo romano judicatus, accepisse non solum Cicero infra, sed et Livius lib. XXIX tradidit. Eum vero qui sacra acceperit, patrem fuisse P. Scipionis Nasicæ, qui est *Corculum* appellatus, Cicero in Bruto scribit; eumdem Fasti Capitolini in consulatu, quem cum Acilio Glabrione anno Urb. 562 gessit, ita nominant P. Cornelius. Cn. F. L. N. Scipio. Nasica: sed si P. Scipio Nasica is cujus privati egregia virtus in perditis conatibus T. Gracchi vindicandis fuit, Marcellini proavus recte dicitur, Nasica qui sacra accepit ejusdem Marcellini atavus, non abavus fuit. Siquidem Paterculus Nasicam, qui Gracchum interfecit, ejus qui *optimus vir* judicatus erat nepotem vocat. — Verum ab hoc genere μνημονικῶν ἁμαρτημάτων non immunem esse Ciceronem constat.

2. *Cujus abavi manibus*, etc. Alii habent « cujus ab avia manibus ». J. V. L. — Multa h. l. adnotat Garat. de Q. Claudia, quam Vestalem virginem, alii nuptam et matrem volunt, et quæ ita Lentuli majoribus forsan adscribatur.

3. *Fornicibus ostiisque omnibus.* Fornicibus qui additi erant theatris, ut templa, basilicæ, porticus. Plin. lib. X, epist. 48: « Huic theatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur, ut basilicæ circa, ut porticus supra caveam, quæ nunc omnia differuntur ». Sueton. Claud. c. 21: « Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali posito in orchestra commisit, quum prius apud superiores ædes supplicasset, perque mediam caveam, sedentibus et silentibus cunctis, descendisset ». Ostia autem sunt aditus

privato quondam tuo proavo: te, nomen[4], imperium, vocem, adspectum, impetum tuum stans senatus, equitesque romani, et omnes boni sequebantur, quum ille servorum et ludiorum multitudini senatum populumque romanum vinctum ipso consessu, et constrictum spectaculis, atque impeditum turba et angustiis tradidisset.

An, si ludius constitit[5], aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus[6] si terram

theatrorum, per quos ab exterioribus porticibus itur in spectacula, sive sedilia theatri, quæ et dicebantur « vomitoria, unde homines », ut inquit Servius, « glomeratim ingredientes in sedilia se fundunt ».

4. *Te, nomen.* Hæc Manutius et superiora ita interpretatur, quasi Nasica pont. maximus, is, qui Gracchum occidit, paternus proavus Marcellini cos. fuerit, et ab eo Lentulorum familia originem duxerit. Sicut ex eodem fonte multi rivuli, sic Romæ una ex gente multæ familiæ effluebant; Corneliæ Cethegos habebat, Lentulos, Sullas, Cinnas, Scipiones. Neque vero ex una in aliam familiam transire quisquam poterat, ut ex Sulla Lentulus, ex Lentulo Scipio esset, nisi per adoptionem: nam multo magis familiæ, quam gentis ratio habebatur, ne qua fieret confusio. Quapropter numquam dixerim, Scipionem Nasicam fuisse Lentuli Marcellini proavum paternum, hoc est, familiam Lentulorum ab eodem illo Nasica originem duxisse. Ceterum noster hic consul, cujus quæritur genus, ex Claudiis Marcellis ortum trahebat, proindeque Divin. in Verr. cap. 4, ut Siciliæ patronus, appellatur: adoptatus autem a Cn. Lentulo, nomina, ut mos erat, mutavit. Verisimile porro videtur, aliquam sive filiam, sive neptem Scipionis Nasicæ nupsisse vel Claudio Marcello, vel cuipiam ex Lentulis, ut Scipio ille Tib. Gracchi interfector maternus proavus Marcellini esse potuerit. Senatus hic dicitur sequutus *nomen* Corneliæ gentis, idem utrique, non autem *cognomen*, quod erat diversum, alteri Scipio, Lentulus alteri.

5. *Ludius constitit. Ludius* est histrio, ὀρχηστής. Si interrumperetur saltatio, piaculum commissum credebatur. Servius in VII Æn. « Quum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea quum piaculum formidarent, invenerunt in circo saltantem senem quemdam: qui quum interrogatus dixisset, se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: Salva res est, saltat senex ». Vide Festum, *salva res.*

6. *Aut puer ille patrimus et matrimus. Patrimi* quibus pater, *matrimi* quibus mater. *Patrimi et matrimi*, quorum uterque parens vivit. Illos autem adhibitos sacris Livius ostendit lib. XXXVII: « Patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti ».

non tenuit [7], aut thensam [8], aut lorum [9] omisit, aut, si ædilis verbo, aut simpulo [10] aberravit, ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, et mentes deorum immortalium ludorum instauratione placantur: si ludi ab lætitia ad metum traducti sunt, si non intermissi, sed perempti atque sublati sunt, si civitati universæ scelere ejus, qui ludos ad luctum conferre voluit, exstiterunt dies illi festi pæne funesti; dubitabimus, quos ille fremitus nuntiet ludos esse pollutos? Ac, si volumus [11] ea, quæ de quoque deo nobis tradita sunt, recordari, hanc Matrem magnam, cujus ludi violati, polluti, pæne ad cædem et ad funus civitatis conversi sunt, hanc, inquam, accepimus, agros et nemora cum quodam strepitu fremituque peragrare.

XII. Hæc igitur vobis, hæc populo romano, et scelerum indicia ostendit, et periculorum signa pate-

7. *Non tenuit.* Hoc esse, manibus terram tangere docent, Varro R. Rust. I, 2; Macrob. Saturn. III, 9, etc.

8. Omittitur *aut thensam* apud Arnobium adversus gentes, lib. IV; unde conjiciunt alii, « si thensam non tenuit, aut lorum »; alii, « aut thensæ lorum, etc. » J. V. L.

9. *Aut lorum.* Hujus loci interpres est Asconius in Verr. III: « Thensas alii a divinitate dici putant, alii quod ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere et tangere, qui eas deducunt ». Thensam igitur lorumque, quo equos thensam trahebat, patrimi et matrimi pueri, qui singulas thensas deducebant, quod hic est comitabantur, manu videntur tenuisse, sique forte quis eorum remisisset id lorum, piaculum committebatur.

10. *Simpulo.* Vas erat parvum, quo in sacris libabant.

11. *Ac, si volumus.* Magna erat cautio, ne alius pro alio deus, ut putabant, expiaretur: in terræ motu præcipue: « quoniam, ut ait Gellius, II, 28, ex qua vi, et per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum esset ». Adde Ammian. XVII, 7. Idem valet in his, quæ Latinienses nuntiarant, ostentis. Consulti ergo de more sunt haruspices, qui placandorum nomina deorum expromerent. Ii cap. 10 nominasse dicuntur *Jovem*, Tonantem, credo, αἰθέρα, οὐρανὸν (vide Columu. ad Enn. 180, Hess.) *Saturnum*, forte πᾶσαν περιειληφότα τὴν τοῦ κόσμου φύσιν, *universam mundi naturam amplecti creditum*, ut ait Dionysius Halic. I, 38, *Neptunum*, qui Ἐνοσίχθων sæpe et Ἐννοσίγαιος ab Hesiodo et ab Homero dicitur a terra quatienda; ipsam postremo *Tellurem*. Novum hic nomen Matris Idææ, tam-

fecit. Nam quid ego[1] de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum, in ipso Matris magnæ conspectu, Megalensibus[2] fieri celebrarique voluerunt; qui sunt more institutisque maxime casti, solemnes, religiosi; quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum P. Africanus iterum consul ille major dedit: ut eos ludos hæc lues impura polluerit? quo si qui liber aut spectandi, aut etiam religionis causa, accesserat, manus afferebantur; quo matrona nulla adiit, propter vim consessumque servorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta est, ut ex ultimis terris arcessita in hac urbe consederit; qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris magnæ nomine suscepta declaretur: hos ludos servi fecerunt, servi spectaverunt; tota denique, hoc ædile, servorum Megalesia fuerunt.

Proh dii immortales! qui magis nobiscum loqui possetis, si essetis versareminique nobiscum? Ludos[3] esse pollutos significatis, ac plane dicitis. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest, quam omne servitium, permissu magi-

quam ex haruspicum sententia, interpretando profertur: confer capitis hujus initium.

XII. 1. *Nam quid ego de illis.* In hunc locum vide Asconii commentarium in Cornelianam ad hæc verba Ciceronis: « P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus qui tum erant, verum etiam a se ipso sæpe accusatus est, quod quum consul esset cum T. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari ».

2. *Megalensibus.* Manut. ait recte *Megalensibus* esse Megalensibus diebus. Sic *ludis* est ludorum die. Paullo post: « Si examen apum ludis in scenam venisset ». Sueton. Jul. cap. 39: « Ludis Decimus Laberius, eques romanus, mimum suum egit ». Sicut ibidem *munere* pro *muneris die*: « Munere in foro depugnavit Furius Leptinus ». Et *Circensibus*; « Circensibus, spatio circi ab utraque parte producto ... quadrigas ... agitaverunt nobilissimi juvenes ». Sic et Cic. *feriis* est feriarum die, de Leg. « feriis jurgia amovento ».

3. Edd. vett. quædam habent *Ludos publicos*, quod recepit Grævius.

stratus, liberatum, in alteram scenam immissum, alteri præpositum, ut alter consessus potestati servorum objiceretur, alter servorum totus esset? Si examen apum ludis in scenam venisset, haruspices acciendos ex Etruria putaremus: videmus universi repente examina tanta servorum immissa in populum romanum septum atque inclusum, et non commovemur? Atque in apum fortasse examine, nos ex Etruscorum scriptis haruspices, ut a servitio caveremus, monerent. Quod igitur ex aliquo disjuncto diversoque monstro significatum caveremus, id quum ipsum[4] sibi monstrum est, et quum in eo ipso periculum est, ex quo periculum portenditur, non pertimescemus?

Istiusmodi Megalesia fecit[5] pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi etiam generis sui mentionem facit, quum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caii, aut Appii, Claudiorum? Illi quum ludos facerent, servos de cavea exire jubebant: tu in alteram servos immisisti, ex altera liberos ejecisti. Itaque qui antea voce præconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant.

XIII. Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat, Sibyllino sacerdoti[1], hæc sacra majores nostros ex vestris

Non placet, quia in haruspicum responso *ludos* simpliciter est. Ernest.

4. Alii, « sibi ipsum m. »

5. *Megalesia fecit.* Olim dubitatum est an umquam Appius Claudius istius Publii pater fuerit ædilis, quem tamen oportet fuisse si Megalesia fecit. Cic. quidem, pro Planc. cap. 21, refert illum nobilissimum virum, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, ædilem non esse factum. Quem locum satis probabiliter cum nostro concilies, si eum, mortuo patre, ædilitatem adeptum putes, quod ipse videtur innuere Cicero, quum indicat patris potentiam ad repulsam effugiendam filio non profuisse. Patruus autem C. Claudius Appii filius ædilis fuit anno Urb. 655, dein prætor anno 659, et consul anno 662. Atque hujus ædilitatem in primis magnificam fuisse, notum est ex libro de Offic. II, 16; Verr. IV, 3; Valer. Max. II, 4, 6.

XIII. 1. *Sibyllino sacerdoti.* Verba

libris expetisse[2]? si illi sunt vestri, quos tu impia mente conquiris, violatis oculis[3] legis, contaminatis manibus attrectas. Hac igitur vate suadente quondam, defessa Italia Punico bello, atque ab Hannibale vexata, sacra ista majores nostri adscita ex Phrygia Romæ collocaverunt : quæ vir is accepit, qui est optimus populi romani[4] judicatus, P. Scipio; femina autem, quæ matronarum castissima putabatur, Q. Claudia : cujus priscam illam severitatem [sacrificii[5]] mirifice tua soror existimatur imitata. Nihil te igitur neque majores tui, conjuncti cum his religionibus, neque sacerdotium ipsum, quo est hæc tota religio constituta, neque curulis ædilitas, quæ maxime hanc tueri religionem solet, permovit, quo minus castissimos ludos omni flagitio pollueres, dedecore maculares, scelere obligares?

Sed quid ego id admiror? qui, accepta pecunia, Pessinuntem ipsum[6], sedem domiciliumque Matris Deorum, vastaris, et Brogitaro Gallogræco, impuro homini ac nefario, cujus legati, te tribuno, dividere in æde Castoris tuis operis nummos solebant, totum

quæ sequuntur, perspicue declarant P. Clodium in quindecim viris Sibyllinis fuisse, de quibus Gellius lib. I, cap. 19.

2. *Hæc sacra majores nostri ex vestris libris expetisse.* Colligere hinc possumus P. Clodium xv virum fuisse sacris faciundis. Ad hujus autem loci intelligentiam faciunt ea, quæ scribit Strabo libro XII : Πεσσινοῦς δὲ ἐστιν ἐμπορεῖον, τῶν ταύτῃ μέγιστον, ἱερὸν ἔχον τῆς Μητρὸς τῶν Θεῶν, σεβασμοῦ μεγάλου τυγχάνον.... ἐπιφανὲς δὲ ἐποίησαν Ῥωμαῖοι τὸ ἱερὸν, ἀφίδρυμα ἐνθένδε τῆς θεοῦ μεταπεμψάμενοι κατὰ τοὺς τῆς Σιβύλλης χρησμούς.

3. *Violatis oculis.* Hi sunt polluti et contaminati oculi, qui impuritatem suam transfundere et impingere quodammodo videntur, iis, quæ intuentur.

4. *Qui est optimus populi romani judicatus.* Alii habent, « a populo romano ».

5. *Illam severitatem [sacrificii].* Ernest. vocem *sacrificii* spuriam censet et merito.

6. *Pessinuntem ipsum.* Pro Sextio: « Lege tribunitia Matris Magnæ Pessinuntius ille sacerdos expulsus est, et spoliatus sacerdotio, fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum re-

illum locum[7] fanumque vendideris? sacerdotem[8] ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris? omnia illa, quæ vetustas, quæ Persæ, quæ Syri, quæ reges omnes, qui Europam Asiamque tenuerunt, semper summa religione coluerunt, perverteris? quæ denique nostri majores tam sancta duxerunt, ut, quum refertam urbem atque Italiam fanorum haberemus, tamen nostri imperatores maximis et periculosissimis bellis huic deæ vota facerent, eaque in ipso Pessinunte ad illam ipsam principem aram, et in illo loco fanoque persolverent.

Quod quum Dejotarus religione sua castissime tueretur, quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atque amantissimum nostri nominis[9]; Brogitaro, ut ante dixi, addictum pecunia tradidisti. Atque hunc tamen Dejotarum, sæpe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro jubes. Sed alter est rex judicio senatus per nos; pecunia Brogitarus per te appellatus: alterum putabo regem[10], si habuerit, unde

ligionum venditum pecunia grandi Brogitaro, impuro homini atque indigno illa religione».

7. *Locum*. Mallet Garatonius, Guilelmio conjiciente, *lucum*; quod male tamen ante *fanum* positum videri possit.

8. *Sacerdotem*. Strabo loco citato: Οἱ δὲ ἱερεῖς τὸ παλαιὸν μὲν δυνάσται τινες ἦσαν, ἱερωσύνην καρπούμενοι μεγάλην· νυνὶ δὲ τούτων αἱ τιμαὶ πολὺ μεμείωνται. « Sacerdotes (illius templi) dynastæ quidem erant, magnum ex sacerdotio fructum percipientes, antiquis temporibus. Nunc autem honores eorum valde imminuti sunt».

Clodi suo tempore hunc sacerdotem Dejotaro paruisse vides: tantum abest, ut esset ipse Dejotarus, quod in mentem, nescio quomodo, venit Abramio ad cap. 6 pro Sext. qui locus est conferendus.

9. *Amantissimum nostri nominis*. Lamb. addit *regem*.

10. *Alterum putabo regem*. Nempe Brogitarum. In eo hæret Ernestus, quod alterum membrum deesse videatur, unde Ursinus scribi jubebat « alterum semper, alterum tum putabo regem ». Verum ad sensum nihil refert, cui per se plano nihil addere debuit ipse auctor.

tibi solvat, quod ei per syngrapham credidisti[11]. Nam quum multa regia sunt in Dejotaro, tum illa maxime, quod tibi nummum nullum dedit; quod eam partem legis tuæ, quæ congruebat cum judicio senatus, ut ipse rex esset, non repudiavit; quod Pessinuntem per scelus a te violatum, et sacerdote sacrisque spoliatum, recuperavit, ut in pristina religione servaret; quod cærimonias, ab omni vetustate acceptas, a Brogitaro pollui non sinit, mavultque generum suum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis carere. Sed, ut ad hæc haruspicum responsa redeam, ex quibus est primum de ludis : quis est, qui id non totum in istius ludos prædictum et responsum esse fateatur? Sequitur de locis sacris, religiosis.

XIV. O impudentiam miram! de mea domo dicere audes? Committe vel consulibus, vel senatui, vel collegio pontificum tuam. Ac mea quidem his tribus omnibus judiciis, ut dixi antea, liberata est[1]. At in iis ædibus, quas tu, Q. Seio, equite romano, viro optimo, per te apertissime interfecto, tenes, sacellum dico fuisse, et aras : tabulis hoc censorum, memoria multorum firmabo ac docebo.

Agatur modo hæc res (quod ex eo senatusconsulto, quod nuper est factum, referri ad vos necesse est); habeo, quæ de locis religiosis velim dicere. Quum de domo tua dixero; in qua tamen ita est inædificatum

11. *Credidisti.* Acceperat Clodius a Brogitaro non præsentem pecuniam, sed tantum syngraphis promissam, ita ut per ironiam ei credidisse Clodius dicatur, quod ejus fidei commiserat. Solus hic sensus cum contextu hærere potest, quem alii aliter interpretantur.

XIV. 1. *Liberata est.* Conferendum est cap. 6, quo ab ipso Tullio rejicimur. Bis ibi est, « mea domus judiciis omnibus liberata ». Ea judicia populi, senatus et pontificum fuisse dicuntur. Consules de Tullii domo non cognoverunt; quod proprium eorum judicium fuisset; sed in senatu cum ceteris decreverunt. Hinc illa cap. 7 ad Cn. Lentulum et L. Philippum coss. « Aut vobis cognitio dabitur, qui pri-

sacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo sit demoliendum : tum videbo, num mihi necesse sit de aliis etiam aliquid dicere. Putant enim nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris[2] aperire. Nuper id patuisse dicunt, et ego recordor. Nunc sanctissimam partem ac sedem maximæ religionis privato dicunt vestibulo contineri. Multa me movent : quod ædes Telluris est curationis meæ; quod is, qui illud armamentarium sustulit[3], meam domum pontificum judicio liberatam, secundum fratrem[4] suum judicatam esse dicebat. Movet me etiam in hac caritate annonæ, sterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, et eo magis, quod eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur. Vetera fortasse loquimur : quamquam hoc si minus civili jure perscriptum est, lege tamen naturæ, communi jure gentium sancitum est, ut nihil mortales a diis immortalibus usu capere possint.

XV. Verumtamen antiqua negligimus : etiamne ea negligemus, quæ fiunt quum maxime? quæ videmus? L. Pisonem, quis nescit, his ipsis temporibus, maximum et sanctissimum Dianæ sacellum in[1] Cœliculo sustulisse? adsunt vicini ejus loci; multi sunt etiam

mi (anno superiore quum essent designati) de hac domo sententiam dixistis, et eam religione omni liberastis.

2. *Armament. Telluris.* Multa fuerunt armamentaria Romæ. Herodian. lib. VII : Τάς τε γὰρ δημοσίας ἀποθήκας τῶν ὅπλων, εἴτινες ἦσαν πρὸς πομπὴν μᾶλλον, ἢ μάχην ἐπιτήδειοι, ἀναῤῥῆξαι τοὺς ὄχλους ἐποίησεν. Vertit Politianus : « Quippe jussis effringi publicis armamentariis, in quibus pompæ magis instrumenta, quam belli asservabantur »; hoc est, in quibus arma erant, quæ magis inserviebant solemnibus pompis, in quibus cives armati pyrrichas saltabant, quam bellis. Tale etiam fuisse armamentarium ad Telluris ædem, in solo ei sacrato sitam. Hoc armamentarium fuit conversum in vestibulum domus privatæ.

3. *Quod is, qui illud armamentarium sustulit.* Ap. Claudium Pulchrum P. Clodii fratrem germanum intelligo ex ep. 2, lib. IV, ad Att.

4. *Secundum fratrem.* Fratri suo adjudicatam.

XV. 1. *In Cœliculo.* Rectius scribi-

in hoc ordine, qui sacrificia gentilitia[2], illo ipso in sacello, statuto loco, anniversarii factitarint. Et conquirimus, dii immortales quæ loca desiderent, quid significent, de quo loquantur? A Sext. Serrano[3] sanctissima sacella suffossa, incensa[4], inædificata, oppressa[5], summa denique turpitudine esse fœdata nescimus?

Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua mente? quam amiseras: qua manu? qua disturbaras: qua voce? qua incendi jusseras: qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras[6]: quo pulvinari? quod stupraras[7]: quo simulacro? quod ereptum ex meretricis[8] sepulcro in imperatoris[9] monumento collocaras. Quid habet mea domus religiosi, nisi quod impuri et sacrilegi parietem tangit? Itaque, ne quis meorum imprudens introspicere possit tuam domum, ac te sacra illa tua facientem videre; tollam altius tectum[10]: non ut ego te despiciam, sed ne tu adspicias urbem eam, quam delere voluisti.

XVI. Sed jam haruspicum reliqua responsa videamus. ORATORES CONTRA JUS FASQUE INTERFECTOS. Quid

tur *Cæliolo*, quamvis in libris omnibus *Cæliculo* legatur. *Cæliolus* scribitur apud Varronem, et Sext. Rufum, et Victorem. Fuit collis, ut videtur, humilior Cœlio adsitus: inde vocatur a Martiale, XII, 6, « Cœlius minor »: vide præter Martianum, Donatum, alios, in primis Famiani Nardini veterem Romam, II, 2.

2. Alii, *gentilia*.

3. *Sext. Serrano*. Atiliæ gentis, qui, quum de Ciceronis reditu promulgata lex est, tribunus plebis cum Ninnio intercessit.

4. Ernest. delevit *incensa*.

5. *Oppressa*. Quorum religio fuit oppressa, ut in profanum usum fuerint loca, in quibus erant sita, conversa.

6. *Scripseras*. Scripsit enim Sext. Clodius.

7. *Quod stupraras*. Quum stuprum Bonæ Deæ pulvinaribus intulisti.

8. *Meretricis*. Tanagreæ. Vide pro Domo passim.

9. *Imperatoris*. Catuli.

10. *Tollam altius tectum*. Clodio ait Cicero: ne quis meorum introspicere possit, etiam *imprudens*, et casu, tuam domum, et videre ea, quæ scelerate facis, « tollam altius tectum » meæ domus. An ergo sic impediebat,

est hoc? De Alexandrinis[1] esse video sermonem: quem ego non refuto. Sic enim sentio, jus legatorum, quum hominum præsidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatum. Sed quæro ab illo, qui omnes indices[2] tribunus e carcere in forum effudit, cujus arbitrio sicæ omnes nunc atque omnia venena tractantur, qui cum Hermacho Chio syngraphas fecit: ecquid sciat, unum acerrimum adversarium Hermachi, Theodosium, legatum ad senatum a civitate libera missum, sica percussum? quod non minus, quam de Alexandrinis, indignum diis immortalibus esse visum, certo scio.

Nec confero[3] nunc in te unum omnia. Spes major esset salutis, si, præter te, nemo esset impurus; plures sunt: hoc et tu tibi confidis magis, et nos prope

ne quis e sua domo in vicinas Clodii ædes introspiceret? Sane. Quod ut apertum faciam, operæ pretium est animadvertere id, quod ex Vitruvio repetitum habet Isaac. Casaubonus ad Athen. IV, 12, et J. Minutolus de Dom. Rom. sect. 2, et Laur. Polym. IV, 16. Romanæ domus, præsertim divitum, haudquaquam in plures consurgebant contignationes: tecta habebant, non qualia videmus, fastigiata et declivia, sed plana et constrata, adeoque apta insisti, ut ait Lipsius, ita denique conformata, ut in ea adscendi posset, ad spectandas pompas, apricandi causa, deambulandi, dormiendi. Otiantes supra tecta servi curiosos sæpe oculos alienas in domos immittebant, ut ille conqueritur, quem inducit Plautus in Mil. Glor. II, 2. Non timet Cicero, ne quis ex sua familia sciens, et volens exploret domestica Clodii vicini flagitia: vult cavere, ne quis aliud agens oculos eo visu inquinet: idcirco tollet altius tectum; quo enim in editiore loco stas, eo minus introspicis ea, quæ ex adverso sunt depressa. Quod addit, « non ut ego te despiciam », sic intelligo: id faciam autem, non ut insultem tibi, teque desuper videam infra me positum, « sed ne urbem adspicias ». Erat in monte Palatino Ciceronis domus, « in conspectu totius urbis ».

XVI. 1. *De Alexandrinis*. Hoc vulgo sic accipitur, ut ad Alexandrinos legatos pertinere dicatur, quos Romam missos Ptolemæus rex plerosque insidiis sustulit.

2. Alii, *judices*.

3. *Nec confero*. Neque te omnibus sceleribus onerare volo. Major nobis salutis spes affulgeret, si unus flagitiis esses commaculatus, quippe qui e rep. tolli posses; verum multi sunt tui similes; quod fiduciam tuam auget, nostram merito tollit.

jure diffidimus. Quis Platorem[4] ex Orestide, quæ pars Macedoniæ libera est, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Thessalonicam ad nostrum (ut se ipse appellavit) imperatorem[5] venisse nescit? quem ille propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula conjecit, et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero fœdissime et crudelissime venas incideret. Secures suas cruentari scelere noluit: nomen quidem populi romani tanto scelere contaminavit, ut id nulla re possit, nisi ipsius supplicio, expiari. Quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam medicis suis non ad salutem, sed ad necem utatur?

XVII. Sed recitemus, quid sequatur. FIDEM ET JUSJURANDUM NEGLECTUM[1]. Hoc quid sit, per se ipsum non facile interpretor: sed ex eo, quod sequitur, suspicor de tuorum judicum manifesto perjurio dici; qui-

4. *Platorem.* Res eadem narratur in Pis. quem locum adi.

5. *Imperatorem.* L. Pisonem, qui, quum hoc a legionibus nomen extorsisset, ut sibi a senatu confirmaretur, efficere non potuit.

XVII. 1. *Fidem et jusjurandum neglectum.* Quum reliqua omnia scelera, quæ notaverant haruspices, admissa ostenderit a P. Clodio, hujus unius culpam in judices transfert, qui eundem reum violatæ religionis absolverant: « ex eo, quod sequitur, de tuorum judicum manifesto perjurio dici ». Quum enim sequatur sacrificia vetusta occultaque minus diligenter facta pollutaque fuisse; quis non videt, hoc ad stuprum illatum sacris Bonæ Deæ per Clodium, illud ad judices in homine nocentissimo absolvendo pejerantes referri? « Quibus olim erepti essent nummi, etc. » non est, inquit, dubium, quin pejeraverint, qui pecuniam ob rem judicandam acceptam negare non poterant. Idem habetur ad Att. I, 16. Prosequitur Cicero: « quare autem de his dici suspicer (non de P. Clodio) hæc causa est ». Duas affert causas: « quod sic statuo, et illud in hac civitate esse maxime illustre atque insigne perjurium »: prima causa, quia in re gravissima apertissime pejeraverant, quum et noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerint. « Et te ipsum tamen in perjurii pœnam ab iis, quibuscum conjurasti, non vocari »: altera causa. Conjurare est simul jurare: promiserant judices Clodio se contra jusjurandum facturos, mercede accepta: vicissim jure-

bus olim crepti essent nummi [2], nisi a senatu præsidium postulassent. Quare autem de his dici suspicer, hæc causa est, quod sic statuo, et illud in hac civitate esse maxime illustre atque insigne perjurium, et te ipsum tamen in perjurii pœnam ab iis, quibuscum conjurasti, non vocari.

Et video, in haruspicum responsis hæc esse subjuncta, SACRIFICIA VETUSTA OCCULTAQUE MINUS DILIGENTER FACTA, POLLUTAQUE. Haruspices hæc loquuntur, an patrii penatesque dii? multi enim sunt, credo, in quos hujus maleficii suspicio cadat. Quis præter hunc unum? Obscure dicitur, quæ sacra polluta sint? Quid planius, quid gravius, quid religiosius dici potest? VETUSTA OCCULTAQUE. Nego ulla verba Lentulum, gravem oratorem ac disertum, sæpius, quum te accusaret, usurpasse, quam hæc, quæ nunc ex Etruscis libris in te conversa atque interpretata dicuntur. Etenim quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus æquale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium, omni memoria [3], violavit, nemo umquam adiit,

jurando Clodius affirmaverat, se post absolutionem fideliter daturum, quæ pollicitus fuisset, judicibus. In eadem epist. ad Att. « Biduo per unum servum, et eum ex ludo gladiaturio, confecit totum negotium : arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit ». Non igitur pejeravit Clodius, quum pactam mercedem statim dederit, ipsique eum judices fidelem ac minime perjurum fateantur : atque adeo soli jusjurandum neglexerunt, et fidem, qui jurati contra jus fasque judicarunt.

2. *Essent nummi*. Hinc Catulus quum e Clodianis judicibus quemdam vidisset, « Quid vos, inquit, præsidium a nobis postulabatis? an ne vobis nummi eriperentur? » Cic. ep. 4, lib. 1, ad Attic. Vide Plutarchum in Cicerone : de Lentulo Clodii accusatore, lege Hist. Cic.

3. Alii, « in omni memoria ».

nemo neglexit[4], nemo vir adspicere non horruit; quod fit per virgines vestales, fit pro populo[5] romano; fit in ea domo, quæ est in imperio[6]; fit incredibili cærimonia; fit ei deæ, cujus ne nomen quidem viros scire fas est: quam iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit.

XVIII. Non ignovit, mihi crede, non: nisi forte

4. *Nemo neglexit.* Ejus sacrificii religionem. Supra cap. 5, « eumque hominem, qui pulvinaribus ... de religionibus neglectis conqueri ».

5. *Fit pro populo rom.* Supra c. 6, « quod pro salute pop. rom. » Item de eodem ad Att. I, cap. 12 et 13, « quum apud Cæsarem pro populo fieret ». Hinc Bonæ Deæ sacrificium dorice *damium* appellabatur, ut vidit jampridem Scaliger ad Fest. pag. 113, ed. Amst. non per antiphrasin, ut Festo ipsi perperam videbatur. Adde Senec. epist. 97.

6. *Fit in ea domo, quæ est in imperio.* Vulgo docent interpretes, domi pontificis max. sacra Bonæ Deæ fieri consuevisse. Ego nusquam legi, P. M. imperium habuisse: et in Catilinariis, et alibi, et supra etiam cap. 11, P. Scipio Nasica pont. max. interfecisse dicitur Tib. Gracchum *privatus*, non in imperio. Clarius proinde Plut. in Cæs. cap. 9, quum instabant Bonæ Deæ solemnia, uxorem dicit ea parasse ejus hominis, qui præturam, vel consulare haberet imperium, eumque hominem, omnesque mares tunc alio commigrasse. Hinc narrat Dio, lib. XXXVIII, anno Urb. cond. 690, sacrificium illud factum fuisse in domo Ciceronis cos. ab uxore Terentia: quum et Romæ procul dubio C. Cæsar esset, et jam pontifex maxim. in locum Q. Metelli Pii suffectus. Domus enim consulum et prætorum maxime erant *in imperio*, in quibus ea quotannis sacra fiebant. Notandum est autem, si pont. max. esset consul, aut prætor, in ejus domo sacra Bonæ Deæ fieri consuesse, reliquis omnibus posthabitis; sive ex vetere instituto, sive quod summo sacerdoti honos ille haberetur. Pro Domo, c. 39: « Publiusne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? » Cæsar tum eo anno pont. max. tum prætor erat, et quæstionem inter sicarios, teste Plutarcho, exercebat. Quum prætorium obtineret imperium, sacrificium illud poterat in ejus domo jure fieri: quum pont. max. esset, antelatus est consulibus, prætori urbano, et ceteris collegis: adeoque Cicero et alii, quum de illa re loquuntur, pontificem appellant Cæsarem, non prætorem, quia jure pontificatus, non præturæ, id ei munus mandatum fuerat, licet necessaria fuerit etiam prætura. Nam probari non potest, quod quidam tradunt, domi Cæsaris ea sacra celebrata fuisse, quod Silanus et Murena coss. non habebant uxores. An etiam prætor urbanus et peregrinus sine uxore erant? Vix quemquam Romæ vel in extrema senectute cælibem illustrem virum invenias: et uxor D. Silani apud Plut. erat Servilia soror Catonis, et L. Murena dicitur Nattæ vitricus pro Mur. 35, pro Domo, 52. Quomodo igitur uterque consul sine uxore fuit?

tibi ignotum putas, quod te judices emiserunt excussum [1] et exhaustum; suo judicio, absolutum; omnium, condemnatum; aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. Quis enim ante te sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam pœnam, quæ sequeretur illud scelus, scire posset? An tibi luminis obesset cæcitas plus, quam libidinis? Ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui [2] magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis [3]? Tibi vero, si diligenter attenderis, intelliges hominum pœnas deesse adhuc, non deorum. Homines te in re fœdissima defenderunt; homines turpissimum nocentissimumque laudarunt; homines prope confitentem judicio [4] liberaverunt; hominibus injuria tui stupri, illata in ipsos [5], dolori non fuit; homines tibi arma, alii in me, alii post in illum invictum civem dede-

XVIII. 1. *Emiserunt excussum*. *Excussus* hic est, qui nudus evasit, scilicet nummis pluribus redemptus: metaphora ab eis qui in latrones inciderunt. Clodium similiter pungit Cicero in fragm. apud Quintil. Inst. Orat. VIII, 3, pag. 708: « quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit ». Eadem de re ad Att. I, 16: « hunc tertium jam esse a judicibus in remp. immissum ».

2. *Abavi tui*. P: Clodii abavus fuit Ap. Claudius Cæcus: de quo Cicero in Tusculanis, in Catone, et pro Cœlio: ubi hunc ipsum Appium in Clodii sororem sic affectum inducit: « Non patrem tuum videras? non patruum, non avum, proavum, atavum audieras consules fuisse? » — Erudite autem, acuteque Mattius, Annot. cap. 82, Appii oculos idcirco appellari *conniventes* ex Diodoro Siculo, XX, 36, suspicatur, quod is a nonnullis cæcitatem simulasse putaretur. Neque illi opinioni repugnat Livii Epit. XIII, aut quidquam statuit ipse Livius, IX, 29. Sed, ut Plutarchum in Pyrrho, cap. 18, 19, aliosque mittam, Cicero Appium re vera cæcum facit, Tusc. V, 38; de Senect. 6; pro Cœl. 14; Phil. I, 5, et pro Domo, 40, quem locum confer. Neque enim quid alii putarint, sed quid Cicero, spectandum est. Cujus quidem et sententia est pervulgatior; et oratio hic de cæcitate instituta; ut *conniventes oculos* de cæco dixisse omnino videatur: quod alii jam explicarunt.

3. *Flagrantes sororis*. Eidem Clodiæ, quæ Metelli uxor, fuerat flagrantiam oculorum tribuit in oratione pro Cœlio.

4. Addunt MSS nonnulli, « propter pecuniam », omissum a Grævio, Wolfio, al. ab Ernest. receptum. J. V. L.

5. *Hominibus injuria tui stupri, illa-*

runt; hominum beneficia prorsus concedo tibi; ac majora non esse quærenda.

A diis quidem immortalibus quæ potest homini major esse pœna, furore atque dementia? nisi forte in tragœdiis, quos vulnere ac dolore corporis cruciari vides et consumi, graviores deorum immortalium iras subire, quam illos, qui furentes inducuntur, putas. Non sunt illi ejulatus et gemitus Philoctetæ tam miseri (quamquam sunt acerbi), quam illa exsultatio Athamantis [6], et quam somnium matricidarum [7]. Tu, quum furiales in concionibus voces mittis; quum domos civium evertis; quum lapidibus optimos viros foro pellis; quum ardentes faces in vicinorum tecta jactas; quum ædes sacras inflammas; quum servos concitas; quum sacra ludosque conturbas; quum uxorem sororemque non discernis; quum, quod ineas cubile, non sentis; quum baccharis; quum furis; tum das eas pœnas, quæ solæ sunt hominum sceleri a diis immortalibus constitutæ. Nam corporis [8] quidem nostri infirmitas multos subit casus per se; denique ipsum corpus tenuissima sæpe de causa conficitur: deorum tela in impiorum mentibus figuntur. Quare miserior es, quum in omnem fraudem raperis oculis, quam si omnino oculos non haberes.

XIX. Sed, quoniam de iis omnibus, quæ haruspices

ta in ipsos, dolori non fuit. Intelligit Julium Cæsarem, qui quamvis uxorem suam propter hoc factum repudiarit, citatus tamen testis in judicio dixit, nihil sibi compertum esse; vide Suet. in Julio.

6. *Exsultatio Athamantis.* Exsultans ille Athamantis furor, Junone læsa.

7. *Somnia matricidarum.* Quos suæ in somnis agunt furiæ pœnæque; ut fertur Alcmæon, et scenis agitatus Orestes. In MSS nonnullis invenitur «senium», quod docte quidem defendit Garatonius; verum hoc pro mœrore positum in scenicis tantum locum habet, nec usquam a Cicerone sic usurpatur.

8. *Corporis.* Fragile corpus nulli non casui est obnoxium, et per se facile dissolvitur; animus vero fortior, et in eum ideo dii ultrices tædas immittunt.

commissa esse dicunt, satis est dictum, videamus, quid iidem haruspices a diis jam immortalibus dicant moneri : NE[1], PER OPTIMATIUM DISCORDIAM DISSENSIONEMQUE, PATRIBUS PRINCIPIBUSQUE CÆDES PERICULAQUE CREENTUR, AUXILIOQUE DEMINUTI DEFICIANTUR[2], QUA RE AD UNUM IMPERIUM PROVINCIÆ REDEANT[3], EXERCITUSQUE PULSUS, DEMINUTIOQUE ACCEDAT[4]. Haruspicum verba sunt hæc omnia : nihil addo de meo. Quis igitur hanc optimatium discordiam molitur? Idem iste : nec ulla vi ingenii aut consilii sui, sed quodam errore nostro; quem quidem ille, quod obscurus non erat, facile perspexit. Hoc enim etiam turpius[5] afflictatur respublica, quod ne ab eo quidem vexatur, ut, tamquam fortis in pugna vir, acceptis a forti adversario vulneribus adversis, cadere videatur.

Tib. Gracchus convellit statum civitatis. Qua gravitate vir! qua eloquentia! qua dignitate! nihil ut a patris, avique Africani præstabili insignique virtute, præterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. Sequutus est C. Gracchus. Quo ingenio! quanta vi! quanta gravitate dicendi! ut dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem volun-

XIX. 1. *Ne.* Olim legebatur « moneri : monent ne », quod verbum ex antecedente videtur ortum. Wolfius hoc defendit; Ernestus merito expunxit, probante Garatonio.

2. *Deminuti deficiantur.* Ne patres deminuti honore, etiam auxilio deficiantur, seu priventur.

3. *Quare ad unum imperium provinciæ redeant.* Sensus horum verborum hic est : Quo fiat, ut ad unius imperium respubl. sive res romanæ deveniant. De hoc sensu verbi *redire*, vide Cortium ad Sallust. Jug. IV, 9, quam quam nihil est notius. — *Pulsus* hic substantive ponitur, neque ictum solum, ut plerumque, sed cladem significat. Si adjectivum velis pro substantivo positum, præsto quidem sunt auctoritates apud Wopkens, Misc. Amst. tom. VIII, p. 76.

4. *Deminutioque accedat.* Diminuta debilitetur respublica.

5. *Hoc enim etiam turpius afflictatur respublica.* Turpissima hæc est reipublicæ conditio, ut non illud ei saltem solatium supersit, quod a forti viro victa honeste cadat.

tatemque esse conversa. Ipse L. Saturninus ita fuit effrenatus et pæne demens, ut auctor esset egregius, et ad animos imperitorum excitandos inflammandosque perfectus[6]. Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cujus tanta in dicendo gravitas, tanta jucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo. Cum his conflictari, et pro salute patriæ quotidie dimicare, erat omnino illis, qui tum rempublicam gubernabant, molestum : sed habebat ea molestia quamdam tamen dignitatem.

XX. Hic vero, de quo ego ipse tam multa nunc dico, proh dii immortales! quid est? quid valet? quid affert, ut tanta civitas, si cadet[1] (quod dii omen obruant!), a viro tamen confecta videatur? qui post patris mortem, primam illam ætatulam suam ad scurrarum locupletium libidines detulit; quorum intemperantia expleta, in domesticis est germanitatis stupris[2] volutatus; deinde jam robustus, provinciæ se ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpessus, etiam Cilicum libidines Barbarorumque satiavit; post, exercitu L. Luculli sollicitato[3], per nefandum scelus, fugit illinc, Romæque, recenti adventu suo, cum propinquis suis decidit[4], ne reos

6. *Perfectus*. Omnino comparatus et absolutus.

XX. 1. Ernest. malit *cadat*.

2. *Germanitatis stupris*. Hoc est, in stupris cum germanis sororibus. Germanitas eodem sensu est, quo « servitia » pro servis, « matrimonium » pro uxore.

3. *Sollicitato*. De hac Luculliani exercitus sollicitatione, vide Plutarch. in Lucull. Dion. XXXV, 14. Nescio quid aliud agens cogitet Wolfius, qui animadvertat a ceteris scriptoribus narrari captum Clodium priusquam ad Lucullum perveniret; quum contra a Dione narretur. Operæ pretium videretur, atrocem censuram professum non ita dormitare.

4. *Decidit, ne reos faceret*. Pactionem Clodii turpem significat, qua pecuniam multam, ne reos propinquos faceret suos, accepit, atque ita cum iis transegit. Transactionem autem significari per verbum *decidere*, notum est.

faceret; a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur. Inde cum Murena se in Galliam contulit: in qua provincia mortuorum testamenta conscripsit, pupillos necavit, nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque conflavit. Unde ut rediit, quæstum illum maxime fœcundum uberemque, campestrem[5], totum ad se ita redegit, ut homo popularis fraudaret improbissime populum, idemque vir clemens divisores omnium tribuum domi ipse suæ crudelissima morte mactaret.

Exorta est illa, reipublicæ, sacris, religionibus, auctoritati vestræ, judiciis publicis funesta quæstura: in qua idem iste deos hominesque, pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, jus, fas, leges, judicia, violavit. Atque hic ei gradus (o misera tempora, stultasque nostras discordias!) P. Clodio gradus[6] ad rempublicam, hic primus est aditus ad popularem jactationem, atque adscensus. Nam Tib. Graccho invidia Numantini fœderis, cui feriendo, quæstor C. Mancini consulis quum esset, interfuerat, et in eo fœdere improbando senatus severitas dolori et timori fuit; istaque res illum, fortem et clarum virum, a gravitate patrum desciscere coegit. C. autem Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi, ad expetendas domestici sanguinis pœnas excitavit.

Ita pro Amer. 39, et pro Comœdo sæpe. Vide Arntzenium ad auct. de Vir. Illust. LVII, et quos ille citat.

5. *Campestrem.* Campi Martii, in quo habebantur comitia.

6. *P. Clodio gradus ad remp. hic prim. est.* Quum vetere, ut opinor, aut certe Cornelia lege cautum fuisset, ne prætor et consul fieret, qui non fuisset antea quæstor, primus ad honores, et ad remp. capessendam gradus erat quæstura. Clodius autem, Silano et Murena coss. unum, et triginta natus annos, utpote quinquennio post factus ædilis, quæsturam gerebat, quum muliebri veste indutus domum C. Cæsaris ingressus est. Anno tamen sequenti et novam de violata religione legem Piso consul ex SC. ac deinde Fufius promulgavit, et Clodii judicium per-

Saturninum, quod in annonæ caritate quæstorem a sua[7] frumentaria procuratione senatus amovit, eique rei M. Scaurum præfecit, scimus, dolore factum esse popularem. Sulpicium ab optima causa profectum, Caioque Julio[8], consulatum contra leges petenti, resistentem, longius, quam voluit, popularis aura provexit.

XXI. Fuit in his omnibus causa, etsi non justa (nulla enim potest cuiquam male de republica merendi[1] justa esse causa), gravis tamen, et cum aliquo animi, et virili dolore conjuncta. P. Clodius a crocota[2], a mitra[3], a muliebribus soleis[4], purpureis-

actum est, ut habetur ad Attic. I, 9. Nemo enim, qui esset in magistratu, vel etiam in sequentem annum designatus, ad judicum subsellia pertrahi poterat: quam ob causam accusatus paullo post a Milone idem Clodius de vi, designatus ædilis curulis judicium evasit. Plutarchus in Cæs. cap. 10, et in Cicerone, cap. 28, Clodium ait imberbem ornatu psaltriæ ad sacra illa penetrasse, hoc ipso confisus, quod barba careret. Tamen 30 saltem annos tunc illum natum fuisse, quæstura, quam gerebat, et quæ antea ab ipso gesta narrantur, facile persuadent. Imo Tullius apud Non. pag. 465, ita eum perstringit: « qui lævare vultum, mollire vocem potes ». Fuit autem primum in Luculli exercitu, τῷ Λουκούλλῳ συςρατεύων, inquit Plut. in Luc. cap. 34, nescio an miles tantum, an vero etiam præfectus militaris. Tribunus militum videtur in Gallia fuisse postea apud C. Murenam. Quamquam is tribunatus bis gerebatur, ut videbimus ad Phil. VI, 5.

7. *A sua frumentaria.* Fuerat enim hic Saturninus quæstor Ostiensis: et rei frumentariæ præfuerat. M. Tull. pro Sextio: « Nec mihi res erat cum Saturnino, qui, quod a se, quæstore Ostiensi, per ignominiam ad principem et senatus, et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur ».

8. *C. Julio.* C. Cæsar Strabo, inquit Asconius pro Scauro, ædilitius quidem mortuus est, sed tantum in urbe potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno pl. fuerit; nam et sperabat et id agebat Cæsar, ut, omissa prætura, consul fieret, cui quum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit.

XXI. 1. *Male de republica merendi.* Quia patriæ ac parentibus non est irascendum: nec ulla satis justa causa parricidio prætexi potest.

2. *A crocota.* Fuit vestis muliebris. Poeta: « Tenui succincta crocota ». Illa sunt usi histriones, quum muliebris personam agerent, et bacchantes: vide Salmas. ad Tertull. de pallio.

3. *Mitra.* Erat fascia, qua mulieres caput tegebant. Virgilius Æneid. IX,

que fasciolis[5], a strophio, a psalterio[6], a flagitio, a stupro, est factus repente popularis. Nisi eum[7] mulieres exornatum ita deprehendissent; nisi ex eo loco, quo eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emissus esset; populari homine populus romanus, respublica cive tali careret. Hanc ob amentiam, in discordiis nostris, de quibus ipsis, his prodigiis recentibus, a diis immortalibus admonemur, arreptus est unus ex patriciis, cui tribuno plebis fieri non liceret[8].

Quod anno ante frater Metellus[9], et concors etiam tum senatus, principe[10] Cn. Pompeio sententiam dicente, excluserat, acerrimeque una voce ac mente restiterat; id post dissidium optimatium, de quo ipso nunc monemur, ita perturbatum, itaque permu-

vers. 616 : « Et tunicæ manicas, et habent redimiciula mitræ ». Ubi Servius : « Pilei sunt virorum, mitræ feminarum, quas calanticas dicunt » : Vide eumdem ad Æneid. IV, v. 215 : « Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu, Mæonia mentum mitra, crinemque madentem Subnixus ». Vide quæ adnotavi in lectionibus Hesiodeis, cap. 25. Græv.

4. *A muliebribus soleis.* Soleæ erant, quæ Græcis dicebantur sandalia, quibus apud Romanos utebantur mulieres, non viri, quorum proprius erat calceus, qui totum tegebat pedem : quum soleæ imam calcem tantum tegerent, adstrictæ superiori pedi fasciis, aut loris, ut dudum docuerunt viri docti : vide clariss. Salmasium ad Tertull. de pallio. Id.

5. *Purpureisque fasciolis.* Quibus non modo crura, sed et brachia, cubitos, feminæ tegebant. Hinc dictæ sunt illæ fasciolæ, *cubitalia, feminalia, focalia*, de quibus multa erudite Salmas. Exercit. Plin. Casaubon. ad Sueton. Id.

6. Al. *a psaltrio.*

7. *Nisi eum.* Nisi Clodius deprehensus fuerit in operto Bonæ Deæ, popularis non esset factus : nisi emissus inde fuerit, damnatus esset, proinde a rep. submotus. Neque enim recte illum fecisse, sed non fecisse judicatum fuit.

8. *Tribuno pleb. fieri non liceret.* Factus est quidem tribunus pleb. sed contra legitimam rationem, ut fusius pro Domo, cap. 14, disputatur, et similiter de Legg. III, 9 : « Neminem in nos tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno ». Unde mirum est Ernestum negationem deletam voluisse, et in eamdem sententiam ivisse Garatonium.

9. *Quod anno ante frater Metellus.* Q. Metellus Celer. Qua autem ratione Clodii frater *Metellus* dicatur, invenies in commentario in orat. pro Domo.

10. Al. *principi... dicenti.* J. V. L.

tatum est, ut, quod frater consul, ne fieret, obstiterat, quod affinis et sodalis, vir clarissimus, qui illum reum non laudarat, excluserat, id is consul [11] efficeret in discordiis principum, qui illi unus inimicissimus esse debuerat, et eo fecisse auctore se diceret, cujus auctoritatis neminem posset pœnitere. Injecta est fax fœda ac luctuosa reipublicæ. Petita est auctoritas vestra, gravitas amplissimorum ordinum [12], consensio bonorum omnium, totus denique civitatis status. Hæc enim certe petebantur [13], quum in me, cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum conjiciebatur. Excepi, et pro patria solus exarsi : sic tamen, ut vos, iisdem ignibus circumsepti, me primum ictum pro vobis et fumantem videretis.

XXII. Non sedabantur discordiæ : sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi [1] putabamur. Ecce, iisdem auctoribus, Pompeio principe, qui cupientem Italiam, populum romanum desiderantem, flagitantes vos, non auctoritate sua solum, sed etiam precibus ad meam salutem excitavit, restituti sumus. Sit discordiarum finis aliquando; a diuturnis dissensionibus conquiescamus. Non sinit eadem ista labes; eas habet conciones, ea miscet ac turbat, ut se modo vendat his [2], modo illis : nec tamen ita, ut se quisquam, si ab isto laudatus sit, laudatiorem putet; sed

11. *Is consul.* Cæsar, qui tamen ei propter uxoris stuprum in Bonæ Deæ sacris detectum vel maxime infestus esse debuisset, et qui, quum perfecisset, excusandi sui causa, Pompeio se auctore usum simulavit. Cf. Dion. XXXVII, 51.

12. *Gravitas amplissimorum ordinum. Amplissimos ordines* alibi quoque a Tullio dici, atque ita senatum, equites, tribunos ærarios comprehendi, ostendit verissime Gron. ad Gell. IV, 1, cujus contractam notam dederunt Græv. et Burm. ad Suet. l. c.

13. Alii, *petebatur.* J. V. L.

XXII. 1. *Nos defendi.* Olim, *nos defensi.* J. V. L.

2. Al. *ut modo vendat illis.* J. V. L.

ut eos, quos non amant, ab eodem gaudeant vituperari [3]. Atque ego hunc non miror. Quid enim faciat aliud? Illos homines sapientissimos [4] gravissimosque miror : primum, quod quemquam [5] clarum hominem, atque optime de republica meritum [6], impurissimi voce hominis violari facile patiuntur; deinde quod existimant, perditi hominis profligatique maledictis posse, id quod minime conducit ipsis, cujusquam gloriam dignitatemque violari; postremo, quod non sentiunt id, quod tamen mihi jam suspicari videntur, illius furentis [7] ac volatici [8] impetus in se ipsos posse converti.

Atque ex hac nimia nonnullorum alienatione a quibusdam [9], hærent ea tela in republica, quæ quamdiu hærebant in uno me, graviter equidem, sed aliquanto levius ferebam. An iste, nisi primo se dedisset iis [10], quorum animos a vestra auctoritate sejunctos esse arbitrabatur [11]; nisi eos in cælum suis

3. *Gaudeant vituperari.* Non ut ejus laudibus fruantur, hominis quippe impuri, sed ab eo vituperari quos oderint, libenter audiant.

4. *Illos homines sapientissimos.* Bibulum, Curionem, Favonium, Servilium filium, a quibus Pompeius carpebatur : ad Q. fratrem, lib. II, ep. 3.

5. *Quemquam. Quemquam* omittunt tres libri tantum, duo Græv. et prior Ven. adjuvat vero id, quod in altero membro est; *cujusquam*, et reliqua omnia γενικῶς hic a Tullio prælata : qui tandem cap. 14, ad Pompeium descendit nominatim. Vidit hoc Ernestus, et *quemquam* retinuit.

6. Alii, *sæpe meritum.* J. V. L.

7. Alii, *illius furentes ac violentos impetus.* J. V. L.

8. *Ac volatici.* Clodii impetus, quos modo in hunc, modo in illum faciebat, bene volatici nominantur. Sic ad Atticum, lib. XIII, epist. 25 : « O academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc ».

9. *A quibusdam.* Hæc est ipsa Manutii emendatio, eaque verissima et recipienda. Ecce habent *a quibusdam* duo codices, alter Francii, alter Puccii. Ex *hærentia* Ernestus facit *hærent jam.*

10. *Se dedisset iis. Dare se alicui*, est ita se in alicujus potestatem tradere, ut totus quasi ab eo pendeas, omnia dicas faciasque, quæ illi grata esse intelligas. Ad Attic. IX, epistol. 5 : « Optimatibus vero tuis nihil confido : video enim ut se huic dent, ut daturi sint ».

11. *Sejunctos esse arbitrabatur.*

laudibus præclarus auctor extolleret; nisi exercitum C. Cæsaris (in quo fallebat[12], sed eum nemo redarguebat), nisi eum, inquam, exercitum signis infestis in curiam se immissurum minitaretur; nisi Cn. Pompeio adjutore, M. Crasso auctore, quæ faciebat, facere clamaret; nisi consules causam conjunxisse secum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam sceleratus reipublicæ vexator esse potuisset?

XXIII. Idem, posteaquam respirare vos a metu cædis, emergere auctoritatem vestram e fluctibus illius[1] servitutis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit, vobis se cœpit subito fallacissime venditare. Tum leges Julias[2] contra auspicia[3] latas, et hic, et in concionibus dicere: in quibus legibus inerat curiata[4] illa lex, quæ totum ejus tribunatum continebat; quam cæcus amentia non videbat. Producebat fortissimum virum, M. Bibulum; quærebat ex eo, C. Cæsare leges ferente, de cælo semperne servasset? semper se ille servasse dicebat. Augures interrogabat, quæ ita lata essent, rectene lata essent? illi vitio lata esse dicebant. Ferebant in oculis hominem quidam boni viri, et de me optime meriti; sed illius, ut ego arbitror, furoris ignari. Longius processit: in ipsum Cn. Pompeium, auctorem, ut prædicare est solitus, consiliorum suorum, invehi cœpit. Inibat gratiam a nonnullis.

Pompeium et Crassum significari manifestum est.

12. *In qao fallebat.* Hoc dicit, ne offendat Cæsarem, quamvis aliter sentiebat: vide orationem pro Sextio, c. 16, et sequentia, in primis c. 18.

XXIII. 1. *Fluctibus illius.* Alii habent *illis*. J. V. L.

2. *Leges Julias.* A C. Julio Cæsare, invito senatu, latas.

3. *Contra auspicia.* De cælo servante, impediendi gratia, Bibulo collega.

4. *Curiata.* De adoptione Clodii, quæ si irrita lex esset, non potuerat jure fieri tribunus.

Tum vero est ratus, se posse, quoniam [5] togatum domestici belli exstinctorem nefario scelere fœdasset, illum etiam, illum externorum bellorum, hostiumque victorem, affligere: tum est illa in templo Castoris scelerata et pæne deletrix hujus imperii sica deprehensa. Tum ille, cui nulla hostium diutius urbs umquam fuit clausa, qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium objecta tela, semper vi et virtute perfregit, obsessus est ipse domi; meque nonnulla imperitorum vituperatione timiditatis meæ, consilio et facto suo liberavit. Nam, si Cn. Pompeio, viro uni omnium fortissimo, quicumque nati sunt, miserum [6] magis fuit, quam turpe, quamdiu ille tribunus plebis fuit, lucem non adspicere, carere publico, minas ejus perferre; quum in concionibus diceret, velle se in Carinis ædificare [7] alteram porticum, quæ Palatio responderet; certe mihi exire domo mea, ad privatum dolorem fuit luctuosum, ad rationem reipublicæ gloriosum.

XXIV. Videtis igitur, hominem per se ipsum jampridem afflictum ac jacentem, perniciosis optimatium discordiis excitari: cujus initia furoris [1] dissensionibus eorum [2], qui tum a vobis sejuncti videbantur,

5. *Quoniam.* Pertinet ad illam vim, qua Clodius erat usus in Tullium, quam eamdem Pompeio intentare cœpit, postquam verborum insectatio ei bene processerat.

6. *Miserum.* Ita emendavit Manutius, et primus edidit Lambin. quum antea semper editum videam fuisse *miserrimum*, ut est in codice Barb. quod revocarunt repet. Lambin. At Gruterus rediit ad hanc emendationem, pro quo nemo ullum MSti suffragium attulit, sed optima est. Vulpium vide ad similem Catulli locum, LXVII, 30.

7. *In Carinis ædificare.* In *Carinis* erat domus Cn. Pompeii, quam M. Antonius postea, victo et interfecto Pompeio, possedit; auctor Dio, lib. XLVIII. Carinæ erant in valle inter Cælium et Esquilias circa ædem S. Clementis, ad ipsum amphitheatrum, ubi erat initium Sacræ viæ.

XXIV. 1. *Initia furoris.* Prima tribunatus tempora.

2. *Eorum.* Cæsaris, Pompeii et

sustentata sunt. Reliqua jam præcipitantis tribunatus, etiam post tribunatum, obtrectatores eorum atque adversarii defenderunt : ne a republica reipublicæ pestis removeretur, restiterunt; etiam, ne causam diceret[3]; etiam, ne privatus esset[4]. Etiamne in sinu atque in deliciis quidam optimi viri viperam illam venenatam ac pestiferam habere potuerunt? Quo tandem decepti munere? Volo, inquiunt, esse, qui in concione detrahat de Pompeio. Detrahat ille vituperando? Velim, sic hoc vir summus atque optime de mea salute meritus accipiat, ut a me dicitur: dicam quidem certe, quod sentio. Mihi, medius fidius, tum de illius amplissima dignitate detrahere, quum maximis[5] laudibus efferebat, videbatur.

Utrum tandem C. Marius splendidior, quum eum C. Glaucia[6] laudabat, an quum eumdem iratus postea vituperabat? An ille demens, et jampridem ad pœnam exitiumque præceps, fœdior atque inquinatior in Cn. Pompeio accusando, quam in universo senatu vituperando fuit? quod quidem miror, quum alterum[7] gratum sit iratis, alterum esse tam bonis civibus non acerbum. Sed, ne id viros optimos diutius delectet, legant hanc ejus concionem, de qua loquor : in qua Pompeium ornat, an potius deformat[8]? Certe laudat,

Crassi, qui tum ab optimatibus dissentiebant.

3. *Ne causam diceret.* Ne judicium fieret, quum accusaretur a Milone.

4. *Ne privatus esset.* Nam quum ante Clodii judicium comitia ædilitia fieri voluerant, ædilis curulis ut crearetur, effecerunt.

5. Wolf. Beck. add. *illum*. J. V. L.

6. *C. Glaucia.* Prætor, primum amicus C. Marii consulis, deinde et illius et reipublicæ inimicus, interfectus est, ut hostis publicus, cum Saturnino.

7. *Alterum.* Senatus vituperatio. — *Tam bonis civibus.* Qui Pompeium oderunt.

8. *An potius deformat.* Eo ipso, quod homo tam improbus, et reipubl. vexator clarissimum virum, et optimum civem laudat; credique vult, illum sibi adjutorem fore in rebus nefariis, amicumque iterum factum homini, cujus improbitatem hactenus

et unum esse in hac civitate dignum hujus imperii gloria dicit; et significat, se illi amicissimum esse, et reconciliationem esse gratiæ factam.

Quod ego[9] quamquam, quid sit, nescio: tamen hoc statuo, hunc, si amicus esset Pompeio, laudaturum illum non fuisse. Quid enim[10], si illi inimicissimus esset, amplius ad ejus laudem minuendam facere potuisset? Videant ii, qui illum Cn. Pompeio inimicum esse gaudebant, ob eamque causam in tot tantisque sceleribus connivebant, et nonnumquam ejus indomitos atque effrenatos furores plausu etiam suo prosequebantur, quam se cito inverterit: nunc enim jam laudat illum; in eos invehitur, quibus se antea venditabat. Quid existimatis, eum, si reditus ei gratiæ patuerit, esse facturum, qui tam libenter in opinionem gratiæ irrepat?

XXV. Quas ego alias[1] optimatium discordias a diis immortalibus definiri putem? nam hoc quidem verbo neque P. Clodius, neque quisquam de gregalibus ejus, aut de consiliariis designatur. Habent Etrusci libri certa nomina, quæ in id genus civium cadere possunt. DETERIORES, REPULSOS, quod jam[2] audietis, hos appellant, quorum et mentes, et res sunt perditæ,

simul cum rep. et in se ipsum insignem expertus fuerat.

9. *Quod ego*. Quum non tam levis, immo tam stultus et improbus sit Pompeius, ut cum Clodio in gratiam redire potuerit, nescio, cur hic ea jactet, quæ factis comprobari non possunt. Explicat hæc ipse Tullius infra, dum ait: « Quid existimatis, eum, etc.» Nunc vero pergit: « tamen hoc statuo », hæc mea opinio est, Clodium, « si amicus esset Pompeio, laudaturum illum non fuisse ».

10. *Quid enim*. Inter senatores, quos Cicero adloquebatur, plane constabat, cum Clodio Pompeium in gratiam non rediisse: quod etiam ad Q. Fratr. III, 4 confirmatur. Hinc deridetur potius, quam refellitur, mendacium hominis, qui falsam reconciliatæ gratiæ opinionem captabat, atque hac jactatione Pompeium ipsum irritabat.

XXV. 1. *Quas ego alias*. Nisi quorumdam cum Pompeio.

2. *Quod jam audietis*. Al. *quos j. audietis*. J. V. L.

longeque a communi salute disjunctæ. Quare, quum dii immortales monent de optimatium discordiis, de clarissimorum et optime meritorum civium dissensione prædicunt. Quum principibus [3] periculum cædemque portendunt, in tuto collocant Clodium, qui tantum abest a principibus, quantum a puris, quantum a religiosis.

Vobis, o clarissimi atque optimi cives, et vestræ saluti consulendum et prospiciendum vident. Cædes principum ostenditur; id, quod interitum optimatium sequi necesse est, adjungitur: ne [4] in unius imperium res recidat, admonemur. Ad quem metum si deorum monitis non duceremur, tamen ipsi nostro sensu conjecturaque raperemur. Neque enim ullus alius discordiarum solet esse exitus inter claros et potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. Dissensit cum Mario, clarissimo cive, consul nobilissimus et fortissimus, L. Sulla. Horum uterque ita cecidit victus, ut victor idem regnaverit. Cum Octavio collega Cinna dissedit [5]; utrique [6] horum secunda fortuna regnum est largita, adversa mortem. Idem iterum Sulla superavit: tum sine dubio habuit regalem potestatem, quamquam rempublicam recuperavit [7].

Inest hoc tempore haud obscurum odium, atque id

3. *Quum principibus*. Quum civitatis optimatibus pericula et mortem denuntiant, nihil mali Clodio portendunt, quippe qui non minus ab optimatibus, quos ad plebem transeundo et toto vitæ tenore prodidit, quam a religiosis viris absit.

4. Alii, *etiam ne*. J. V. L.

5. *Dissedit*. Egregius exstat locus Valerii Maximi, qui Tullium ipsum fortasse imitatus, de hoc eodem Octavio dixit, I, 6, 10: « armis cum collega suo Cinna dissidens »: ubi omnino consulendus est Vorstius. Similiter plane Cicero, Philipp. XI, 6: « me non cum homine solere, sed cum causa dissidere ». Alios ex Tullio et Valerio dabit locos Menckenius Obs. L. L. p. 281.

6. *Utrique horum*. Alii, *utrisque horum*. J. V. L.

7. *Recuperavit*. Restituit, et de ma-

insitum penitus, et inustum animis hominum amplissimorum; dissident principes; captatur occasio. Qui non tantum opibus valent, nescio quam fortunam tamen, ac tempus exspectant. Qui sine controversia plus possunt, hi fortasse nonnumquam consilia ac sententias inimicorum suorum extimescunt. Tollatur hæc e civitate discordia: jam omnes isti, qui portenduntur, metus exstinguentur; jam ista serpens, quæ tum hic delitescit[8], tum se emergit, et fertur illuc, compressa atque elisa[9] morietur.

XXVI. Monent enim iidem, ne occultis consiliis respublica lædatur. Quæ sunt occultiora[1], quam ejus, qui in concione ausus est dicere, justitium edici oportere, jurisdictionem intermitti, claudi ærarium, judicia tolli? nisi forte existimatis, hanc tantam colluvionem illi, tantamque eversionem civitatis, in mentem subito in Rostris nec cogitanti[2] venire potuisse. Est quidem ille plenus vini, stupri, somni, plenusque inconsideratissimæ ac dementissimæ temeritatis: verumtamen nocturnis vigiliis, etiam coitione hominum, justitium illud concoctum[3] ac meditatum est. Mementote, patres conscripti, verbo illo nefario[4] tentatas

nibus improborum ereptam reddidit optimatibus.

8. *Hic delitescit.* Quæ modo hoc loco delitescit, et nocet occulta, modo foras emergit, aperteque in alium locum sese infert ac mordet. Recte autem Grævius rariorem formulam *se emergit* intactam reliquit, eaque, tamquam certa, ut est, utuntur jure viri docti ad Nepot. Att. XI, ubi similiter Nepos loquitur.

9. Alii, *illisa*. J. V. L.

XXVI. 1. *Quæ sunt occultiora.* Occultis consiliis ac nocturnis constitutum erat, quomodo ad populum ageret Clodius. Parata ergo et ex occulto proposito profecta ea quæ tum in concione jactabat Clodius.

2. *Nec cog.* Neque antea meditato.

3. *Justitium concoctum.* Hoc est longa, et crebra deliberatione in conventiculis gregalium agitatum. Cicero pro Q. Rosc. Comœdo: « Tibi vero, Piso, diu deliberandum, et concoquendum est, utrum potius Cherea injurato in sua lite, an Manilio et Luscio juratis in alieno judicio credas ». Sic *coquere consilia* apud Liv.

4. *Verbo illo nefario.* Nefandis istis in remp. vocibus.

aures vestras, et perniciosam viam, audiendi consuetudine, esse munitam.

Sequitur illud, NE DETERIORIBUS REPULSISQUE HONOS AUGEATUR. Repulsos videamus: nam deteriores qui sint, post docebo. Sed tamen in eum cadere hoc verbum maxime, qui sit unus omnium mortalium sine ulla dubitatione deterrimus, concedendum est. Qui sunt igitur repulsi? non, ut opinor, ii, qui aliquando honorem, vitio civitatis, non suo, non sunt assequuti. Nam id quidem multis sæpe optimis civibus atque honestissimis viris accidit. Repulsi sunt ii, quos ad omnia progredientes[5], quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes, non solum alieni, sed etiam sui, vicini, tribules[6], urbani, rustici repulerunt. Hi ne honore augeantur, monemur. Debet esse gratum, quod prædicunt: sed tamen huic malo populus romanus ipse, nullo haruspicum admonitu, sua sponte prospexit[7].

DETERIORES cavete: quorum quidem magna est natio; sed tamen eorum omnium hic[8] dux, atque princeps. Etenim, si unum hominem deterrimum poeta præstanti aliquis ingenio fictis conquisitisque vitiis deformatum vellet inducere: nullum profecto dedecus reperire posset, quod in hoc non inesset; multaque in eo penitus defixa atque hærentia præteriret.

XXVII. Parentibus, et diis immortalibus, et patriæ nos primum natura conciliat. Eodem enim tempore et suscipimur in lucem, et hoc cælesti spiritu auge-

5. *Repulsi sunt ii, quos ad omnia progredientes.* Omnia aggredientes, sibi arrogantes. Confer orationem in Vatinium, cap. 15, quem et b. l. obiter perstringit. Clodius nullam repulsam tulerat.

6. *Tribules.* Quum ædilitatem peteret, tribum suam non tulit.

7. *Prospexit.* Qui Vatinium ab honoribus repulit.

8. Forte rectius, *iste*, ut infra. J. V. L.

mur, et certam in sedem civitatis ac libertatis adscribimur. Iste parentum nomen, sacra, memoriam, gentem, Fonteiano nomine[1] obruit. Deorum ignes, solia[2], mensas[3], abditos ac penetrales focos, occulta, et maribus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra, inexpiabili scelere pervertit; idemque earum templum inflammavit dearum[4], quarum ope etiam aliis incendiis subvenitur.

Quid de patria loquar? qui primum eum civem vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriæ præsidiis depulit, quem vos patriæ conservatorem esse sæpissime judicaveratis; deinde everso senatus, ut ego semper dixi, comite, duce, ut ille dicebat, senatum ipsum, principem salutis[5] mentisque publicæ, vi, cæde, in-

XXVII. 1. *Fonteiano nomine.* Quum a P. Fonteio adoptatus e patriciis ad plebem transiit.

2. *Solia. Solia* in sacris locum habuisse, et ea fuisse ornata et strata, æque ut lectos, ostendit Tacitus Hist. XV, cap. 44: « Et sellisternia, et pervigilia celebravere feminæ, quibus mariti erant ». Sellæ illæ dicebantur et solia; hinc quæ Tacitus vocat, et glossarum græcarum auctor *sellisternia*, Festus dicit *solisternia*. « Solia, inquit ex emendatione Scaligeri, appellantur sedilia, in quibus non plures singulis possunt sedere, ideoque solia sternere dicuntur, qui solisternium habent ». In primis *solia hæc* et *sellæ* tribuebantur deabus, ut lecti diis. Valer. Max. II, 1: « Feminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, quæ consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. Nam Jovis epulo ipse in lectulum, Juno et Minerva in sellas ad cœnam invitantur ». Sic solia nihil aliud sunt, quam sellæ, quæ sternebantur diis, quale solium videtur etiam habuisse *Bona Dea.* — Pro *solia, mensas* alii habent *solemnes mensas.*

3. *Mensas.* Quibus in sacris utebantur, sive ad exta inspicienda, sive ad prosecandum, sive in alium usum, quem sacra requirebant. Festus: « Anclabris mensa ministeriis divinis apta; vasa quoque ænea, quibus sacerdotes utuntur anclabria appellantur ».

4. *Earum templum inflammavit dearum.* Nympharum. Unde Cicero Paradoxo 4, in Clodium: « Ædis nympharum tua manu deflagravit »; et pro Milone de eodem: « Qui ædem nympharum incendit, ut memoriam publicæ recensionis tabulis publicis impressam exstingueret ».

5. *Senatum ipsum, principem salutis.* Symmachus, Epist. I, 52, senatum « partem meliorem humani generis » vocat, quæ res dedit occasionem Jureto adnotandi magnificas quasdam appellationes senatui romano a veteribus tributas, quas videre operæ est pretium.

cendiisque pervertit; sustulit duas leges, Æliam et Fufiam, maxime reipublicæ salutares; censuram exstinxit; intercessionem removit; auspicia delevit; consules, sceleris sui socios, ærario, provinciis, exercitu armavit; reges, qui erant, vendidit; qui non erant, appellavit; Cn. Pompeium vi, ferro, domum compulit; imperatorum monumenta evertit; inimicorum domos disturbavit [6]; vestris monumentis nomen suum inscripsit. Infinita sunt scelera, quæ ab illo in patriam sunt edita. Quid, quæ in singulos cives, quos necavit? socios, quos diripuit? imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentavit?

Quid vero? ea quanta sunt, quæ in ipsum se scelera, quæ in suos edidit? quis minus umquam pepercit hostium castris, quam ille omnibus corporis sui partibus? quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam istius ætas fuit? quis umquam nepos tam libere est cum scortis, quam hic cum sororibus volutatus? quam denique tam immanem Charybdim poetæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites posset, quantas iste Byzantiorum Brogitarorumque [7] prædas exsorbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque jejunis, quam,

6. *Inimicorum domos disturbavit.* Non M. Ciceronis solum, sed etiam Quinti ejus fratris, et T. Annii Milonis. Conf. ad Att. IV, 3.

7. *Brogitarorumque.* Sed ex c. 26 pro Sextio cognoscimus, exsules quosdam Byzantium fuisse a Clodio reductos in tribunatu, fanumque Pessinuntium *pecunia grandi* Brogitaro venditum.—De Brogitaro multa etiam supra, cap. 13, ex quibus regem quoque lege Clodii eum appellatum pecunia discimus. Apparetque ab eo Clodium et præsentis pecuniæ magnam vim et syngraphas in posterum solvendas extorsisse. — Anno autem, qui hunc est consequutus, ita Cicero scribebat ad fratrem, II, 9: « Illud, quod cupit Clodius, est legatio aliqua, si minus per senatum, per populum, libera, aut Byzantium, aut ad Brogitarum, aut utrumque. Plena res nummorum ». Manutius ibi recte adnotat, eam legationem ad pecunias exigendas Clodium expetisse, quarum habebat syngraphas.

quibus istum videtis, Gelliis, Clodiis, Titiis, rostra ipsa mandentem [8]?

Quare, id quod extremum est in haruspicum responsis, PROVIDETE, NE REIPUBLICÆ STATUS COMMUTETUR. Etenim vix hæc, si undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium nostrum humeris cohærebunt.

XXVIII. Fuit quondam ita firma hæc civitas, et volens, ut negligentiam senatus, vel etiam injurias civium ferre posset. Jam non potest. Ærarium nullum est; vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt; auctoritas principum cecidit; consensus ordinum est divulsus; judicia perierunt; suffragia descripta [1] tenentur a paucis; bonorum animus ad nutum nostri ordinis expeditus jam non erit; civem, qui se pro patriæ salute opponat invidiæ, frustra posthac requiretis.

Quare hunc statum, qui nunc est, qualiscumque est, nulla alia re, nisi concordia, retinere possumus. Nam, ut meliore simus loco, ne optandum quidem est, illo impunito: deteriore autem statu ut simus, unus est inferior gradus, aut interitus, aut servitutis. Quo ne trudamur, dii immortales nos admonent, quoniam jampridem humana consilia ceciderunt.

Atque ego hanc orationem, patres conscripti, tam tristem, tam gravem non suscepissem, non, inquam, nisi hanc personam, et has partes, honoribus populi

8. *Rostra mandentem.* Sic in Verrinis non semel dicuntur Verris canes ejus tribunal lambere.

XXVIII. 1. *Suffragia descripta.* Ita corrupti sunt plerique cives, ut patiantur se induci ad suffragandum, quibus illi pauci bene volunt. Itaque « suffragia descripta sunt » : est imperatum et injunctum quasi est singulis civibus suum suffragium, cui debeant suo suffragio commodare. Sic alibi « describere civitatibus pecuniam, tributa, milites », jubere, quantum debeat, pecuniæ, tributorum, militum singula civitas conferre. Cæsar de Bell. Civ. II, 10 : « Vecturas descri-

romani, vestris plurimis ornamentis[2] mihi tributis, deberem, et possem sustinere. Sed tamen facile, tacentibus ceteris, reticuissem; sed hæc oratio omnis fuit non auctoritatis meæ, sed publicæ religionis. Mea fuerunt verba fortasse plura: sententiæ[3] quidem omnes haruspicum; ad quos aut referri nuntiata ostenta non convenit, aut eorum responsis commoveri necesse est.

Quod si cetera magis pervulgata nos sæpe et leviora moverunt, vox ipsa deorum[4] immortalium non mentes omnium permovebit? Nolite enim id putare accidere posse, quod in fabulis sæpe videtis fieri, ut deus aliquis lapsus de cælo[5], cœtus hominum adeat, versetur in terris, cum hominibus colloquatur. Cogitate genus sonitus ejus, quem Latinienses nuntiarunt; recordamini illud etiam, quod nondum est[6] relatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiæ nuntiatur terræ motus horribilis, cum quibusdam multis metuendisque rebus. Hæc eadem profecto, quæ futura prospicimus, impendentia pertimescetis. Etenim hæc deorum immortalium vox, hæc pæne oratio judicanda est, quum ipse mundus, quum aer atque terræ motu quodam novo contremiscunt, et inusitato aliquid sono incredibilique prædicunt. In quo

bens civitatibus ». Q. Cicero de petitione consulatus: « Etsi hominibus studiosis nostri gratiosisque suum cuique munus describimus ».

2. *Plurimis ornamentis.* Duas res Cicero distinguit, honores, id est, magistratus, quos a populo erat consequutus, et ornamenta, quæ in eum senatus contulerat: hæc autem erant laudatio illa, quam habuit a senatu, conjuratione detecta, et supplicatio eodem tempore illi decreta; postremo SCta, quæ de illius reditu plura et perhonorifica facta fuerunt.

3. *Sententiæ quidem.* Verborum meorum materies ab haruspicibus suppeditata est; ad eos res ipsæ et sententiæ pertinent.

4. *Vox ipsa deorum.* Quæ sonitu et terræ motu voluntates declaraverunt.

5. *Aliquis lapsus e cælo.* Alii, *delapsus e cælo.*

6. *Nondum est relatum.* Ad senatum.

constituendæ nobis quidem sunt procurationes[7], et obsecratio, quemadmodum monemur. Sed faciles sunt preces apud eos, qui ultro nobis viam salutis ostendunt : nostræ nobis sunt inter nos iræ discordiæque placandæ[8].

7. *Procurationes*. Quum hic de ostentis agat Cicero, facile intelligebant omnes per *procurationes* nihil intelligi, nisi procurationes ostentorum, præcipue quum procurationibus addatur obsecratio. — Solus præterea Lambin. dedit *obsecrationes* : pro quo verbo Schottus III Nod. Cic. 17 malebat *observationes*. Nescio quid spectaret : sed vulgatam ipse præferebat.

8. *Placandæ*. Tandem earum orationum finem attigimus, quæ a Marklando et Wolfiô auctori nostro abjudicantur. Eant in suffragium legentes, sed ita ut neque sibi magnis nominibus imponi, aut novis opinionibus integrum judicium eripi patiantur; et quamvis plurimæ offendant maculæ, quas librariorum incuria fudit, si tamen non plerumque Ciceroniana gravitas deprehenditur, nec ipsa mens perspicitur, non recusamus quin contra nos tam atrocem sententiam ferant quam Wolfius, memores tamen arrogantem censuram minus quam legitimas rationes apud sanas mentes valere.

M. TULLII CICERONIS

ORATIO

PRO CN. PLANCIO

ARGUMENTUM.

Cn. Plancius Cn. fil. an. U. 695, quæstor fuerat L. Appuleii prætoris in Macedonia. Natus erat in præfectura Atinati ex familia equestri; ejusque pater publicanus fuerat. Is quum Cicero exsul in Macedoniam veniret, eum omnibus modis fovit; et simul ac eum Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad eum lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est, eumque Thessalonicam in quæstorium perduxit. Ann. U. 697 tribunus plebis fuit, in eoque tribunatu præter alios collegam habuit L. Racilium. Ann. U. 698 ædilitatem petiit, una cum M. Juventio Laterensi, qui quum repulsam tulisset, eodem anno una cum subscriptoribus Plancium ambitus accusavit lege Licinia de sodalitiis, i. e. tribubus per sodalitia corruptis; qua lege accusatori concedebantur edititii judices, h. e. quum in aliis judiciis reo et accusatori liceret e judicibus, quos prætor sortitus esset, quos vellent rejicere, in judicio de sodalitiis accusator tantum judices ederet. Acta causa est eodem anno, apud C. Flavium prætorem, qui quæstionem de ambitu exercebat.

In exordio orationis Cicero, qui audierat suos partim inimicos, partim invidos huic accusationi favere, dolet salutem Plancii ob eam ipsam causam infestiorem esse, quod ille suam in exsilio salutem, præsidio custodiaque texerit; ostendit tamen, quum judices videat eos, quorum nemo sit, cui salus sua cara non fuerit, se propterea recreari; miraturque M. Juventium Laterensem ipsum quoque suæ salutis studiosissimum hunc sibi reum potissimum delegisse. Et quoniam accusatores dixerant, minora esse Plancii erga Ciceronem merita, quam ab ipso prædicarentur, hoc ipsum ait sibi tractandum esse, sed modice, ne quid ipse offendat, ac tum denique dicendum quum ipsis criminibus responderit, cap. 1, 2.

Attamen in causa facili atque explicata sibi hoc molestum accidere, quod contra Laterensem, amicum suum, dicendum sit, et multo magis, quod in ea causa, in qua Plancii et Laterensis videatur facienda esse contentio. Accusatorem enim se hoc uno

maxime urgere, quod quærat, qua se Plancius virtute, qua laude, qua dignitate superarit. Itaque negat Cicero eum a Plancio, aut ab ullo alio dignitate potuisse superari; idem vero ait dignitatis perraro judicem esse populum; qui et possit et solcat nonnumquam dignos præterire; qui in comitiis non semper judicet, sed plerumque moveatur gratia, cedat precibus, faciat eos, a quibus sit maxime ambitus, cap. 4. Itaque ipsum populum loquentem facit, qui dicat se Plancium Laterensi non anteposuisse, sed beneficium potius ad eum detulisse, qui a se contenderit, quam ad eum, qui sibi non nimis submisse supplicarit, cap. 5. Deinde ostendit, in hac causa non debere judicem quærere, quare victus sit in petitione ædilitatis a Plancio Laterensis, modo ne largitione sit victus. Populi enim libertatem in mandandis magistratibus boc secum ferre, ut sæpe etiam prætereatur is, qui, si dignitas sola spectetur, non debuerit præteriri, c. 6. Sed in hac causa, populi quoque factum defendi posse. Plancium enim non obrepsisse ad bonorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus equestri loco natis. Laterensis quidem nomen esse utraque familia consulare. Non tamen semper plurimos in populo nobilitati favere. Laterensem esse ex municipio antiquissimo Tusculano; Plancium esse e præfectura Atinati, non tam prisca et bonorata. Attamen Atinates magis etiam favere municipibus suis quam Tusculanos; Tusculanos paucos esse, si cum Atinatibus conferantur; nam banc præfecturam esse plenam virorum fortissimorum; et vicinos quoque ejus præfecturæ Arpinates, Soranos, Casinates, Aquinates, totumque tractum Venafranum, Alifanum, Arpinatem, Plancii honoribus favisse. Deinde quod pater Plancii publicanus sit, totum ordinem equestrem ei studuisse. Nonnibil præterea suas ipsius (Ciceronis) preces apud populum pro Plancio valuisse, cap. 7-10. His rebus Plancium vel vitia tegere potuisse; nedum in ejus vita tot et tanta adjumenta ei honori fuisse mirandum sit. Itaque Cicero ejus merita laudat, quod adolescentulus cum A. Torquato in Africam profectus ab eo præcipue dilectus sit, quod fuerit in Creta contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles Q. Metelli, eique fuerit probatissimus hodieque sit; præterea C. Sacerdotis et L. Flacci testimoniis ornetur; quod in Macedonia tribunus militum fuerit, et postea quæstor omnibus civitatibus carus et a

prætore suo L. Appuleio in primis dilectus; quod tribunatum plebis laudabiliter gesserit; quod domesticis etiam laudibus et patris omniumque suorum amore floreat. Itaque mirandum non esse, hominem omnibus tam externis quam domesticis rebus ornatum factum esse ædilem, cap. 11, 12.

Nihil autem efficere Laterensem, quod illum vitæ Plancii splendorem maculis aliquot aspergat, nec verum esse, quod dicat accusator, ipsum patrem Plancio obesse debere, cap. 13, 14.

Jam ad ipsam causam accedit; in quo primum Laterensis reprehenditur, quod quum Plancium ex lege Licinia de sodalitiis accusarit, nihil aliud egerit, quam ut editiis judicibus uti posset; nihil enim eum afferre, quo doceatur Plancium tribus corrupisse; sed ea tantum proferre, quæ ad alias de ambitu leges, non ad legem Liciniam pertinerent. Itaque poscit ab adversario, ut in quacumque tribu, cujus suffragia Plancius tulerit, vitium ostendat; se eodem modo quo id Laterensis de tribubus, quas ipse tulerit, demonstrare possit, rationem ostensurum, qua factum sit, ut illæ Plancium ædilem creaverint, cap. 15-19.

Præterea jam comitiis superioribus ann. U. 698, a Crasso consule legis Liciniæ auctore habitis, designatum esse Plancium; in quibus ne si cogitasset quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Scilicet eo tempore de omnibus magistratibus bis suffragia ferri solebant. Itaque primis comitiis a consule habitis nullam largitionis fuisse nec esse potuisse suspicionem, ac tamen Plancium plurimum valuisse, nec mirum esse alteris comitiis ædilitiis designatum esse ædilem, quum in illis a Crasso consule habitis non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit. Ac si Laterensis post priora comitia voluisset populo submissius supplicare, se non dubitare quin omnis ad eum conversa fuerit multitudo, cap. 20. Deinde Laterensem, ut minus graviter ferat, se in ædilitatis petitione præteritum esse, exemplis consolatur eorum, qui post ædilitatis repulsam consules facti sint; simulque significat, quod petitione tribunatus destiterit, ne in legem agrariam Julii Cæsaris juraret, non fuisse nullos, quorum animos ejus ille fortis animus offenderit, cap. 21. Breviter deinde aliis Laterensis argumentis respondet, quod tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius, quod nonnullas tribus pæne totidem punctis uterque tulerit; quod prioribus comitiis

Laterensi Aniensis tribus a Plotio, Terentina a Plancio concessa fuerit, alteris autem ab utroque eæ avulsæ fuerint; quod nummi in circo Flaminio deprehensi sint, cap. 22. Postremo significat Laterensem non tam argumentis in hac accusatione, quam opibus suis et gratia confidere, præsertim quum Plancius multos invidos et obtrectatores habeat; itaque judices obsecrat, ne temere factis auditionibus disseminatoque sermoni credant.

Jam accedit ad L. Cassii, qui se accusatori subscriptorem in hac causa professus erat, orationem. Is Laterensem laudibus extulerat; quod illi Cicero facile concedit; reprehendit tantum quod inania quædam et levia conquisiverit; ut Præneste ludos fecisse, Cyrenis liberalem in publicanos, justum in socios fuisse; in quo, narratione de eo quid sibi ex quæstura Siciliensi redeunti acciderit præmissa, docet, plurimum profuisse Plancio, quod numquam Roma abfuerit, nisi sorte, lege, necessitate; et quod assiduitate, observandis amicis, liberalitate valuerit, cap. 24-27. Postremo Cassium refutat, quod ille se nimis magnum beneficium facere a Plancio in se collatum dixerat, cap. 28, 29.

Jam redit ad Laterensem, cumque primum reprehendit, quod Ciceronem dixerat, quæ de Plancio dicat, mentiri et temporis causa fingere, cap. 30. Deinde eum nihil in Cispio perfecisse, quem defenderit, cap. 31. Plancii tribunatum nihil adjumenti Ciceronis dignitati attulisse, ideoque nimis eum gratum esse in Plancium, c. 32, 33. Tum, postquam leviora quædam et partim inepta Laterensis dicta confutarat, cap. 34, accedit ad gravius opprobrium, quod Laterensis dixerat, quum in exsilium iret Cicero, non auxilium sibi, sed se auxilio defuisse, cap. 35-36, et mortem timuisse, cap. 37. Deinde, quod, quum ipse se in republica liberum esse gloriaretur, Ciceronem liberum esse negarat, cap. 38. Denique quod Plancii in se meritum nimis extolli a Cicerone dixerat, quum ei nec insidiarum nec mortis periculum fuerit, cap. 40, 41.

In peroratione judices, in primis Flavium quæsitorem obtestatur, ut sibi eum conservent, per quem ipse sit reipublicæ conservatus, cap. 42.

Ceterum quum inter interpretes hujus orationis de anno quo habita sit hæc oratio, non conveniat, aliis ad ann. U. 698, quo Pompeius et Crassus coss. fuerunt, aliis ad ann. U. 699, h. e. Do-

mitii et Appii Pulchri consulatum referentibus, breviter causas expediam, quibus adductus eam ann. U. 698, habitam esse mihi persuaserim. Primum extremo capite quæsitor nominatur C. Flavius; ideoque jam Pighius ad h. a. monuit, quum vulgo cap. 17, pro eo legatur C. Alfius, id nomen corruptum esse. Nam C. Alfium certum est ann. 699 prætorem fuisse, eique quæstionem de majestate obtigisse; cf. ep. ad Q. fratrem, III, 1 et 3. Itaque quum essent a Crasso consule ipsius legis Liciniæ latore comitia habita, primum his ædilis designatus est Plancius; et quum paullo post ædilitia comitia haberentur, iterum suffragia populi tulit. Præteritus igitur Juventius Laterensis statim post secunda illa comitia Plancium ædilem designatum ex lege Licinia de sodalitiis accusavit, et quidem ante ludos Romanos eodem fere anni tempore, quo ann. 690 Murena consul designatus de ambitu fuerat accusatus. Hoc enim e cap. 34 efficitur, ubi Cicero dicit Laterensem dixisse, se nolle in ludos hanc causam conjicere, ne Cicero posset aliquid de thensis misericordiæ causa dicere. Itaque absolutus Plancius ædilitatem cum Plotio gessit ann. U. 699. Laterensis autem prætor fuit a. 702, utrum ædilitate prætermissa, an quod eam iterum petierit et a. 700 gesserit, quæ Pighii ad h. a. opinio est, mihi non liquet.

Orationem vero pro Plancio Cicero ann. U. 699 multum efflagitatam absolvisse se scribit ep. ad Q. F. III, 1, scripta mense sept. ann. U. 699. Hoc vero eo pertinet, quod orationem illam anno superiore habitam diligentius elaboraverit, et conscriptam editioni paraverit.

M. T. CICERONIS

ORATIONES.

ORATIO

PRO CN. PLANCIO.

ORATIO PRIMA ET TRICESIMA.

I. Quum propter egregiam[1] et singularem Cn. Plancii, judices, in mea salute custodienda[2] fidem, tam multos et bonos viros ejus honori[3] viderem esse fautores, capiebam animo non mediocrem voluptatem, quod, cujus officium mihi saluti fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari videbam. Quum autem audirem, meos partim inimicos, partim invidos, huic accusationi esse fautores[4], eamdemque rem adversariam esse in judicio Cn. Plancio, quæ in peti-

I. 1. *Quum propter egregiam.* Non pauci sunt hacce in oratione corrupti loci. Weiskius dubias habet tres primas exordii sententias usque ad « video enim hoc in numero », et alias quas cap. 35 notavimus. Ne autem Weiskio fides sit adhibenda satis monet singulare ejus de Ligariana orat. judicium, quam Ciceroni abjudicat.

2. *In mea salute custodienda.* Temporibus Clodianis, quum in Macedonia Plancius quæstor esset; qua de re in extrema oratione.

3. *Ejus honori.* Ut ad honores eveheretur.

4. *Esse fautores.* Vulgata lectio *fauturos.* Sic Lambin. Cratand. Grut. non improbante Ernestio, dummodo mox legatur *adversariam fore.* Omnes tamen codices videntur non sine ratione *fautores* retinere. Non enim sine venustate quadam eadem vox repetitur

tione fuisset adjutrix[5], dolebam, judices, et acerbe ferebam, si hujus salus ob eam ipsam causam esset infestior[6], quod is meam salutem atque vitam sua benivolentia, præsidio, custodiaque texisset. Nunc autem vester, judices, conspectus et consessus iste reficit et recreat mentem meam, quum intueor et contemplor unumquemque vestrum. Video enim hoc in numero neminem, cui mea salus cara non fuerit; cujus non exstet in me suum[7] meritum; cui non sim obstrictus memoria beneficii sempiterna. Itaque non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meæ salutis apud eos obsit, qui me ipsum maxime salvum videre voluerunt; sæpiusque, judices, mihi venit in mentem, admirandum esse, M. Laterensem, hominem studiosissimum et dignitatis et salutis meæ[8], reum sibi hunc potissimum delegisse, quam metuendum, ne vobis id ille magna ratione fecisse videatur.

Quamquam mihi non sumo tantum, judices, neque arrogo[9], ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consequuturum putem. Nisi ejus integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero : nihil de pœna recusabo. Sin omnia præstitero, quæ sunt a

a Cicerone. Quum bonos hujus honori esse fautores viderem, gaudebam; quum vero inimicos huic accusationi esse fautores audirem, dolebam. Non fauturos eos, sed jam esse fautores accusaturi constabat.

5. *Quæ in petitione fuisset adjutrix.* Boni viri Plancii faverant petitioni, qui exsulanti Ciceroni omnibus in rebus sese commodaverat, et eum multis liberaverat periculis; ideo Ciceronis inimici Plancio invidebant.

6. *Esset infestior.* In discrimine versaretur, oppugnaretur : sic *mare infestum*, in quo navigare propter piratas tutum non est.

7. *In me suum meritum.* Alii, « summum meritum ». Ita cum Erfurt. Bavaricus et quinque Britannici.

8. *Studiosissimum et dignitatis et salutis meæ.* Ita hodie legimus fide membranarum Turingicarum; prius vulgati codices, « studiosissimum et diligentissimum salutis meæ ».

9. *Judices, neque arrogo.* Bavar. « neque arrogo, judices ».

bonis viris exspectanda[10]: petam a vobis, judices, ut, cujus misericordia salus mea custodita sit, ei vos vestram misericordiam, me deprecante, tribuatis. Equidem ad reliquos labores, quos in hac causa majores suscipio, quam in ceteris, etiam hanc molestiam adsumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est, cujus ego salutem non secus, ac meam, tueri debeo, sed etiam pro me ipso, de quo accusatores plura pæne, quam de re reoque dixerunt.

II. Quamquam, judices, si quid est in me ipso ita reprehensum, ut id ab hoc sejunctum sit[1], non me id magnopere conturbat: non enim timeo, ne, quia perraro grati homines reperiantur, idcirco, quum me nimium gratum illi esse dicant, id mihi criminosum esse possit. Quæ vero ita sunt agitata ab illis, ut aut merita Cn. Plancii erga me minora esse dicerent, quam a me ipso prædicarentur; aut, si essent summa, negarent ea tamen ita magni, ut ego putarem, ponderis apud vos esse debere: hæc mihi sunt tractanda, judices, et modice, ne quid ipse offendam[2]; et tum denique, quum respondero criminibus[3], ne non tam innocentia reus sua, quam recordatione meorum temporum, defensus esse videatur.

Sed mihi in causa facili atque explicata[4], perdiffi-

10. *A bonis viris exspectanda.* Sic Erfurt. Franc. autem prim. et Dresd. Codd. omnes *expetenda.* Hæc invicem mutari passim notissimum est, veluti ad cap. 18 pro Sull. Quum autem vox *petam* sequatur, Ciceronem *expetenda* hoc in loco dixisse non credibile est.

II. 1. *Ab hoc sejunctum sit.* Alii, *alienum.* Vox *sejunctum* ex Erfurt. jam restituta; est etiam in Bavar. et quatuor Britann.

2. *Ne quid ipse offendam.* Id est, ne quid ipse committam, quod reprehendi possit, si Plancii in me merita supra modum efferam.

3. *Quum respondero criminibus.* Crimen dicitur id omne, quod reo alicui objicitur. Erfurt. loco *criminibus* habet *omnibus*, nimirum accusatoribus.

4. *Sed mihi in causa facili atque explicata.* In qua nihil est tricarum et obscuritatis. Huic opponitur *impedita causa.*

cilis, judices, et lubrica defensionis ratio proponitur. Nam, si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere, tamen id ipsum esset in tanto usu nostro[5] tantaque amicitia molestum: vetus enim est lex illa justæ veræque amicitiæ, quæ mihi cum illo jam diu est, ut idem amici semper velint; neque est ullum certius amicitiæ vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Mihi autem non modo est in hac re[6] molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis, quod in ea causa contra dicendum est, in qua quædam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. Quærit enim Laterensis, atque hoc uno maxime urget, qua se virtute, qua laude Plancius, qua dignitate superarit[7]. Ita, si cedo illius ornamentis, quæ multa et magna sunt, non solum hujus dignitatis[8] jactura facienda est, sed etiam largitionis[9] recipienda suspicio est. Sin hunc illi antepono, contumeliosa habenda est oratio, et dicendum est id, quod ille me flagitat[10], Laterensem a Plancio dignitate esse superatum. Ita aut amicissimi hominis[11] existimatio offendenda est, si illam accusationis conditionem sequar[12], aut optime de[13] me meriti salus deserenda est.

III. Sed ego, Laterensis, cæcum me et præcipitem ferri confitear in causa, si te aut a Plancio, aut ab

5. *In tanto usu nostro*. Id est, in tanta consuetudine, tanta familiaritate.

6. *Non modo est in hac re*. Plures Palatini habent: « non modo id est in hac re ».

7. *Superarit*. Scilicet in petitione ædilitatis. — *Ornamentis*. Sc. egregiis dotibus.

8. *Hujus dignitatis*. Jacob. et Gron. legendum putant *huic*, sed nulla auctoritate.

9. *Largitionis*. De qua Plancius accusatur; nam si dignitate non vicerit, reliquum est, ut comitia corruperit.

10. *Ille me flagitat*. Scil. quod me Laterensis cogit dicere.

11. *Amicissimi hominis*. Laterensis.

12. *Accusationis condit. sequar*. Id est, si Laterensem a Plancio dignitate superatum esse dicam; quod Laterensis ipse a me flagitat.

13. *De me meriti*. Scil. Plancii.

ullo, dignitate potuisse superari dixero. Itaque discedam ab ea contentione[1], ad quam tu me vocas, et veniam ad illam[2], ad quam me causa ipsa deducit. Quid? tu dignitatis judicem[3] putas esse populum? Fortasse nonnumquam est. Utinam vero semper[4] esset! sed est perraro, et si quando est, in iis magistratibus est mandandis, quibus salutem suam committi putat: his levioribus comitiis, diligentia, et gratia petitorum honos paritur[5], non iis ornamentis, quæ esse in te videmus. Nam, quod ad populum pertinet, semper dignitatis iniquus judex est, qui aut invidet, aut favet. Quamquam nihil potes in te, Laterensis, constituere, quod sit proprium laudis tuæ, quin id tibi sit commune cum Plancio. Sed hoc totum agetur alio loco: nunc tantum disputo de jure populi; qui et potest, et solet nonnumquam dignos præterire; nec, si a populo præteritus est, quem non oportuit, a judicibus condemnandus est, qui præteritus non est. Nam si ita esset, quod patres[6] apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent judices[7]; vel, quod multo etiam minus esset ferendum. Tum enim magistratum non[8] gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti: nunc postulatur a vobis, ut ejus exsilio, qui creatus sit, judicium populi romani reprehendatis. Itaque

III. 1. *Contentione.* Id est, comparatione.

2. *Ad illam.* Quæ fit in populi comitiis, quum populus, competitores dignitate non distinguens, aut invidet, aut favet arbitratu suo.

3. *Quid? tu dignitatis judicem.* Variæ hoc in loco editæ sunt lectiones; hanc maluit Ernestius.

4. *Utinam vero semper esset!* Alii, *verus*; alii, *æquus*.

5. *Honos paritur:* Erfurt. habet *honos paratur.*

6. *Patres.* Id est, senatus.—*Tenere.* Id est, conservare.

7. *Id haberent judices.* Si ita esset, penes judices esset comitiorum judicia irrita faciendi copia, quam potestatem senatus apud majores nostros non potuit tenere.

8. *Tum enim magistratum non gerebat.* Vide Liv. I, 17.

quamquam, qua nolui[9], janua sum ingressus in causam, sperare videor, tantum abfuturam esse orationem meam a minima suspicione offensionis tuæ, te ut potius objurgem, quod iniquum in discrimen adducas dignitatem tuam, quam ut ego eam ulla contumelia coner attingere.

IV. Tu continentiam, tu industriam, tu animum in rempublicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quod ædilis non sis factus, fractos esse, et abjectos, et repudiatos putas? Vide tandem, Laterensis, quantum a te dissentiam[1]. Si, medius fidius, decem soli essent in civitate viri boni, sapientes, justi, graves, qui te indignum ædilitate judicavissent[2], gravius de te judicatum putarem, quam est hoc, quod tu metuis, ne a populo judicatum esse videatur[3]. Non enim comitiis judicat semper populus[4], sed movetur plerumque gratia; cedit precibus; facit eos[5], a quibus est maxime ambitus. Denique, si judicat[6], non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad

9. *Qua nolui.* Quia de tua et Plancii dignitate loqui mihi contigit, quod nolebam. — *Sum ingressus.* Alii, *sim ingressus.*

IV. 1. *Quantum a te dissentiam.* Lallem. post Grævium addit *ego* ex Erfurtensi, in eo solo repertum fuit *ego;* nunc etiam in Bavarico, idque probant Schütz. Wolf.

2. *Judicavissent.* Juntina habet *judicassent.*

3. *Quod tu metuis, ne a populo judicatum esse videatur.* Tu metuis, ne, quia ædilis non creatus es, ideo indignus a populo judicatus esse videaris: ego contra, si te decem soli viri boni, sapientes, justi, graves, indignum ædilitate judicassent, gravius de te judicatum putarem, quam quod est a populo judicatum; pluris enim apud me esset decem ejusmodi hominum judicium, quam populi universi, quod tu metuis ne detrahat de existimatione tua.

4. *Judicat semper populus.* Non semper vere et simpliciter judicat.

5. *Facit eos.* Id est, creat illos magistratus: Inferius cap. 5: « Si quotiescumque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari ». Et cap. 6: « Sin hoc persæpe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur». Cicero pro Murena, c. 25: « optimus quisque eum non facit ».

6. *Si judicat.* Erfurt. *et si judicat.* Bavar. *etiam si judicat.* Adest in reliquis libris, et in Eybianis excerptis.

judicandum, sed impetu nonnumquam, et quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen[7], non diligentia; semperque sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. Quare quum te ædilem fieri oportuisse dicis, populi culpam, non competitoris, accusas. At fueris dignior[8], quam Plancius: de quo ipso[9] ita tecum contendam paullo post, ut conservem dignitatem tuam; sed, ut fueris dignior, non competitor, a quo es victus, sed populus, a quo es præteritus, in culpa est. In quo primum illud debes putare, comitiis, præsertim ædilitiis[10], studium esse populi, non judicium; eblandita[11] illa, non enucleata esse suffragia; eos, qui suffragium ferant, quid denique ipsi debeant[12], considerare sæpius, quam, quid cuique a republica videatur deberi. Sin autem mavis esse judicium, non tibi id rescindendum est, sed ferendum. Male judicavit populus. At judicavit. Non debuit. At potuit. Non fero. At multi clarissimi et sapientissimi cives tulerunt: est enim hæc[13] conditio liberorum populorum, præcipueque hujus principis populi, et omnium gentium domini ac victoris, posse suffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique;

7. *Discrimen*. Non enim discernit, non distinguit eos, qui petunt, ex meritis et dignitate.

8. *At fueris dignior*. Legunt Lall. et Græv. e MSS, *ut fueris dignior*. Damnat Ernestus.

9. *De quo ipso*. Bavar. *de quo ipse*. In Britann. omnibus deest *ipso*, ex Erfurt. prolatum. Deest etiam in Junt. Crat. Or.

10. *Præsertim ædilitiis*. Ædiles erant magistratus municipales, curatores urbis, annonæ, ludorumque solemnium. Ædilitas primus erat ascensus ad honoris amplioris gradus; itaque non tanta diligentia comitiis ædilitiis, quam consularibus et prætoriis judicabat populus.

11. *Eblandita*, id est, blanditiis quæsita.

12. *Quid denique ipsi debeant*. Grævius, Weiskius, Schutzius et Wolf. *cuique*.

13. *Hæc conditio*. Addita est vox, *hæc*, ex Erfurt. In Bavar. et duobus Britann. reperitur.

nostrum est autem, qui in hac tempestate populi jactamur[14] ac fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas; honores si magni non putemus, non servire populo; sin eos expetamus, non defatigari supplicando.

V. Venio nunc ad ipsius populi partes, ut illius contra te oratione potius, quam mea, disputem. Qui si tecum congrediatur, et si una voce loqui possit, hæc dicat : Ego tibi, Laterensis, Plancium non anteposui; sed, quum essetis æque boni viri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui a me contenderat, quam ad eum, qui mihi non nimis submisse supplicarat. Respondebis, credo, te splendore et vetustate familiæ fretum, non valde ambiendum putasse: at vero te ille ad sua instituta, suorumque majorum exempla revocabit; semper se dicet[1] rogari voluisse, semper sibi supplicari; M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate judicii retinere potuisset[2], homini nobilissimo, innocentissimo, eloquentissimo, M. Pisoni[3], prætulisse; præposuisse se Q. Catulo[4], summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, non dico C. Sera-

14. *Jactamur*, ex cod. Barb. quod uni post Græv. Ernesto placuit, immo necessarium est visum. Alii cum vulgatis, *jactemur*.

V. 1. *Semper se dicet*. Lambinus, « semper se dicet rogari, semper sibi supplicari voluisse ». Al. *semper sibi placuisse*.

2. *Retinere potuisset*. Damnatus enim partem suarum fortunarum amisit, quæ censum equestrem, qui quadraginta millia nummum erat (8,200 fr.) ita imminuit, ut inter equites romanos deinde censeri non potuerit; ideo dixit Horatius : « Si quadringentis sex septem millia desint, Plebs eris ».

3. *M. Pisoni*. M. Puppio Pisoni, qui biennio post Ciceronem consul fuit. Eruditum fuisse græcis doctrinis narrat Cicero in Bruto, idemque cum de Hispanis triumphasse proconsulem ostendit in oratione in Pisonem. — *Prætulisse*, scilicet in ædilitate, quod infra narratur.

4. *Q. Catulo*. Quis fuerit ille Catulus, non liquet.

num[5], non stultissimum hominem (fuit enim et animi satis magni, et consilii), sed Cn. Manlium[6], non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida.

Desiderarunt te, inquit[7], oculi mei, quum tu esses Cyrenis[8] : me enim, quam socios, tua frui virtute malebam; et, quo plus intererat[9], eo plus aberas a me; certe non videbam[10]. Deinde sitientem me virtutis tuæ deseruisti ac dereliquisti. Cœperas enim petere tribunatum plebis temporibus iis, quæ istam eloquentiam et virtutem requirebant[11] : quam petitionem quum reliquisses, si hoc indicasti[12], tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi; si nolle, de voluntate. Sin, quod magis

5. *C. Seranum.* Serani Atiliæ gentis a serendo dicti sunt, ut auctor est Plinius, quos postea *Serranos* poetæ dixerunt, ut producerent syllabam. Male, « C. Serenum, subtilissimum hominem ».

6. *Cn. Manlium.* De eadem re sic pro Murena : « Quis L. Philippum, summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Mallio? »

7. *Inquit*, sc. populus.

8. *Cyrenis.* Fuit urbs olim nobilissima Africæ, caput regni ejusdem nominis et quæstoria sedes. — *Quam socios*, sc. populi romani.

9. *Quo plus intererat.* Passim omissionibus deformata est hæc oratio.

10. *Certe non videbam.* Melius legendum cum Lambino : « te certe non videbam ».

11. *Eloquentiam et virtutem requirebant.* Cæsar ab initio sui primi consulatus legem agrariam, Pompeianorum militum gratia, a tribuno Flavio propositam, ferri coegerat. Adversariorum constantiam timens, senatum et plebem in istius legis verba gravissime obstrinxit, ita ut sacramento obligarentur illi ipsi qui magistratus in annum sequentem petebant. Inter quos M. Juventius Laterensis, qui petitionem relinquere, quam jurare maluit : quod sane magni et firmi animi nobilissimum erat specimen. De Laterense in epist. ad Atticum, lib. II, sic loquitur Cicero : « Habet Campana lex exsecrationem in coitione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Juliis : non dubitant jurare ceteri : Laterensis existimatur recte fecisse, quod tribunatum plebis petere destitit, ne juraret ». Et in hac ipsa oratione infra : « Noli existimare, non magnum quemdam motum fuisse illius petitionis tuæ, de qua ne aliquid jurares, destitisti ».

12. *Si hoc indicasti.* Quis ita legendum esse non videt? est enim hujus

intelligo, temporibus te aliis reservasti, ego quoque, inquam, et respublica ad ea te tempora revocavi, ad quæ tu te ipse servaras. Pete igitur eum[13] magistratum, in quo mihi magnæ utilitati esse possis: ædiles quicumque erunt, idem mihi sunt judices parati[14]; tribuni plebis, permagni interest, qui sint. Quare aut redde mihi, quod ostenderas; aut, si, quod mea minus interest[15], id te magis forte delectat, reddam tibi istam ædilitatem, etiam negligenter petenti. Sed amplissimos honores ut pro dignitate tua consequare, condiscas, censeo, mihi paullo diligentius supplicare.

VI. Hæc populi oratio est; mea vero, Laterensis, hæc: Quare victus sis, non debere judicem[1] quærere, modo ne largitione sis victus. Nam si, quotiescumque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, toties oportebit, eum, qui factus erit, condemnari, nihil jam est, quod populo supplicetur; nihil, quod diremptio[2], nihil, quod supplicatio magistratuum[3],

dilemmatis vis hujus modi, quum petitionem tribunatus plebis reliquisti, indicasti vel te in tanta tempestate non posse rempublicam gubernare, vel te nolle; si indicasti te non posse, de virtute tua dubitavi; si te nolle, de voluntate. Alii, *si hoc judicasti*, id est, constituisti, decrevisti te nolle.

13. *Eum magistratum*. Scilicet tribunatum.

14. *Idem mihi sunt judices parati*. Vitiosus hic locus; non enim commode explicari potest de illa jurisdictionis parte, quam obtinebant ædiles, tamquam ἀγορανόμοι. Conjicit Ernestus, *iidem mihi sunt ludi parati*. Forte, *iidem mihi erunt...* ab ædilibus enim nihil præter ludos exspectabat populus, quibus fraudari non poterat. Garaton. Schütz. et Or. receperunt *ludi* loco vocis *judices*.

15. *Quod mea minus interest*. Minus enim his tempestatibus in ædilitate Laterensis prodesse poterat, quam in tribunatu.

VI. 1. *Non debere judicem quærere*. Id est, judicem non debere quærere quare victus sis.

2. *Diremptio*. Al. *direptio*. *Diremptio* de suffragiis dicitur; nam quum, posteaquam lata sunt, enumerantur, ut ex numero quid jusserit, aut quid noluerit populus, cognoscatur: dirimi tunc dicuntur; unde Horatius: « Et non admissæ dirimit suffragia plebis ».

3. *Supplicatio magistratuum*. Cicero cap. 1 pro Murena, docet magistratum, qui comitiis præerat, ad deorum invocationem quamdam composita pronuntiare solere, quibus salus populi romani illis commendaretur et peteretur felicitas. Sed quid hic significat

renuntiatio suffragiorum exspectetur; simul ut, qui sint professi, videro, dicam[4] : Hic familia consulari est, ille prætoria; reliquos video esse equestri[5] loco; sunt omnes sine macula, sunt æque boni viri atque integri; sed servari necesse est gradus[6] : cedat consulari generi prætorium, nec contendat cum prætorio equester locus[7]. Sublata sunt studia, exstinctæ suffragationes, nullæ contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus, nulla exspectatio suffragiorum; nihil, ut plerumque evenit, præter opinionem accidet; nulla erit posthac varietas comitiorum. Sin hoc persæpe accidit, ut et factos aliquos, et non factos esse miremur; si campus, atque illæ undæ comitiorum[8], ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi æstu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant : in tanto nos impetu studiorum et motu temeritatis, modum aliquem, et consilium, et rationem requiremus[9]?

supplicatio? pro Murena, ea non *supplicatio* est, sed *deprecatio*, non *magistratuum*, sed *magistratus*. Quod a Gronovio emendatur *suffragatio*, idem significat hic *supplicatio;* neque vero soli magistratus pro candidatis populo supplicabant, iisque suffragabantur; cujusvis erat id gratiosi hominis, pluribusque in ordinibus usitatum. Ceterum admodum vexatus est hic locus, et adhuc sub judice lis est.

4. *Videro, dicam.* Al. « video, quid dicam ». Garaton. habet *vide quid dicam.*

5. *Equestri loco.* Quod consuetudini latine loquentium magis respondet, quamvis *ex* subaudiatur semper. Alii, « ex equestri loco ». Sic Terent. Eun. II, 2, 10, « me ex eodem orto loco ».

6. *Necesse est gradus.* Alii habent *gradum.*

7. *Cum prætorio equester locus.* Erfurt. « cum prætorio nomine equester locus ». Cap. 7 : « est tuum nomen, utraque familia consulare ».

8. *Illæ undæ comitiorum.* Cicero eleganter ac varie orationem schematibus ornavit. Conferenda præcipue sunt quæ habet pro Mur. 7. Jam hunc locum de Demosthene pæne conversum putant Camer. ad cap. 24 pro Flacco, etc. et Lipsius, Var. Lect. I, 23. Populum ait ille π. παραπρεσβείας, Wolf. 383, Reisk. esse ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων. Pergit Demosthenes : Ὥσπερ ἐν θαλάττῃ κῦμα ἀκατάστατον ὡς ἂν τύχοι, κινούμενον ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθε· μέλει δ' οὐδενὶ τῶν κοινῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται.

9. *Requiremus.* Ex Erfurt. pro vulgato *requiramus.*

Quare noli me ad contentionem vestram[10] revocare, Laterensis. Etenim si populo grata est tabella[11], quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur: cur tu in judicio[12] exprimis, quod non fit in campo? Hic, quam ille, dignior: perquam grave est dictu. Quomodo igitur est æquius[13]? Sic credo; quod agitur[14]; quod satis est judici: hic factus est. Cur iste potius, quam ego[15]? Vel nescio, vel non dico, vel denique, quod mihi gravissimum esset sic dicere[16], sed impune tamen deberem dicere: non recte[17]. Nam quid assequerere[18], si illa extrema defensione uterer, populum, quod voluisset, fecisse, non quod debuisset?

VII. Quid? si populi quoque factum defendo, Laterensis, et doceo, Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus[1] hoc nostro equestri loco; possumne eripere orationi tuæ contentionem vestram[2], quæ tractari

10. *Ad contentionem vestram. Contentio* his locis pro comparatione usurpatur. Multa hujus significationis exempla collegit ex Tullio Menckneius in Observ. L. L. p. 187, in quibus est ille qui hos explicat, superior locus, cap. 2, « quædam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio ». In hac significatione *vestrum* præfert Manutius.

11. *Tabella.* Scilicet suffragii. — *Frontes aperit..... mentes tegit.* Quia licet unicuique sua frui libertate et læta fronte polliceri, quod præstare tamen in suffragio nolit; ideo autem licet quia tabella mentes tegit.

12. *In judicio exprimis.* Ut contentio de dignitate fuit. Erf. « Cur tu id in judicio, ut fiat, exprimis, quod non fit in campo ». *Ut fiat.* Glossema.

13. *Æquius.* Æquum.

14. *Quod agitur.* Non id agitur, factus, necne, sit, sed utrum ambitu, an recte atque ordine. In Dresd. non exstat *quod agitur.*

15. *Quam ego.* Scil. Laterensis. — *Vel nescio.* Scil. Cicero.

16. *Sic dicere.* Lambin. ex optimo codice, *si dicerem.*

17. *Non recte.* Id est, non recte judicavit populus, quum tibi Plancium prætulit.

18. *Nam quid assequerere.* Alii, *numquid.* Plurimi *assequerer.*

VII. 1. *Hominibus.* Grævius et alii ex Erfurtensi, *ortis.*

2. *Vestram.* Alii, *vestrum.*

sine contumelia non potest[3], et te ad causam aliquando crimenque deducere? Si, quod equitis romani filius est, inferior esse debuit, omnes tecum equitum romanorum filii petiverunt; nihil dico amplius[4]. Hoc tamen[5] miror, cur tu huic potissimum irascare, qui longissime a te abfuit[6]. Equidem, si quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, quum ego ad Fabium fornicem[7] impellor; sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit. Tu neque Q. Pedio, forti viro, succenses, neque huic A. Plotio[8], ornatissimo homini, familiari meo; et ab eo, qui hos dimovit, potius, quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas. Sed tamen hæc tibi est prima cum Plancio, generis vestri familiæque contentio, qua abs te vincitur. Cur enim non confitear, quod necesse[9] est? Sed non hic magis, quam ego a meis competitoribus, et alias, et in consulatus petitione vincebar. Sed vide, ne hæc ipsa, quæ despicis[10], huic suffragata sint. Sic enim conferamus. Est tuum nomen utraque[11] familia consulare. Num dubitas igitur, quin omnes, qui fa-

3. *Tractari sine contumelia non potest.* Quia injuriosa in alterutrum futura esset. — *Crimen.* Id est, accusationem.

4. *Nihil dico amplius.* Tacite significat eos dignitate inferiores fuisse Plancio, ausos tamen esse cum Laterensi in ædilitatis petitione contendere.

5. *Hoc tamen miror.* Alii, *hoc tantum miror.*

6. *Qui longissime a te abfuit.* Tot te, Laterensis, suffragiis superavit Plancius, ut nullus plane tibi locus sit illi succensendi; iis potius, si placet, diem dic, qui propiores tibi quam Plancius, id est, paucioribus quam ille, suffragiis a te distantes, impressione veluti facta te demoverunt, aut ab ædilitate excluserunt.

7. *Fabium fornicem.* Fabius, devictis Allobrogibus, fornicem illum in parte ima viæ Sacræ exstruxit. Alii, *Fabii Fornicem*; alii, *Fabianum.*

8. *A. Plotio.* Qui aderat, et ædilis cum Plancio designatus fuerat.

9. *Quod necesse.* Id est, verum. — *Hic.* Scil. Plancius.

10. *Hæc ipsa, quæ despicis.* Id est, genus et familiam Plancii.

11. *Utraque familia.* Paterna et materna.

vent nobilitati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te ædilem fecerint? Equidem non dubito. Sed, si parum multi sunt, qui nobilitatem ament, num ista est nostra culpa? Etenim ad caput et ad fontem utriusque generis[12] veniamus.

VIII. Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimæ familiæ sunt consulares (in quibus est etiam Juventia), quot e reliquis[1] municipiis omnibus non sunt. Hic est e præfectura Atinati[2], non tam prisca, non tam honorata, non tam suburbana. Quantum interesse vis ad rationem petendi? Primum utrum magis favere putas Atinates, an Tusculanos, suis[3]? Alteri (scire enim hoc propter vicinitatem[4] facile possum) quum hujus ornatissimi atque optimi viri, Cn. Saturnini, patrem ædilem, quum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in præfecturam illam, sellam curulem attulisset, mirandum in modum lætati sunt. Alteros[5] (credo, quia refertum est municipium consularibus, nam malivolos[6] non esse certo scio) numquam

12. *Utriusque generis.* Scilicet tui et Plancii.

VIII. 1. *Quot e reliquis municipiis omnibus non sunt.* Alii, *tot a reliquis municipiis.*

2. *E præfectura Atinati.* Erat urbs Italiæ, in quam mittebatur Romæ præfectus qui eam administraret, secundum leges Romanis præscriptas, et qui jus in illa diceret. Vide Sigon. de antiquo jure Italiæ, II, 10, et seq. Atina vero est urbs Volscorum in Latio, in monte ad Lirim posita; etiamnunc retinet antiquum nomen. Vide Cluver. Italiam antiquam, III, 8. In civitatem recepta fuerat, et ideo suffragandi jure potiebatur.

3. *Magis favere putas Atinates, an Tusculanos, suis?* Magis lætari honore suorum, et ideo majori studio illis favere in petitione sua. — *Alteri*, scil. Atinates.

4. *Propter vicinitatem.* Nempe Arpinum, ubi natus est Cicero, finitimum Atinæ.

5. *Alteros.* Scil. Tusculanos.

6. *Malivolos.* Sic e MSS et libris antiquis. — *Certo.* Alii, *certe;* sed Ern. e Cicerone vocem illam ubique exsulare jussit. Sed probe distinguen-

intellexi vehementius hominum[7] suorum honore lætari. Habemus hoc nos[8]; habent nostra municipia. Quid ego de me, de fratre[9] meo loquar? quorum honoribus agri, prope dicam, ipsi montesque[10] faverunt. Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo, in omni virtute principe, num de Tib. Coruncanio[11], municipe suo, num de tot Fulviis[12] gloriari? verbum nemo facit[13]. At, in quemcumque Arpinatem incideris[14], etiamsi nolis, erit tamen tibi, fortasse de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit[15] studia suorum ardentia : tu tanta, quanta in hominibus jam saturatis honoribus esse potuerunt. Deinde tui municipes, sunt illi quidem splendidissimi homines; sed tamen pauci, si quidem cum Atinatibus conferantur. Hujus præfectura, plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit : quam quidem nunc multitudinem videtis, judices, in squalore et luctu suppli-

dum esse utrumque plures jam docuerunt.

7. *Hominum.* Alii, *hospitum*, sed male; non enim hospites harum civitatum erant, qui Romæ magistratus creabantur, sed cives, sive municipes. Græv. Verb. et Lallem. ex Erfurtensi adoptarunt *municipum.*

8. *Habemus hoc nos.* Scilicet ut lætemur honore civium nostrorum.

9. *Quid ego de me, de fratre.* Græv. habet, «quid ego de me, quid de fratre», quod Garatonio placet.

10. *Agri . . . montesque faverunt.* Audax quidem figura. Sic pro Rabirio, cap. 3 : «Quum ad ejus propulsandum periculum, non modo homines, sed prope regiones ipsæ concurrerint».

11. *De Tib. Coruncanio.* Hic ex omnibus Romanis qui juris adepti scientiam sunt, profiteri primus cœpit. Pomponius de Origine juris.

12. *Fulviis gloriari.* Alii, *Fabiis*, sed male; hic enim Cicero de solo Tusculano municipio agit; Fabii autem non Tusculo orti sunt, sed ante ipsam urbem conditam Romuli et Remi comites fuerunt, et postea expulsis regibus inter primos patricios gloria, dignitate, consulatibus floruerunt. Vid. Steph. Pighium lib. IV Fast.

13. *Verbum nemo facit.* Quia refertum est municipium consularibus, et prope jam saturati honoribus Tusculani sunt; quod aliis municipiis non contigit.

14. *In quemcumque Arp. incideris.* Id est, obvium habueris.

15. *Hic habuit.* Scil. Plancius.

cem [16] vobis. Hi tot equites romani, tot tribuni ærarii (nam plebem a judicio dimisimus, quæ cuncta comitiis adfuit), qnid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt? Non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, sed dignitatem, sed oculorum conjectum, sed solidam, et robustam, et assiduam frequentiam præbuerunt. Jam municipia conjunctione etiam vicinitatis vehementer moventur.

IX. Omnia, quæ dico de Plancio, dico expertus in nobis : sumus enim finitimi Atinatibus. Laudanda est, vel etiam amanda vicinitas, retinens veterem illum officii morem, non infuscata malivolentia, non assueta mendaciis, non fucata [1], non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano, vel etiam urbano. Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus [2], nemo Casinas [3], nemo Aquinas [4]. Totus ille tractus celeberrimus, Venafranus [5] Allifanus [6], tota denique nostra illa aspera, et montuosa, et fidelis, et simplex, et fautrix suorum regio, se hujus [7] honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur [8]. Iisdemque nunc a municipiis [9] adsunt equites romani publice, cum legationis testimonio [10]; nec minore nunc sunt

16. *In squalore et luctu supplicem.* Sic vestiti jndicio aderant more Romanorum, et reus et ejus fautores.

IX. 1. *Non fucata.* Erfurt. *non fucosa.* Cicero ad Atticum, I, 16, « ambitiosæ fucosæque amicitiæ ». Et pro Rabir. post. cap. 14 : « fallaces et fucosæ merces ».

2. *Soranus.* Sora colonia Rom. ad Lirim fluvium, in Volscis.

3. *Casinas.* Casinum Volscorum oppidnm in via Latina, colonia Romanorum, et postea municipium. Incolæ Casinates.

4. *Aquinas.* Aquinum urba Latii novi. Ibi consilia inita ab Antonio ejusque sociis de Cicerone opprimendo, ad Div. IX, 24.

5. *Venafranus.* Venafrum Campaniæ urbs ad dextram Vulturni ripam, nunc *Venafro.*

6. *Allifanus.* Allifæ Samnitium oppidum, supra lævam Vulturni ripam.

7. *Se hujus*, sc. Plancii.

8. *Arbitrabatur.* Cod. Dresd. et Barb. *arbitrabantur.*

9. *A municipiis.* Vetustiores edd. *ex municipiis.*

10. *Cum legationis testimonio.* Garatonius ex Dresdensi codice, *cum le-*

sollicitudine, quam tum erant studio. Etenim est gravius, spoliari fortunis, quam non augeri dignitate.

Ergo ut alia in te erant illustriora, Laterensis, quæ tibi majores tui reliquerant : sic te Plancius hoc non solum municipii, verum etiam vicinitatis genere vincebat. Nisi forte te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas[11] adjuvabat : quibus e municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant[12], inveniuntur[13]. Adjungam, si vis, id, quod tu etiam huic obesse putas, patrem publicanum : qui ordo quanto adjumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ publicanorum ordine continetur. Quis est igitur, qui neget, ordinis ejus studium fuisse in honore Plancii singulare? neque injuria : vel quod erat pater is, qui est princeps jam diu publicanorum; vel quod is[14] ab sociis unice diligebatur; vel quod diligentissime rogabat[15]; vel quia pro filio supplicabat; vel quia hujus[16] in illum ordinem summa officia quæsturæ

gatione et testimonio. Pro Cœl. 2 : « iidemque nunc lectissimos viros et nostri ordinis et equites roman. cum legatione ad hoc judicium, et cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt ».

11. *Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas. Lavicum*, oppidum Latii Romæ vicinum. *Bovillæ*, oppidum non procul a lacu Albano ad viam Appiam, ad quod Clodius a Milone interfectus est, quam cædem Cicero pugnam Bovillanam vocat. *Gabii*, oppidum Latii fere medio inter Romam et Præneste loco.

12. *Qui carnem Latinis petant.* Ex Livio, et aliis notum est, sacrificio facto in monte Albano feriis latinis, carnem cæsarum hostiarum municipibus, qui affuissent, distribui solitam.

13. *Inveniuntur.* Al. *reperiuntur.* Ambros. *adjungamus.*

14. *Vel quod is.* Scilicet pater. — *A sociis unice diligebatur.* Non hic de populi romani sociis agitur, sed de societate publicanorum. Ii enim *socii* dicebantur, qui alicujus provinciæ vectigalia communi nomine redimerent a censoribus, et a provincialibus exigerent.

15. *Vel quod diligentissime rogabat.* Id est, quod non indormiebat in petitione filii sui, quod favorem et benivolentiam illi conciliare omni ope laborabat.

16. *Vel quia hujus in illum ordinem.* Scilic. filii. Alii dant *vel quia hujus ipsius.*

tribunatusque[17] constabant; vel quod illi[18] in hoc ornando ordinem se ornare, et consulere liberis suis arbitrabantur.

X. Aliquid præterea (timide dico[1], sed tamen dicendum est), non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii[2], sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. Appellavi populum, tribubus submisi me, et supplicavi; ultro mehercules[3] se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi. Valuit causa rogandi[4], non gratia. Nec, si vir amplissimus[5], cui nihil est, quod roganti concedi non jure possit, de[6] aliquo, ut dicis, non impetravit[7], ego sum[8] arrogans, quod

17. *Quæsturæ tribunatusque.* Cn. Plancius tribunus militum fuerat in Macedonia, C. Antonio eam obtinente. Ad Sen. post Reditum, 14. Fuerat et quæstor ejusdem provinciæ, ubi Ciceronem tuitus est exsulem.

18. *Vel quod illi.* Scilicet publicani. *In hoc.* Cn. Plancio.

X. 1. *Timide dico.* Scholiastes, *timide dicam.*

2. *Sed commemoratione beneficii.* Quod in Ciceronem exsulem contulerat Plancius.

3. *Mehercules.* Rectius sane *mehercule* ex multis cod. quum Cicero ipse in Orat. cap. 47, professus est se *mehercule* libentius dicere propter consuetudinem, quæ suavitatis causa peccabat.

4. *Valuit causa rogandi.* Scilicet, in me Plancii collata beneficia, et meus gratus animus.

5. *Vir amplissimus.* Scilicet Pompeius.

6. *De aliquo.* Scholiastes an. 1814 ed. docet hoc in loco T. Ampium significari; fuit enim Cn. Pompeio conjunctissimus; Velleius, II, 40, Ampium in tribunatu legem de Pompeio tulisse scribit, « ut is ludis circensibus corona laurea, et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta, coronaque laurea ». Ampius Pompeianæ parti tam studiose, tam constanter adhæsit, ut ab inimicis *tuba belli civilis* appellaretur. Exsulavit victus quum Pompeianus; et reditum Cæsaris benignitate impetravit. Cicero, XIII, epist. 70, ait, « cum T. Ampio mihi summa familiaritas, necessitudoque est». Ex eodem VI, ep. 12. Ampium litteris deditum fuisse cognoscimus: « quum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non simillimum præbeas ».

7. *Non impetravit.* Pompeius tanta celebritate conspicuus, ut clientes sui ad honores eveherentur, quasi debitum petere videbatur; Cicero contra populo peritus blandiendi, precibus nobilique obsequio Plancio impetravit ædilitatem.

8. *Ego sum arrogans, quod.* Non

me valuisse dico. Nam, ut omittam illud, quod ego pro eo[9] laborabam, qui valebat ipse per sese: rogatio ipsa semper est gratiosissima, quæ est officio necessitudinis conjuncta maxime. Neque enim[10] ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia hujus parente semper plurimum essem usus; sed ut quasi parenti, et custodi[11] meo. Non potentia mea, sed causa rogationis fuit gratiosa. Nemo mea restitutione lætatus est, nemo injuria doluit, cui non hujus[12] in me misericordia grata fuerit. Etenim, si ante reditum meum Cn. Plancio se vulgo viri boni, quum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen meum absentis[13] honori fuisset, ei meas præsentis preces non putas profuisse? An Minturnenses coloni, quod C. Marium ex civili errore[14], atque ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto

ego superbio. Victor. et nonnulli post eum edid. *qui* loco *quod*.

9. *Quod ego p. eo lab.* Pro Plancio.

10. *Neque enim.* Particula *enim* venuste accedit ex Turing. exemplari.

11. *Custodi meo.* Erfurt. « custodi salutis meæ ». Ernest. glossemate corruptum putat. Non modo apud Tacit. Annal. III, 14, « Custos salutis » occurrit, sed Cicero etiam in peroratione, cap. 42: « Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, judices, sed custodem salutis meæ ».

12. *Hujus.* Plancii.

13. *Cui nomen meum absentis.* Grævius ex Erfurt. cod. verbum *absentis* addidit. Hoc loquendi genus illustravit post alios Zinzerlingius, Promulsid. Crit. c. 35, quem citat Gruterus. Est etiam in Bavar. atque in uno Britann. si quidem recte sit adnotatum. Genitivum post adject. possess. sæpius reperias: Brutus ad Cic. ep. 7: « qui vestris paucorum respondeat laudibus ». Bithynicus ad Div. VI, 16: « Contentus ero nostra ipsorum amicitia ». Martialis, VII, 51: « Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos ». Liv. XXXVI, 7: « Vim tuam præsentis, exercitusque tui experiri ». Catull. « Mea pallentis membra; meas miseræ flammas ». Horat. Sat. I, 4, 23: « mea scripta recitare timentis ».

14. *Ex civili errore, atque ex impiis.* Loco *errore*, cod. Ambr. apud Ang. Maium, p. 152, habet *ferro*. Similiter edit. Orellii Turicensis. Ut locus editur, secundo potius, quam priore loco *ex* non necessarium putat Garatonius. Existimat etiam « eripere ex civili errore », Tullianum non esse, neque verum de Mario, quia erravit etiam postea, et in fuga fuit. Cicero qui Mario populari suo favet, non eum, sed ejus adversarios in errore versatos censet.

receperunt, quod fessum inedia fluctibusque recrearunt[15], quod viaticum congesserunt, quod navigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam servaverat, votis, ominibus, lacrymis[16] prosequuti sunt, æterna in laude versantur: Plancio, quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem[17] receperit, juverit, custodierit, his[18], et senatui, populoque romano, ut haberent, quem reducerent[19], conservarit, honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse miraris?

XI. Vitia mehercule Cn. Plancii, res hæ[1], de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu, in ea vita, de qua jam dicam, tot et tanta adjumenta huic honori fuisse mirere. Hic est enim, qui adolescentulus cum A. Torquato[2] profectus in Africam, sic ab illo gravissimo, et sanctissimo, atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, ut et contubernii necessitudo, et adolescentuli modestissimi pudor postulabat. Qui si adesset[3], non minus ille declararet, quam hic illius frater patruelis, et socer T. Torquatus, illi omni virtute et laude par: qui est quidem cum illo maximis vinculis et propinquitatis, et affinitatis conjunctus;

15. *Fluctibusque recrearunt.* In Francii primo legitur: « quod inedia, fluctibusque confectum recrearunt ». Schütz. ac Wolf. sine causa prætulerunt: « fessum inedia fluctibusque confectum ». Quum Marius in coloniam Minturnensium venit, Italiæ oram legerat.

16. *Votis, ominibus, lacrymis.* Al. « lacrymis votisque omnibus ». Orellii Turicensis edit. « lacrymis, votis ominibusque ».

17. *Ratione cedentem.* Utilitatis publicæ causa, ne periculosa multis seditio moveretur.

18. *His.* Scil. amicis præsentibus. Garat. habet *is*.

19. *Quem reducerent.* Sic in Erfurt. et in Regio. Id vel sine libris restituendum recte decernit Ernestus. Vulgati libri: « quod reducerent ».

XI. 1. *Res hæ.* Melius ex Bavar. *Res eæ*.

2. *A. Torquato.* Qui prætor fuit Africæ. Frater ejus patruelis T. Torquatus Rhodii peritus disciplinæ Molonis, plus facultatis ad dicendum habuit quam voluntatis.

3. *Qui si adesset.* Vulg. « quod si adesset ».

sed ita magni amoris[4], ut illæ necessitudinis causæ leves esse videantur. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini[5], propinqui sui, miles hujus Q. Metelli[6] : quibus quum fuerit probatissimus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare. In ea provincia legatus fuit C. Sacerdos[7] : qua virtute, qua constantia vir? L. Flaccus[8] : qui homo? qui civis? qualem hunc putent, assiduitate testimonioque declarant. In Macedonia tribunus militum fuit[9]; in eadem provincia postea quæstor. Primum Macedonia sic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum suarum : qui quum missi sint ob aliam causam, tamen hujus repentino periculo commoti, huic assident, pro hoc laborant; huic si præsto fuerint, gratius se civitatibus suis facturos putant, quam si legationem et mandata sua confecerint[10]. L. vero Apuleius[11] hunc tanti facit, ut morem illum majorum, qui præscribit, in parentum loco quæstoribus suis prætores esse oportere, officiis benivolentiaque superarit. Tribunus plebis fuit, non fortasse tam vehemens[12], quam isti,

4. *Sed ita magni amoris*. Pantagathus, F. Ursinus, Schützius, Wolfius, etc. melius, *magnis*, putant. Subaud. vinculis.

5. *Saturnini*. Qui videtur quæstor fuisse Metelli. Parvi fuisset momenti indicium propinqui Saturnini, si Metelli præsidio non fuisset munitum.

6. *Hujus Q. Metelli*. Qui aderat advocatus vel judex. Creta devicta, Cretici cognomen adeptus est.

7. *C. Sacerdos*. Liciniæ gentis in Creta legatus Q. Metelli.

8. *L. Flaccus*. Quem Cicero defenderat, de quo ait, c. 3, in oratione pro ipso habita : « Bellum Cretense ex magna parte gessit, atque una cum summo imperatore sustinuit ». Judicio repetundarum absolutus, in Macedoniam legatus L. Pisonis proconsulis est profectus, et nunc ea legatione perfunctus, Romæ commorabatur.

9. *Tribunus militum fuit*. Idem Plancius.

10. *Mandata sua confecerint*. Bavaricus habet : « quam si legationem suam et mandata confecerint ». Quam lectionem receperunt Schütz. Or. etc.

11. *L. vero Apuleius*. Cujus in Macedonia quæstor Plancius fuit.

12. *Non fortasse tam vehemens*. Non fuit, inquit, Cn. Plancius tribunus plebis tam vehemens, quam Racilius illius collega, et alii qui proinde

quos tu jure laudas[13]; sed certe talis, quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus.

XII. Omitto illa, quæ si minus in scena sunt[1], at certe, quum sunt prolata, laudantur : ut vivat cum suis[2]; primum cum parente (nam meo judicio pietas fundamentum est omnium virtutum), quem veretur ut deum (neque enim est multo secus[3] parens liberis), amat vero ut sodalem, ut fratrem, ut æqualem. Quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc Cn. Saturnino, ornatissimo viro? cujus quantam honoris hujus[4] cupiditatem fuisse creditis, quum videatis[5] luctus societatem? Quid de me dicam? qui mihi in hujus periculo reus esse videor? quid de his tot viris talibus, quos videtis veste mutata?

jure laudantur. Laudabatur M. Cato, qui quum intellexisset Metellum Nepotem petere tribunatum, propere in Urbem rediit, et postridie eumdem petivit magistratum, ut Metelli conatus frangeret. Laudabatur L. Ninnius, qui Clodii conatibus pro virili restiterat; Milo et Sextius, qui perturbantes omnia Clodianos tribunos in officio continuerant. Si Nepos, Clodius, aliique ejusmodi moderate se gessissent in administranda republica, ut se gesserat Plancius, numquam collega desideratus fuisset aliquis, qui se illorum furori vehementer objiceret.

13. *Quos tu jure laudas.* Quidam apud Lambinum male volebant « quos tu dilaudas ». Quia eo verbo utitur Cicero quum alibi, tum in epistola quadam ad Atticum, lib. IV : « et ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas ». Sed non erat hic locus. Gulielmus, *mire laudas.* Huldricus, Weiskius, etc. *jure* defendunt, non immerito.

XII. 1. *Si minus in scena sunt.* Sic habet codex Memm. Erfurt. cum quibus ceteri veteres consentiunt, ubi vulgati habent, « necessaria sunt » : plane mendose : « in scena sunt », id est, aperta, nota, in promptu et in conspectu sunt. Ovid. de Tristib. I, el. 9 : « Scena manet dotes grandia, amice, tuas ».

2. *Ut vivat cum suis.* Certissima hæc est nota ingenii boni et humani. Inde monet Plutarchus de amicitia, cum illo non contrahendam esse amicitiam, qui male vivat cum suis.

3. *Neque enim est multo secus.* Sic ex Erfurt. Græv. et Ernest. Bavar. « multo secus est ». Perperam omiserunt recentiores.

4. *Hujus.* Plancii.

5. *Quum videatis.* Cod. Bavar. Grat. Or. *videtis.* Sic infra, cap. 32 : « atqui hæc quum vides, quo me tandem in te animo putas esse? »

Atqui hæc sunt indicia solida, judices[6], et expressa; hæc signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis; adspicitur, non attrectatur; procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur.

Omnibus igitur rebus ornatum hominem, tam externis, quam domesticis[7], nonnullis rebus[8] inferiorem, quam te, generis et nominis, dico[9]; superiorem aliis, municipum, vicinorum, societatum studio, temporum meorum memoria; parem virtute, integritate, modestia, ædilem factum esse miraris?

Hunc tu vitæ splendorem maculis adspergis istis? Jacis adulteria, quæ nemo non modo nomine[10], sed ne suspicione quidem possit agnoscere. Bimaritum appellas[11], ut verba etiam[12] fingas, non solum crimina. Ductum esse ab eo in provinciam aliquem dicis, libidinis causa: quod non crimen est[13], sed impunitum in maledicto[14] mendacium. Raptam esse mimulam. Quod dicitur Atinæ factum a juvene, vetere quodam in scenicos jure[15], maximeque oppidano. O ado-

6. *Indicia solida, judices, et expressa.* Ursin. cod. « indicia solida, jodices, hæe expressa signa ».

7. *Tam externis, quam domestieis.* Al. « qua externis, qua domesticis »; sed in nullo vetere codice legitur. Al. « qoem ext. quem dom. « male.

8. *Nonnullis reb. inferiorem.* Quom « omnibus rebos « antecesserit, *rebus* hoc in loco nou repetendum existimat Garatonius. Si aeeurate loqoendom, *una re*, melius videtur, nam « genus et oomen » una res.

9. *Generis et nominis, dieo.* Loco *dico*, Wolfius legit, « generis et nominis decore ». Ex voce *decore* oriri potuit *dico*. Cod. Bavarieus: « generis, dico, et nomiois decore ».

10. *Nomine.* Ad sequens *Bimaritum* refertur.

11. *Bimaritum appellas. Bimaritus*, latino sermoue iousitatus creditur; oulla alia vueis hujus exempla.

12. *Ut verba etiam.* Male *etiam* aliquot abjeeeruut.

13. Lamb. legi volt *e codice* neseio quo, « quod oon erimeo est io reo ». J. V. L.

14. *Maledicto.* Lamb. habet *maledico*. J. V. L.

15. *Vetere quodom... jure.* Id est, faeultate, lieentia, ut id impuoe fieri

lescentiam traductam eleganter! cui quidem quum, quod licuerit, objiciatur, tamen id ipsum falsum reperiatur. Emissus aliquis e carcere[16]; et quidem emissus, ut cognostis, necessarii hominis optimique adolescentis rogatu : idem postea[17] præmandatis requisitus. Atque hæc, nec ulla alia, sunt conjecta [maledicta[18]] in ejus vitam, de cujus vos pudore, religione, integritate dubitetis[19].

XIII. Pater vero, inquit, etiam obesse filio debet. O vocem duram atque indignam tua probitate, Laterensis! Pater ut in judicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarum, pater ut apud tales viros obesse filio debeat? Qui si esset turpissimus, si sordidissimus[1], tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes judices et misericordes; valeret, inquam, communi sensu omnium, et dulcissima commendatione naturæ. Sed quum sit Cn. Plancius is eques romanus, ea primum vetustate equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes equites romani fuerint, summum in præfectura[2] florentissima gradum tenuerint et dignitatis, et gratiæ; deinde, ut ipse[3] in legionibus P. Crassi[4], imperatoris, inter ornatissimos homines, equites romanos, summo splendore fuerit; ut postea princeps inter suos, plurimarum rerum

liceret. Seneca, ep. 18 : « Jus luxuriæ publicæ datum est ».

16. Græv. e cod. Erfurt. « et quidem emissus per imprudentiam, emissus, ut cognostis, etc. » J. V. L.

17. Lambin. Græv. ex emendatione Turnebi, « prætoris mandata. Garaton. conj. « præmiis datis ». J. V. L.

18. *Sunt conjecta, maledicta.* Abest *maledicta*.

19. *Dubitetis.* Id est, dubitare debeatis.

XIII. 1. *Si sordidisssimus.* Abest *si* in multis editt.

2. *In præfectura florentissima.* Scil. Atinati.

3. *Ut ipse.* Plancii pater.

4. *P. Crassi.* Hic pater M. Crassi, qui cum Cæsare et Pompeio coitionem fecit. P. Crassus L. Cæsaris in bello sociali fuit legatus, de Hispania triumphavit, et dominante L. Cinna, ne in manus inimicorum incideret, se ipse interfecit.

sanctissimus et justissimus judex[5], maximarum societatum auctor[6], plurimarum magister[7]; si non modo in eo nihil umquam reprehensum, sed laudata sunt omnia : tamen is oberit honestissimo filio pater, qui vel minus honestum et alienum tueri vel auctoritate sua, vel gratia possit? Asperius, inquit[8], loquutus est aliquid aliquando. Immo fortasse liberius. At id ipsum, inquit, non est ferendum. Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur, libertatem equitis romani se ferre non posse? Ubinam ille mos? ubi illa æquitas juris? ubi illa antiqua libertas, quæ malis oppressa civilibus, extollere jam caput, et aliquando recreata, se erigere debebat? Equitum ego romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum[9] in Q. Scævolam, virum omnibus ingenio, justitia, integritate præstantem, aspere, et ferociter, et libere dicta commemorem?

5. *Judex*. Id est, causas multas inter vectigales et publicanos diremit.

6. *Maximarum societatum auctor*. Instituerat maximas societates publicanorum qui vectigalia publica redimerent, et a provincialibus exigerent. Nempe ut integram vectigalium summam singulis annis in antecessum reipublicæ repræsentabant, equites romani societatem coibant eo majorem, quo provincia, cujus redemerant vectigalia, latius patebat.

7. *Plurimarum magister*. Id est, rector, ut hodie aiunt.

8. *Asperius, inquit, loquutus est*. Quum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta, postulatum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia, et remissionis tantum fieret de summa pecunia, quantum æquitas postularet, prout damnis fuerant hostili incursione, præsertim bello Mithridatico vexati. Adfuit igitur Cæsar causæ publicanorum. Cæsaris desideriis contradixit pro indole sua M. Cato, et diem totum prolixitate orationis suæ occupavit, ut senatus decernendi spatium non haberet. Id tempus Laterensis denotaverat invidiosum Plancio esse debuisse, quominus fieret ædilis, quoniam pater ejus quædam liberius adversus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset.

9. *Publicanorum in Q. Scævolam*. Asiam rexerat et ab injuriis publicanorum provinciales defenderat; quam ob causam postea virum innocentissimum, qui Scævolæ quæstor fuerat, P. Rutilium equites romani, quum lege Sempronia judicarent, condemnarunt. Ep. ad Lentulum : « Scis quam inimici illi ipsi Q. Scævolæ fuerint ».

XIV. Consuli P. Nasicæ[1] præco Granius[2] medio in foro, quum ille, edicto justitio[3], domum[4] decedens rogasset Granium, quid tristis esset : an quod rejectæ auctiones essent[5]? Immo vero, inquit, quod legiones. Idem tribuno plebis, potentissimo homini, M.[6] Druso, sed multa in rempublicam molienti, quum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, Quid agis, Grani? respondit, Immo vero, tu Druse, quid agis[7]? Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit impune. Nunc usque eo oppressa vestra arrogantia civitas est, ut, quæ fuit olim præconi in ridendo, nunc equiti romano in plorando, non sit concessa libertas. Quæ enim umquam fuit Plancio[8] vox contumeliæ potius, quam doloris? quid

XIV. 1. *P. Nasicæ*. P. Scipio Nasica, P. Crassi ex Licinia filius, a Favonio de ambitu accusatus, ei ereptus est, adsumptus a Pompeio collega in consulatu tertio. Dio Cass. XL. P. Nasica omnes sale facetiisque superabat. Cic. in Bruto, cap. 34.

2. *Præco Granius*. Hominum summorum, Crassi, Catuli aliorumque propter dicacitatem familiaris, qui nemini pepercit, sed magnatum vitia libere perstrinxit et impune. Vid. Brut. 43, 48. Itaque ejus nomen pro exemplo usurpatur hominis faceti et dicacis.

3. *Edicto justitio*. Justitium est jurisdictionis intermissio, quæ fit edicto consulum; tum nulla judicia publica exercentur.

4. *Domum decedens*. Al. *discedens*. Vulgata, *descendens*, sed male. Nempe certæ sunt formulæ, suis propriis rationibus subnixæ, scil. « descendere in aciem », quod castra in altis locis ponebant, « descendere in forum », quod erat in ima valle Romæ positum; sed consulem *descendere* quum domum abiret, numquam dictum fuit.

5. *An quod rejectæ auctiones essent?* Jocus in Granium, qui quum præco esset, auctionibus rejectis, nullum inde posset lucrum facere. Quodnam fuit Granii responsum? Dicterium sane, quum Cicero illud proferri dignum judicet. Alii habent : *quod leges;* al. *quod legiones;* al. *quod legationes.* Vide Orellium Turicensem, Lipsiæ 1825.

6. *M. Druso*. Qui belli socialis initio domi suæ tribunus plebis a nescio quo est interfectus, ann. 663.

7. *Tu Druse, quid agis?* Jocus acerbus in formula est, *quid agis.* Voce ad misericordiam inflexa protulit Granius, Drusum increpanti similis, qui rempublicam miscebat.

8. *Plancio vox*. Scil. patri. Dixerat enim Laterensis, questum esse de senatoribus Plancium patrem, et eas querelas apud senatores judices obesse filio debere. Al. *Plancii vox*.

est autem umquam questus, nisi quum a sociis [9] et a se injuriam propulsaret? Quum senatus impediretur, quo minus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus romanis redderetur, omnibus illa injuria dolori publicanis fuit; sed eum ipsum dolorem hic tulit [10] paullo apertius. Communis ille sensus in aliis [11] fortasse latuit : hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis, quam ceteri, et vultu promptum habuit, et lingua.

Quamquam, judices (agnosco enim ex me), permulta in Plancium, quæ ab eo numquam dicta sunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid [12] aliquando, non studio adductus, sed contentione dicendi, aut lacessitus; et quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum : quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem, si quid est, quod mihi scitum esse videatur, et homine ingenuo dignum atque docto, non aspernor; stomachor vero, quum aliorum non me digna in me conferuntur.

Nam quod primus scivit [13] legem de publicanis,

9. *A sociis*. Id est, a societate publicanorum, qui Asiæ vectigalia conduxerant. Omnes publicani erant ex ordine equestri, sed equites omnes non erant publicani. — *Et a se*, qui erat in ea societate. — *Injuriam propulsaret*. Quod petentibus publicanis, ut induceretur locatio, quia nimium magno conduxissent, nullum a senatu responsum daretur. Hac de re sic ad Atticum, ep. 15, lib. I, scripsit Cicero: « Asiani (publicani) qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse; ut induceretur locatio postulaverunt ». Et epistol. 16 : « Cato miseros publicanos tertium jam mensem vexat, neque is a senatu responsum dari patitur ».

10. *Hic tulit*. Plancius pater.

11. *Communis ille sensus in aliis*. Id est, ille sensus doloris. In aliis, *equitibus*, aut *publicanis*.

12. *Dico aliquid*. Scilic. dicterium. — *Non studio*. Id est, non delectatione aliqua.

13. *Primus scivit*. Plancii pater. *Sciscere* est probare : unde plebiscitum. — *Legem de publicanis*. Quam tulit C. Cæsar consul, ut publicani tertia pecuniæ debitæ parte relevarentur; quo facto equestrem sibi ordi-

tum, quum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset: si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? Si, quia primus scivit, utrum id sortis esse vis, an ejus, qui illam legem ferebat? si sortis, nullum crimen est in casu: si consulis, splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis esse[14] judicatum.

XV. Sed aliquando veniamus ad causam[1]: in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitiis[2], omnes ambitus leges complexus es[3]. Neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi edititios judices[4], es sequutus: quod genus judiciorum si est æquum nulla in re, nisi hac tribuaria, non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eamdem editionem transtulerit in ceteras causas; de ipso denique ambitu, rejectionem fieri voluerit

nem adjunxit, quum et populum antea teneret; ita facilem adscensum ad eam quam semper cogitavit, singularem potestatem parabat.

14. Abest *esse* in multis libb.

XV. 1. *Veniamus ad causam.* Hactenus respondit maledictis, quæ sunt extra causam.

2. *Nomine legis Liciniæ... de sodalitiis.* Laterensis Plancium accusaverat de sodalitiis lege Licinia, quæ non ad universum ambitum, sed proprie ad sodalitia, quod in ambitu gravissimum crimen erat, item ut in majestate perduellio, pertinebat. Nihil autem Laterensis, quum ea lege Plancium in judicium vocavit, præter hoc spectavit, ut ederet reo judices quos vellet, ex quibus vellet tribubus; quod Ciceronis verba illa declarant: « neque enim quidquam in hac lege, nisi edititios judices, sequutus est». Acerbum porro judicii genus hoc erat, quippe quum accusator vel suos, vel suorum necessarios, vel ejus etiam, qui accusabatur, inimicos edere posset judices.

3. *Omnes ambitus leges complexus es.* Scil. videris accusare Plancium voluisse Licinia lege; nec tamen, quo de crimine lata lex est, illud attingis; nihil, inquam, in Plancium de sodalitiis affers; sed confers te ad eas leges, quæ de ambitu sunt, quum alia, sodalitiis omissis, ambitus crimina Plancio conaris intendere. Infra: « hæsitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine ad communem ambitus causam contulisti ».

4. *Neque enim quidquam ... nisi edititios judices.* Quum non haberes crimen, quod Plancio Licinia lege

judicum alternorum; quumque nullum genus acerbitatis prætermitteret, hoc tamen unum prætereundum putarit. Quid? hujus rei obscura causa est? an et agitata, quum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosius a Q. Hortensio? cui tum est senatus assensus. Hoc igitur sensimus: cujuscumque tribus largitor esset, per hanc consensionem[5], quæ honeste magis quam vere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui ejus tribus essent, esse notum. Ita putavit senatus, quum reo tribus ederentur eæ, quas is largitione devinctas haberet, eosdem fore testes, et judices. Acerbum omnino genus judicii; sed tamen, si vel sua, vel ea, quæ maxime esset cuique conjuncta, tribus ederetur, vix recusandum.

XVI. Tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo[1]. Fuit id æquum, et certe exspectatum est, et fuit dignum constantia tua. Cujus tu tribus venditorem[2], et corruptorem, et sequestrem

objiceres, accusasti tamen ex lege, ut edendorum judicum facultate uti posses: nihil præterea sequutus es; unum hoc spectasti. Scholiastes adnotat, quum nominatim de ambitu quæreretur: « judices ex rejectione haberi consuevisse, æqualem scilicet numerum rejicientibus tam accusatore quam reo »; quod a Tullio dicitur « rejectionem fieri judicum alternorum »; « deinde, senatum secundum legem Liciniam quatuor edi tribus ab accusatore voluisse, ex quibus unam liceret reo repudiare, ut de tribus reliquis judicum haberet editionem. Lex de senatus auctoritate ad populum lata ita sanxerat ». *Edititios judices*. Id est, quos in hac una de sodalitiis causa delectos ex omni populo accusator edebat reo.

5. *Per hanc consensionem*. Dubia hoc in loco multa. Hic *consensio* est coitio civium epulis et largitionibus contractorum ambitus causa, quæ minus vere sodalitas dicebatur; nam erant sodalitates honestæ, de quibus Cicero de Amicitia. Sed proprie sodalitium vocabatur, quod honestum non est vocabulum.

XVI. 1. *Terentinam, credo*. Tribus erat Plancii, ad ripam Tiberis; nempe Atinates in ea censebantur.

2. *Cujus tu tribus venditorem*. Lambinus legendum putat *emptorem;* nam qui corrumpit, emit, non vendit; nisi quis dicat, Plancium hanc tribum

Plancium fuisse clamitas, eam tribum profecto, severissimorum præsertim hominum et gravissimorum, edere debuisti. At Voltiniam : libet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari : hanc igitur ipsam cur non edidisti? Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Veientina[3]? quid cum Crustumina? nam Metiam[4], non quæ judicaret, sed quæ rejiceretur[5], esse voluisti. Dubitatis igitur, judices, quin vos M. Laterensis suo judicio, non ad sententiam legis, sed ad suam spem aliquam de civitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, quum ille non ediderit, judicarit officiis ab hoc observatas, non largitione corruptas[6]? Quid enim potest dicere, cur ista editio[7] non summam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo sequuti sumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles existimes? tu, me ignaro, nec opinante, inscio[8], notes et tuos, et tuorum necessarios, vel[9] iniquos meos, vel etiam defensorum meorum? eodemque adjungas, quos natura putes asperos, atque omnibus iniquos? deinde effundas repente, ut ante consessum

suis competitoribus, pretio accepto concessisse.

3. *Veientina.* Hic varietas corrupta et ambigua MSS. Erfurtensis codicis auctoritas multis præferenda videtur; habet *Ufentinam.* Sed *Veientina* et *Ufentina* erant duæ tribus; utra verior hic, decerni certo non potest.

4. *Metiam.* Alii, *Mæciam.*

5. *Quæ rejiceretur.* Confirmat hic locus senatum, secundum legem Liciniam, quatuor edi tribus ab accusatore voluisse, ex quibus unam liceret reo repudiare, etc.

6. *Non largitione corruptas.* Vocem *corruptas*, quam ex Erfurt. addidit Grævius, habet etiam Bavaricus. Ea nullo alio in codice reperta est.

7. *Cur ista editio non summam*, etc. Ex lege Licinia.

8. *Inscio.* Inscius ab ignaro non differt; ideo alii conjiciunt *in secreto*, al. *invito*, al. *in sinu*, cui respondet « effundas repente ». Sic Verr. I, 10 dicitur « calumniatores e sinu suo apponere ».

9. *Vel iniquos.* Alii habent *vel inimicos.*

eorum[10] judicum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari? apud eosque me, ne quinque quidem rejectis, quod in proximo reo[11] de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere? Non enim, si aut Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem, aut tu ita errasti, ut eos ederes imprudens, ut nos, invito te, tamen ad judices, non ad carnifices[12] veniremus: idcirco ista editio[13] per se non acerba est.

XVII. An vero nuper clarissimi cives nomen editi judicis[1] non tulerunt, quum ex cxxv judicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus rejiceret, L referret[2], omniaque potius permiscuerunt[3], quam ei legi conditionique parerent: nos neque ex delectis judicibus, sed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, sed ab accusatore constitutos judices ita feremus, ut neminem rejiciamus?

Neque ego nunc legis iniquitatem queror, sed factum tuum a sententia legis doceo discrepare: et

10. *Ante consessum eorum.* Garat. *meorum* ex Bavarico restituendum censet.

11. *In proximo reo.* Ciceroni de sodalitiis causam dicenti judices consesserant, ut ex iis, qui editi erant judices, quinque rejiceret; quod Plancio concessum non est.

12. *Ad judices, non ad carnifices.* Conciliat Plancio judices, quum eos laudat a justitia, et ait editos esse a Laterense imprudente, quos non edidisset, si tales fore putasset; ejus enim consilium fuit edere inexorabiles, inhumanos, crudeles.

13. *Idcirco ista editio.* Cod. Britann. habet *conditio.* — *Per se non acerba est.* Quia neminem possumus rejicere.

XVII. 1. *Editi judicis.* Male nempe hic mentio est de edititio judice ab accusatore edito, non, ut mos erat, a prætore sorte ducto. Erf. et Bavar. *edititii*, quod probavit Grævius. Cicero pro Mur. c. 23 dixit: « edititios judices esse voluisti, ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optimi cujusque erumperent ».

2. *Referret.* Id est, retineret, sive acciperet. Sic explicari potest istud verbum, *referri* juberet in album judicum qui ei causæ erant adsignati. Multa sane hic dubia. Grævius mallt *ferret*, id est, ederet quos judices esse vellet.

3. *Permiscuerunt.* Ernestus auspicatur *permiserunt.*

illud acerbum judicium, si, quemadmodum senatus censuit, populusque jussit, ita fecisses, ut in hunc et suam, et ab hoc[4] observatas tribus ederes; non modo non quererer, sed hunc, judicibus editis, qui testes iidem esse possent, absolutum putarem: neque nunc multo secus existimo. Quum enim has tribus edidisti, ignotis te judicibus[5] uti malle, quam notis, indicavisti; fugisti sententiam legis; æquitatem omnem rejecisti; in tenebris, quam in luce, causam versari maluisti.

Voltinia tribus ab hoc corrupta[6]; Terentinam habuerat venalem. Quid diceret apud Voltinienses, aut tribules suos[7] judices? immo vero tu quid diceres? quem judicem ex illis aut tacitum testem haberes, aut vero etiam excitares? Etenim, si reus tribus[8] ederet, Voltiniam fortasse Plancius, propter vicinitatem ac necessitudinem suam, non edidisset. Et, si quæsitor edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Flavium[9], quem habet, cui notissimus esse debet, vicinum tribulem, gravissimum hominem justissimumque, edidisset? cujus quidem æquitas, et meæ similis voluntas erga Cn. Plancii salutem, quam ille sine ulla cupiditatis suspicione præ se fert, facile declarat, non fuisse fugiendos tribules huic judices[10], cui quæsitorem tribulem exoptandum fuisse videatis.

XVIII. Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod non eas tribus, quibus hic maxime no-

4. *Ut in hunc... et ab hoc.* Plancius.

5. *Ignotis judicibus.* Id est, qui Plancium ignorarent. Phædrus, ex autore medicus: « ignotos fallit, notis est derisui ».

6. *Ab hoc corrupta.* A Plancio.

7. *Aut tribules suos.* Bav. « aut apud tribules suos ».

8. *Tribus ederet.* Erfurtensis, Grævius, Ernestus, *tribum.* Bavar. et tres Britann. habent *tribus.*

9. *C. Flavium.* Alii habent *Alfium*, sed male, ut Cicero ipse demonstrat, infra cap. 42.

10. *Fugiendos ... judices.* Edd. fere omnes, *fugiendum ... judicem.*

tus erat, edideris[1]; sed a te doceo consilium non servatum senatus. Etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo agnosceret, repudiaretur[2]: an gratiosum? illi libenter audirent; nos non timide confiteremur. Noli enim putare, Laterensis, legibus istis, quas senatus de ambitu sancire[3] voluerit, id esse actum, ut suffragatio, ut observantia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni viri, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. Neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam coli nostra modica liberalitate noluerit; neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis[4] suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent[5]: hæc enim plena sunt officii, plena observantiæ, plena etiam antiquitatis[6]. Isto in genere et fuimus ipsi, quum ambitionis nostræ tempora[7] postulabant, et clarissimos viros esse vidimus, et hodie esse videmus quam plurimos gratiosos. Decuriatio tribulium[8], descriptio populi, suffragia largitione devincta, severi-

XVIII. 1. *Quod non eas tribus... edideris*. Al. *quod eas tribus... non edideris*.

2. *Repudiaretur*. Erfurt. et Bavar. *repudiarent*, subaud. omnes. Hanc loquendi rationem exquisitiorem, et huic loco aptissimam censet Garatonius.

3. *Sancire*. Legit Manutius *sanciri*, quia, ait, leges non a senatu, sed a populo sanciebantur.

4. *Ne conficere necessariis suis suam tribum*. Id est, conciliare necessariis suis suam tribum. Sic correxit ex optimo codice Erfurt. Grævius, et sic habent duo Regii. Legebatur olim: « reficere necessariis suam tribum »; id est, pauperiores tribules refocillare iis quibus maxime egebant. Sed non hic locus. Probat ipse Cicero sequenti sententia: « ne par ab iis munus in sua, etc. »

5. *In sua petitione respectent*. *Respectare* per translationem hic usurpatur pro ab alio exspectare.

6. *Plena etiam antiquitatis*. Id est, plena morum antiquorum.

7. *Nostra tempora*. Olim *nostra tempora*. Hanc novam lectionem accepit a Lambino Gruterus, omnesque deinde sequuti sunt, ex Bavar. quatuor Britann. Erfurt. et Lamb.

8. *Decuriatio tribulium*. Quod can-

tatem senatus, et bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. Hæc doce, hæc profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse[9], pronuntiasse, divisisse: tum mirabor, te iis armis uti, quæ tibi lex dabat, noluisse. Tribulibus enim judicibus, non modo severitatem illorum, si ista vera sunt, sed ne vultus quidem ferre possemus.

Hanc tu rationem quum fugeris, quumque eos judices habere nolueris, quorum in hujus delicto quum scientia certissima, tum dolor gravissimus esse debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc sibi oneris imposueris, cur se potissimum delegeris, cur denique se divinare malueris, quam eos, qui scirent, judicare?

XIX. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico, et habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos: quos tu si sodales vocas[1], officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. Sin, quia gratiosi sunt, accusandos putas; noli mirari, te id, quod tua dignitas postularit, repudiandis[2] gratiosorum amicitiis non esse assequutum. Jam, ut ego doceo, gratiosum esse tribulibus[3] Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas[4] plurimos

didati suos tribules decuriarent, quod reliquas tribus describerent, quod suffragia largitione devincirent, succensuit senatus, inde lata lex est: *decuriare* est per factionem cogere.

9. *Sequestrem fuisse.* Sequester vocabatur ille qui apud alium in corruptione judicum aut comitiorum pecuniam deponebat, aut ille apud quem deponebatur pecunia, qui operam navabat, et promissam singulis pecuniam solvebat. — *Pronuntiasse.* Promisisse pecuniam. — *Divisisse.* Subaud. pecuniam, id est, solvisse.

XIX. 1. *Si sodales vocas.* Sodalitatem honeste appellari supra dixit, societatem eorum qui turpi largitione tribus corrumperent.

2. *Repudiandis.* Forte repudiatis.

3. *Gratiosum esse tribulibus.* Cod. Erfurt. *in sua tribu*, quod non recepit Grævius.

4. *In operas plurimos.* Scilicet in negotia provincialia publicanorum, ut

patris auctoritate et gratia miserit; quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per majores suos totam Atinatem præfecturam comprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriavisse. Quod si non potes, noli tollere ex ordine nostro liberalitatem, noli maleficium putare esse gratiam, noli observantiam sancire pœna.

Itaque hæsitantem te[5] in hoc sodalitiorum tribuario crimine, ad communem ambitus causam contulisti, in qua desinamus aliquando, si videtur, vulgari et pervagata declamatione contendere. Sic enim tecum ago. Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Ego, si id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit[6], docebo. Estne hæc vera contentio? placetne sic agi? Non possum[7] magis pedem conferre[8], ut aiunt, aut propius accedere. Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector[9], posco, atque adeo flagito crimen: quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris,

in vectigalibus exigendis, et rationibus conficiendis, etc. atque ita fuerant lucellis aucti.

5. *Hæsitantem te.* Quum, quid diceres, non haberes, nullisque posses crimen argumentis confirmare. — *Delige tu : doce id.* Gulielm. *delige : tum doce id.*

6. *Per quem tulerit.* Id est, suffragia confecerit.

7. *Non possum.* Bavar. *num possum.* Sic Gulielmius, quod Gruter. et Wolfius probabant.

8. *Pedem conferre, ut aiunt.* Id est, congredi. Translatio a luctatione sumpta.

9. *Insector.* Erfurt. *insequor.* Vulgatam tuetur similis locus pro Font. 1, « insector ultro... insector, inquam, ac flagito testes ». *Insequor* monstrat locus supplementi pro Flacco, 3, ed. Mai. pag. 53, ed. Cramer. pag. 98 : « accusatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen ab adversario flagitabo »; sed *insector* majori pollet vi quam *insequor*, et hoc in loco præfe-

vitium : ego, qua ratione tulerit, docebo; nec erit hæc alia ratio Plancio, ac Laterensi[10]. Nam ut, quas tribus tu tulisti, si jam ex te requiram, possis, quorum studio tuleris, explicare : sic ego hoc contendo, me tibi ipsi adversario, cujuscumque tribus rationem poposceris, redditurum.

XX. Sed cur ego[1] sic ago? quasi non comitiis jam superioribus sit Plancius designatus ædilis : quæ comitia primum habere cœpit consul[2] quum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor : deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium; ut ne, si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Vocatæ tribus; latum suffragium; descriptæ[3], renuntiatæ. Longe plurimum valuit Plancius. Nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. An tandem una centuria prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit : tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis

iendum, quia aliam habet significationem.

10. *Nec erit hæc alia ratio Plancio, ac Laterensi.* Erfurt. et Bavar. « ac tibi, Laterensis »; quod probant Garaton. et Græv. quia toto loco Laterensem Cicero adloquitur.

XX. 1. *Sed cur ego sic ago?* Abest *ego* a cod. Barb. Auctore Erfurt. delevit Græv. quia hic nullam vim habere censuit.

2. *Comitiis superioribus ... habere cœpit consul.* M. Licinius Crassus, Liciniæ legis auctor, cœperat habere comitia, et Cn. Plancius jam illis primis comitiis ædilis designatus fuerat, quum tantus exarsit tumultus, ut ea proferre consul coactus fuerit. Deinde alia cœpit habere subito, et Plancius iterum designatus est.

3. *Descriptæ. Describere* nihil aliud est quam tribuum suffragia dirimere. Male igitur Erfurt. loco *descriptæ* habet *diribitæ. Diribere* enim est singulis suffragium laturis tabellas distribuere.

fuerint prærogata[4]? Quo quidem tempore, si id, Laterensis, facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuæ, quod multi nobiles sæpe fecerunt, ut, quum minus valuissent suffragiis[5], quam putassent, postea, prolatis comitiis, prosternerent se, et populo romano, fracto animo atque humili supplicarent; non dubito, quin omnis ad te conversura se fuerit multitudo. Numquam enim nobilitas, integra præsertim atque innocens, a populo romano supplex repudiata fuit. Sed, si tibi gravitas tua, et magnitudo animi, pluris fuit, sicut esse debuit, quam[6] ædilitas: noli, quum habeas id, quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris. Equidem primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundo, ut existimarer; tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honos: qui iis denique debet esse jucundus, quorum dignitati populus romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

XXI. Quæris etiam, Laterensis, quid imaginibus tuis, quid ornatissimo atque optimo viro, patri tuo, respondeas mortuo. Noli ista meditari; atque illud cave potius, ne tua ista querela dolorque nimius ab illis sapientissimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus, Appium Claudium, nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, C. Claudio, ædilem non esse factum, et eumdem sine repulsa factum esse consulem: vidit, hominem sibi maxime conjunctum, egregium virum, L. Volca-

4. *Prærogata.* Grævius et Lallem. *prærogativa* ex codd. Regiis et priore Venet. Summi magistratus centuriatis comitiis, alii, ut ædiles, tributis creabantur.

5. *Quum minus valuissent suffragiis.* Populus rom. in comitiis magnatum superbiam retundebat, quos sæpius ad humilem supplicationem descendere cogebat, eorumque gaudebat anxietate.

6. *Magnitudo animi pluris fuit... quam ædilitas.* Laterensem laudat, quod antea tribunatus petitione desti-

tium [1]; vidit, M. Pisonem [2] in ista ædilitate, offensiuncula accepta, summos a populo romano esse honores adeptos. Avus vero tuus, et P. Nasicæ [3] tibi ædilitiam prædicaret repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac republica fortiorem; et C. Marii, qui duabus ædilitatis acceptis repulsis [4], septies consul est factus; et L. Cæsaris [5], Cn. Octavii, M. Tullii: quos omnes scimus ædilitate præteritos, consules esse factos. Sed quid ego ædilitias repulsas colligo? quæ sæpe ejusmodi habitæ sunt, ut iis, qui præteriti essent, benigne a populo factum videretur. Tribunus militum, L. Philippus [6], summa nobilitate et eloquentia; quæstor, C. Cœlius [7], clarissimus ac fortissimus adolescens; tribuni plebis, P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes, facti non sunt: quos tamen omnes consules factos scimus esse. Quæ tibi ultro pater, et majores tui, non consolandi tui gratia, dicerent [8], neque vero, quo te liberarent aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te suscepta videa-

terit, ne juraret in Cæsaris legem agrariam.

XXI. 1. *L. Volcatium.* Tullum, qui consul fuit cum M. Æmilio Lepido.

2. *M. Pisonem.* M. Pupius Piso consul fuit cum M. Valerio Messalla.

3. *P. Nasicæ.* P. Scipio Nasica manu sua Tib. Gracchum privatus occiderat. Consul fuit cum L. Calpurnio Bestia.

4. *Duabus ædilitatis acceptis repulsis.* Erfurt. « duabus ædilitatibus repulsus ». Curuli scilicet ac plebeia: nam utriusque repulsam C. Marium retulisse constat. Hancce lectionem recepit Orellius.

5. *L. Cæsaris.* L. Julius Cæsar consulatum gessit cum P. Rutilio Rufo, Cn. Octavius cum L. Cornelio Cinna, M. Tullius Decula cum Cn. Cornelio Dolabella.

6. *L. Philippus.* L. Marcius Philippus orator, consul cum Sexto Julio Cæsare.

7. *C. Cœlius.* Suum C. Cœlio Caldo prænomen Lambinus restituit, quod tandem in tribus Britann. repertum videtur. Omnes alii cum Bavar. mendose Quintum appellant. Is consulatum gessit cum L. Domitio Ahenobarbo, P. Rutilius Rufus cum Cn. Mallio, C. Fimbria cum C. Mario, C. Cassius Longinus cum Cn. Domitio Ahenobarbo, Cn. Aufidius Orestes cum Cn. Cornelio Lentulo Sura.

8. *Dicerent.* Cod. Barb. Bavar. et quatuor Britann. edit. Rom. et plurimi habent *dicent, liberent, cohorten-*

tur; sed ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima ætate suscepisti, cohortarentur. Nihil est enim, mihi crede, Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua.

XXII. Noli enim existimare, non magnum quemdam motum fuisse illius petitionis tuæ, de qua, ne aliquid jurares[1], destitisti. Denuntiasti, homo adolescens, quid de summa republica[2] sentires: fortius tu quidem, quam nonnulli defuncti honoribus, sed apertius, quam vel ambitionis, vel ætatis tuæ ratio postulabat. Quamobrem in dissentiente populo noli putare, nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem ante[3] et præcaventem numquam certe movebunt[4].

An te illa argumenta duxerunt? Dubitabitis, inquit[5], quin coitio facta sit, quum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? At nonnullas punctis pæne

tur. Sed quia supra est *prædicaret*, celeb. Ernestus emendare maluit «liberarent, cohortarentur», quod ante ipsum receperat Lambinus, conjeceratque Manutius.

XXII. 1. *Ne aliquid jurares*. Ne sibi opus esset in legem Cæsaris de agro Campano dividendo jurare, in quo Cicero ad Atticum, lib. II, epist. 18, scribit Laterensem existimari laute fecisse.

2. *Quid de summa republica*. Ita Lamb. ex suis, Græv. ex Erf. Ernest. ex Veneta 1480, et ex Angelii Juntina, quibus accedunt tres Britann. pro «summa reipublicæ». Fontem hujus perpetuæ varietatis reperit Garatou. in plurimis, ubi sic «de summa R. p.»

3. *Providentem ante*. Lambin. ex Bavar. et uno Britann. «providentem autem». Videntur etiam grammatici vetustiores improbasse «providentem ante», sed Cic. Philipp. II, 10, «quæ ego multo ante provideram» (al. *prævideram*). Quin etiam verbis cum *præ* compositis utique potest addi *ante*. Cic. Philipp. VI, 3, «ante prædico». Plin. Epist. X, 15, «ut ante prædixi».

4. *Certe movebunt*. Ernestii conjectura, «certe demovebunt», nemini adhuc imposuit.

5. *Inquit*. Melius *inquis*; nam Laterensem alloquitur, ut supra «an te

totidem[6]. Quippe, quum jam facti[7] prope superioribus comitiis, declaratique venissent. Quamquam[8] ne id quidem suspicionem coitionis habuerit. Neque enim unquam majores nostri sortitionem constituissent ædilitiam[9], nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. Et ais, prioribus comitiis Aniensem a Plotio[10], Terentinam a Plancio tibi esse concessam; nunc ab utroque eas avulsas, ne in angustum venirent. Quam convenit, nondum cognita populi voluntate, hos, quos jam tum conjunctos fuisse dicis, jacturam suarum tribuum, quo vos adjuvaremini, fecisse; eosdem, quum jam essent experti, quid valerent, restrictos et tenaces fuisse? Etenim verebantur, credo, angustias. Quasi res in contentionem, aut in discrimen aliquod posset venire. Sed tamen tu an Plotium, virum ornatissimum, in idem crimen vocandum judicas? an dicis, eum te

illa », et infra, « et ais prioribus », et sic censuit Weiskius.

6. *At nonnullas punctis pæne totidem*. Id est : at Plotius et Plancius suffragia nonnullarum tribuum tulerunt cum pæne eodem numero punctorum.

7. *Quippe, quum jam facti prope superioribus comitiis*. Subaud. ædiles. *Quippe*, separatim positum, est respondentis et affirmantis.

8. *Quamquam*. Modus loquendi satis communis apud Cic. Orat. II, 16, « quamquam, te quidem quid hoc doceam? » Ad Div. XV, 16, « quamquam, quicum loquor? » Hoc in loco usurpatur pro *ceterum*, i. e. quamquam jam non prope facti fuissent ædiles superioribus comitiis, ne id quidem, etc.

9. *Sortitionem constituissent ædilitiam*. Duo curules creabantur ædiles; fieri tamen poterat ut plures etiam pares suffragiis essent. Quod si accideret, constitutum est a majoribus, ut sortirentur quinam ex iis ædilitatem gererent. Sin autem soli duo totidem suffragia tulissent, sortitio locum non habebat; ii enim ædiles renuntiabantur, quum duo tantum ædiles esse oporteret.

10. *Aniensem a Plotio*. Erfurt. et Bavar. « Aniensem a Plotio Pedio ». Q. Pedius simul ædilitatem petebat cum Laterensi, ut constat ex cap. 7, et voces paullo inferius, « vos adjuvaremini », probant non de uno Laterensi, sed de alio etiam candidato quæstionem esse, et sane nimium videtur duas tribus uni Laterensi fuisse traditas, quum nondum cognosceretur populi voluntas.

arripuisse, a quo non sis rogatus[11]? Nam quod questus es, plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris: indicas, aut eos testes te adducere[12], qui, quia nummos acceperint, te prӕterierint; aut, te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse.

XXIII. Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flaminio[1] deprehensos esse dixisti, caluit re recenti[2]; nunc in causa refrixit. Neque enim, qui illi nummi fuerint, nec, quæ tribus, nec, qui divisor, ostenderis. Atque is quidem eductus[3] ad consules, qui tum in crimen vocabatur, se inique a tuis jactatum graviter querebatur. Qui si erat divisor, præsertim ejus, quem tu habebas reum, cur abs te reus non est factus? cur non ejus damnatione aliquid ad hoc judicium præjudicii comparasti? Sed neque tu habes hæc, neque eis confidis[4]: alia te ratio, alia cogitatio ad spem hujus opprimendi excitavit. Magnæ sunt in te opes; late patet gratia; multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ. Multi huic invident; multis etiam pater, optimus vir, nimium retinens equestris juris et libertatis videtur. Multi etiam communes inimici reorum omnium: qui ita semper testimonium de ambitu dicunt, quasi aut moveant

11. *A quo non sis rogatus.* Male interpretes hunc locum intellexerunt; non enim significat Plancium a te veniam non petiisse, ut seipsum ne accusares; sed Plancium non te rogavisse ædilem in comitiis, id est, suffragiis suæ tribus te non adjuvisse.

12. *Te adducere.* Grævius, Orellius, Garatonius præferunt *producere* ex Erfurt. et Bavar. Immo sexcentis e Tullio locis reperias, « testes producere ».

XXIII. 1. *In circo Flaminio.* Fuit extra portam Carmentalem, prope ædem Apollinis et forum olitorium. Conf. Ascon. ad Ciceronis orationem in Tog. cand.

2. *Re recenti.* Statim post comitia ædilitia.

3. *Is quidem eductus.* Alii recentiores *adductus*, male, sed non sine librorum suffragio. — *Ad consules.* Al. « ad consulem ».

4. *Sed neque tu habes hæc, neque*

animos judicum [5] suis testimoniis, aut gratum populo romano sit, aut ab eo facilius ob eam causam [6], dignitatem, quam volunt, consequantur. Quibuscum me, judices, pugnantem meo more pristino non videbitis : non quo mihi fas sit quidquam [7] defugere, quod salus Plancii postulet; sed quia neque necesse est, me id persequi voce, quod vos mente videatis; et quod ita de me meriti sunt illi ipsi, quos ego testes video paratos, ut eorum reprehensionem vos vestræ prudentiæ assumere, meæ modestiæ remittere debeatis. Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, judices, quum hujus, quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis. Multi amici accusatoris, nonnulli etiam nostri iniqui [8], multi communes obtrectatores, atque omnium invidi multa finxerunt. Nihil est autem tam volucre, quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut aut negligatis, aut dissimuletis, umquam postulabo. Sed, si quid sine càpite manabit, aut si quid erit ejusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit; aut ita negligens vobis esse videbitur, ut, unde audierit, oblitus sit; aut ita levem habebit auctorem, ut memoria dignum non

eis confidis. Bavaricus habet « hæc habes ». Unus Britann. « neque tu eis confidis ».

5. *Moveant animos judicum suis testimoniis.* Vocem *judicum* ex Erfurtensi additam servat egregie Bavaricus et duo Britannici.

6. *Ab eo facilius ob eam causam.* Primus Francii « eo facilius », id est, tanto facilius. Garatonius et Orellius proponunt « aut eo facilius dignitatem, quam volunt, consequantur ». Sed sine MSS suffragio.

7. *Quidquam defugere.* Sic e duobus Lambini MSS, et tribus Britann. Alii, *effugere.*

8. *Nostri iniqui.* Jam ea formula cap. 16 usus est Cicero. *Iniqui* longe urbanius et mitius, minusque videtur offensionis habere, quam *inimici.*

putarit : hujus illa vox vulgaris, AUDIVI[9], ne quid reo innocenti noceat, oramus.

XXIV. Sed venio jam ad L. Cassium[1], familiarem meum, cujus ex oratione ne illum quidem Juventium tecum expostulavi[2], quem ille omni et virtute et humanitate ornatus adolescens primum de plebe ædilem curulem factum esse dixit. In quo, Cassi, si ita tibi respondeam, nescisse id populum[3] romanum, neque fuisse qui id nobis narraret, præsertim mortuo Longino[4]; non, ut opinor, admirere, quum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis, me hic id ex te primum audisse confitear[5].

Et, quoniam tua fuit perelegans ac persubtilis oratio, digna equitis romani[6] vel studio, vel pudore;

9. *Audivi*, pro *auditu*, ut ante Lambinum edebatur. Lambinus dedit *audivi*, de conjectura Memmii, confirmata a Pal. tertio Gruteri, Barber. Garat. Bavar. et quatuor Britann.

XXIV. 1. *Ad L. Cassium*. Juvenem, qui se accusatori subscriptorem in hac causa professus erat.

2. *Illum Juventium tecum expostulavi*. Meminisse debemus Laterensem ipsum ex Juventia gente fuisse. Dixisse igitur sua in oratione videtur L. Cassius : quum Juventius aliquis, de quo nihil præterea constat, primus omnium ædilis curulis e plebe factus fuerit, rem admodum iniquam esse, quod Laterensem hujus viri memoria apud populum non adjuverit. Cicero vero quum de istius electione dubitaret, simulque incertam atque intempestivam etiam Cassii eruditionem notare vellet, hoc satis acerbe dicit: in superiore oratione, cap. 21, quum de repulsis ædilitiis ageretur, vel potius cap. 5, quum sermo esset de hominibus aliquando minus dignis ad honorem evectis, consulto omisi expostulare tecum, Laterensis, Juventium illum, de quo verba fecit subscriptor tuus, ne ejus ædilitate curuli in dubium revocata te fortasse offenderem; neque institi, ut totam rem vel idonea auctoritate tu firmares, vel ipse confitereris, illum primum ædilem curulem e plebe sane non fuisse. Optime igitur habet *expostulavi;* neque erat cur Schützius, plaudente Wolfio, reciperet præposteram Pantagathi correctionem *expostulabo*, neque cur Weiskius conjiceret *expostulaverim*.

3. *Nescisse id populum romanum*. Quum de Laterensi ædilitatem petente ferret suffragia.

4. *Mortuo Longino*. C. Cassio Longino, qui consul fuit cum Cn. Domitio Ahenobarbo; is videtur antiquitatis peritus fuisse.

5. *Primum audisse confitear*. Modeste refellit eum, ut vanum et mendacem.

6. *Digna equitis romani*. Nondum

quoniamque sic ab his es auditus, ut magnus honos et ingenio, et humanitati tuæ tribueretur; respondebo ad ea, quæ dixisti; quæ pleraque de ipso[7] me fuerunt: in quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt.

Quæsisti, utrum mihi putarem, equitis romani filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. Ego vero, quamquam illi omnia malo, quam mihi, tamen illi honorum aditus numquam faciliores optavi, quam mihi fuerunt. Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse jam honores, quam iter demonstrasse adipiscendorum putet; hæc illi soleo præcipere (quamquam ad præcepta ætas non est gravis[8]), quæ ille a Jove ortus suis præcipit[9] filiis:

Vigilandum est semper: multæ insidiæ sunt bonis.

Nostis cetera:

Non te id[10], quod multi invideant.

Quæ scripsit gravis ille et ingeniosus poeta, scripsit, non ut illos regios pueros[11], qui jam nusquam erant,

senatorium ordinem adeptus erat Cassius.

7. *De ipso me.* Ita Lambinus de conjectura pro « de ipso fine » illud postea in Erfurt. repertum est. Cicero pronomina ita collocavit etiam in Verr. I, 25, « veritus, ne quid in ipso se offenderetur ». Pro Domo, 23, « in ipsum me ». In Pison. c. 20, « nisi ad ipsum te, etc ». Plin. etiam III, epist. 4, « si ab ipso me impetrassent ».

8. *Ad præcepta ætas non est gravis.* Sic Erfurt. *Gravis*, id est, satis constans. Non ad illam gravem ætatem venit, quæ possit hæc præcepta intelligere. Quidam, « ætas apta nati, seu gnati ». Lamb. « ad præcepta apta ætas non est nati ».

9. *Præcipit filiis.* Alii habent *præcepit filiis*.

10. *Non te id.* Erfurt. « nonne id ». Probat Græv. Immo *nonne* habebant omnes editi ante Lambin. ex tragœdia Attici. Quas sententias repetit Cicero in oratione pro Sextio, cap. 48. Non plura citat, quia versus illos noverant omnes.

11. *Non ut illos regios pueros.* Tragœdiæ personas. — *Qui jam nus-*

sed ut nos, et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret.

XXV. Quæris, quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius. Magis ædilis fieri non potuisset; sed hoc præstaret[1], quod ei minus invideretur. Etenim honorum gradus summis hominibus et infimis sunt pares; gloriæ dispares[2]. Quis nostrum se dicit M'. Curio, quis C. Fabricio, quis C. Duellio[3] parem? quis Attilio Calatino? quis Cn. et P. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? tamen eosdem sumus honorum gradus, quos illi, assequuti. Etenim in virtute multi adscensus[4]: ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum præstet. Honorum populi finis est, consulatus[5]: quem magistratum jam octingenti fere consequuti sunt. Horum, si diligenter quæras[6], vix decimam partem reperies gloria dignam. Sed nemo umquam sic[7] egit, ut tu: Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui civitatem dominatu regio liberavit? honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius nihilo minus quæstor est factus, et tribunus plebis, et ædilis, quam si esset summo loco natus:

quam erant. Id est, qui jamdudum erant defuncti.

XXV. 1. *Sed hoc præstaret.* Sic Ernestius ex editione Angelii. Alii, *præstare.*

2. *Gloriæ dispares.* Subaud. gradus. Male Forcellinus et Ernest. ad Tacit. Annal. III, 45, *gloriæ* numerum pluralem esse volunt.

3. *Quis C. Duellio.* Al. « P. Duellio ». Prænomen *C.* restituit Ernest. is enim est, qui primus de Pœnis navalem triumphum egit.

4. *Etenim in virtute multi adscensus.* Alii, « etenim ad virtutem multi sunt adscensus ». Erf. habet « etenim in virtute multi sunt adscensus », quod accepit Ernest. sed prætermisit *sunt.* Angelii Junt. Crater. Græv. « est enim in virtute multis adscensus ».

5. *Finis est consulatus.* Hinc dicitur apex omnium honorum.

6. *Si diligenter quæras.* Erfurtens. *quæres.* Naug. Gruter. *quæras*, *reperias.* Apud Terent. Eun. I, 1, 16, « si postules, nihilo plus agas », et passim apud omnes optimos. — *Reperias.* Alii, *reperies.*

7. *Sed nemo umquam sic egit.* Sic loquutus est, ut tu.

sed hæc, pari loco orti, sunt innumerabiles alii consequuti. Profers triumphos T. Didii[8] et C. Marii; et quæris, quid simile in Plancio. Quasi vero isti, quos commemoras, propterea magis laude fuerint digni, quod triumpharunt[9], et non, quia commissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharent. Rogas, quæ castra viderit: qui et miles in Creta, Metello hoc imperatore[10], et tribunus in Macedonia militum fuerit, et quæstor tantum ex re militari detraxerit temporis, quantum in me custodiendum transferre maluerit. Quæris, num disertus[11]. Immo, id quod secundum est, ne sibi quidem videtur[12]. Num jurisconsultus. Quasi quisquam sit[13], qui sibi hunc falsum de jure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui, quum professi fuerint, satisfacere non possunt; non in iis, qui abfuisse[14] ab istis studiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. Ut nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem si pro fabro, aut

8. *Profers triumphos T. Didii.* Alii habent « Profers triumphos Tib. Gracchi et C. Marii ».

9. *Digni, quod triumpharunt.* MSS Fr. Ursin. sic : « propterea magistratibus fuerint digni, quod triumpharunt, et non quia commissi sunt iis magistratus, in quibus re bene gesta triumpharunt ». Erf. et Græv. « propterea magistratus ceperint quod triumpharunt ». Orell. *triumpharant.* Sic Lall. e duobus codd. Regiis.

10. *Metello hoc imperatore.* Præsens erat.

11. *Num disertus.* Græv. ex Erf. « num disertus sit ».

12. *Ne sibi quidem videtur.* Hæc Plancii modestia in Cassium resilit, qui se ipse magnum habebat oratorem.

13. *Quasi quisquam sit.* Unus Brit. *quispiam.* Hic utrumvis locum habet; tamen quum tota sententia negativi potius generis sit, exquisitius a plurimis immo fere omnibus MSS recte servatum est.

14. *Qui abfuisse.* Erfurt. et Bavar. « se abfuisse ». Unus ante Græv. Lambinus, « qui abfuisse se ». Putavit scilicet pronomen ab extrema vocis antecedentis syllaba fuisse absorptum. Nunc alio id loco Erfurt. exhibet, eique cum Grævio paruit Lallem. — *Ab istis studiis.* Alii, *istius.* Tres denique *his* cum Naug.

pro textore[15] emimus, ferre moleste solemus, si eas artes, quas in emendo sequuti sumus, forte nescierit; sin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam, esse curamus: sic populus romanus deligit magistratus, quasi reipublicæ villicos[16]; in quibus si quà præterea est ars, facile patitur; sin minus, virtute eorum et innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus? quotus quisque juris peritus est, ut eos numeres, qui volunt esse? quod si præterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis et ornatissimis civibus est futurum?

XXVI. Jubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabis fuisse[1]. Idem effers Laterensem laudibus. Facile patior, id te agere multis verbis, quod ad judicium non pertineat, et id te accusantem tam diu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui non modo confiteor, summa in Laterense ornamenta esse; sed te etiam reprehendo, quod ea non enumeres, alia quædam inania et levia conquiras. Præneste fecisse ludos[2]. Quid? alii quæstores non fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos, justum in socios fuisse. Quis negat? sed ita multa Romæ geruntur, ut vix ea, quæ fiunt in provinciis, audiantur.

Non vereor, ne mihi aliquid, judices, videar ar-

15. *Aut pro textore.* Alii, « pro tectore ».

16. *Quasi reipublicæ villicos.* Sic Juvenal. IV, 77: « Pegasus attonitæ positus modo villicus urbi ».

XXVI. 1. *In se iracundum putabis fuisse. Putabis*, aut *putabit*, ut habent quidam codices, delendum al. volunt, al. legunt *putabit fuisse.* Duo Britann. *esse.*

2. *Præneste fecisse ludos.* Oppidum Latii non procul Roma. Laterensis ibi fecerat ludos, antequam Cyrenas Africæ, ubi erat quæstor, proficisceretur. —*Non fecerunt.* Sic Ern. Receperunt Schütz. et Weisk. Antea *nonne.*

rogasse[3], si de quæstura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis imperiis[4] arbitror, ut non ita mihi multum sit ex quæsturæ laude repetendum : sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæsturam aut gratiorem, aut clariorem fuisse. Vere mehercules[5] hoc dicam : sic tum existimabam, nihil homines aliud Romæ, nisi de quæstura mea, loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram; negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam[6] erant a Siculis honores inauditi. Itaque hac spe decedebam, ut mihi populum romanum ultro omnia delaturum putarem. At ego, quum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos[7] forte venissem, quum plurimi et lautissimi solent esse in iis locis; concidi pæne, judices, quum ex me quidam quæsisset, quo die Roma exissem, et num quid in ea esset novi[8]. Cui quum respondissem, me e provincia decedere : Etiam mehercules, inquit, ut opinor, ex Africa. Huic ego jam stomachans[9] fastidiose,

3. *Videar arrogasse*. Ambros. cum Bavar. *arrogare*, etsi *dixero* sequitur. Pro Milone, c. 29 : « Non timeo, judices, ne libentius hæc in illum evomere videar, quam verius ». Non evomuisse, *etsi* jam evomuerat.

4. *In maximis imperiis*. Sic in optimo Erfurt. et Bavar. Maxima imperia sunt prætura et consulatus. In plerisque MSS et editt. legebatur duntaxat *in maximis*. Recentiores suppleverunt *rebus*, quod est in duobus Britann. et Aldus invexit prior. Habent etiam Junt. et Crat. Ernest. autem legit *in maximis imperiis*.

5. *Mehercules*. Sic vulgati. Erfurt. cod. Barb. Bavar. utraque Veneta. sex Britann. et Junt. habent *mehercule*, quod præfert Græv. ex testimonio Ciceronis ipsius in Orat. 47.

6. *Excogitati quidam*. Erfurt. et unus Britann. *quidem*.

7. *Puteolos*. Hic locus in Campania celeberrimus in veteri historia.

8. *Num quid in ea esset novi*. Erfurt. et Bavar. *Num quidnam esset novi*. Quod præfert Grævius. Ita de Orat. c. 3 : « Numquidnam, inquit, novi? » Ita XI ad Div. 27, etc.

9. *Jam stomachans fastidiose*. Vide

Immo ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret, Quid? tu nescis, inquit, hunc Syracusis quæstorem[10] fuisse? Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent.

XXVII. Sed ea res, judices, haud scio an plus mihi profuerit, quam si mihi tum essent omnes congratulati. Nam posteaquam sensi, populum romanum aures hebetiores, oculos acres[1] atque acutos habere: destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare; feci, ut postea quotidie me præsentem viderent; habitavi in oculis; pressi forum[2]; neminem a congressu meo, neque janitor meus, neque somnus absterruit. Ecquid ego[3] dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum? Nam, quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, quum otiosus sis; has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et præclarum putavi, CLARORUM VIRORUM ATQUE MAGNORUM, NON MINUS OTII, QUAM NEGOTII, RATIONEM EXSTARE OPORTERE. Ita, si quam habeo laudem, quæ, quanta sit, nescio, parta Romæ est, quæsita in foro; meaque privata consilia publici quoque casus comprobave-

Sylvium ad cap. 21 pro Cluentio.

10. *Syracusis quæstorem.* Duo quæstores habebantur in Sicilia, alter Syracusis, alter Lilybæi. Unde Cicero decedebat. Ne acerbius animum læderet audientis, de quæstura sua egit non sine figura, quod quum Lilybæo decedens Puteolos adventasset, omnes eum ignoraverint primo ex provincia, tunc deinde ex Sicilia, ad extremum ex Lilybætana venire.

XXVII. 1. *Oculos acres.* Ex Erf. Grævius adjecit *autem*, et legit « oculos autem acres ».

2. *Pressi forum.* Singularis est Juntinæ interpolatio: « repressi eorum neminem a congressu meo, neque janitor meus, neque somnus abstrusit ».

3. *Ecquid ego.* Cod. Barb. Rom. ambæ, Ven. Herv. Naug. Junt. Crat. habent « et quid ego ». Lamb. « sed quid ».

runt, ut etiam summa respublica mihi domi fuerit gerenda, et urbs in urbe servanda. Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam: hoc facilior fortasse, quod ego huc, a me ortus et per me nixus, adscendi; istius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum. Sed, ut redeam ad Plancium, numquam ex urbe abfuit, nisi sorte, lege, necessitate[4]. Non valuit rebus iisdem, quibus fortasse nonnulli. At valuit assiduitate, valuit observandis amicis[5], valuit liberalitate; fuit in oculis; petivit; ea est usus[6] ratione, qua, minima invidia, novi homines plurimi eosdem honores consequuti sunt.

XXVIII. Nam, quod ais, Cassi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis æque mea salus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor; sed etiam hi, quibus[1] ego debeo, boni viri, et

4. *Nisi sorte, lege, necessitate.* Alii, « nisi forte ». Plancius ex urbe abfuit *sorte*, quum quæstor designatus Macedoniam sortitus est; *lege*, quum tribunus militum creatus a populo in eadem provincia rei militari operam dedit; *necessitate*, quum fuit in Africa miles A. Torquati, in Creta Q. Metelli, ea necessitate adductus, qua omnes cogebantur, post sumptam virilem togam, stipendia decem facere.

5. *Valuit observandis amicis.* Vetustiores ante Victorianam editionem *servandis* tuentur. Sententia tamen videtur postulare *observandis*, quod post Victorium omnes receperunt editores. Nam quamvis in Cicerone et fortasse aliis amicis servandis multum studii collocarit Plancius, tamen ista res non multum faciebat ad id ostendendum quod volebat judicibus esse testatum, nimirum Plancium perpetua præsentia, et amicorum observantia ac liberalitate prava fuisse in comitiis. *Servare* autem pro *observare* usurparunt quidem in certis loquendi generibus, ut « servare de cælo, servare domi, servare vigilias », sed « servare amicos » pro « observare » nemo veterum dixit.

6. *Ea est usus.* Sic Lamb. optime, primusque, ut opinatur Garaton. *ea* sumpsit a Lambin. Gruterus, ab hoc deinde omnes.—*Ratione, qua.* Lamb. adjecit *vitæ*, et legit « ratione vitæ, qua », ut pro Cluentio, cap. 14, « nihil tam remotum ab accusatione, quam Cluentius, et natura, et instituta ratione vitæ ».

XXVIII. 1. *Sed etiam, hi quibus. Ii quibus* ex Venet. Junt. Crat. Orel. Vulgo *hi*.

cives, ædilitiis comitiis aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. Verum fac me multis debere, et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet[2]? an ceteris, quum cujusque dies venerit[3]; hoc nomen, quod urget, nunc, quum petitur, dissolvere? Quamquam dissimilis est pecuniæ debitio[4], et gratiæ. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddidit; qui autem debet[5], æs retinet alienum. Gratiam autem et qui refert, habet[6]; et qui habet, in eo ipso, quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio desinam debere[7], si hoc solvero; nec minus ei red-

2. *Me conturbare oportet. Conturbare*, subaudi rationes, est decoquere, non posse solvere, foro cedere. Martialis, IX, 4: « Grandis in æthereo licet auctio fiat Olympo, Coganturque dei vendere quidquid habent; Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota, Decidat tecum qua pater ipse deum ». Vid. nost. ed. t. II, p. 376, not.

3. *Quum cujusque dies venerit.* Sc. dies solutionis, dies quo cuique solvendum est, quod debetur. Phæd. I, 16: « Ubi vos requiram, quum dies advenerit? » —*Hoc nomen.* Id est, hoc debitum solvere.

4. *Dissimilis est pecuniæ debitio.* Semel dumtaxat hac voce usus erat Cicero, ad Att. XIV, 13: « satis torquetur debitione dotis ».

5. *Qui autem debet.* Lambinus proposuit: « qui autem habet, is retinet alienum ». Sic Cicero de Officiis, II, 20: « Pecuniam qui habeat, non reddidisse, qui reddiderit, non habere ». Et cap. 29 post Redit. ad Quirites: « pecuniam qui retinet non dissolvit, qui reddidit non habet ». Hæc præcepta de officiis, ut ostendimus, sumpta hue forsitan a grammaticis aut rhetoribus male translata sunt.

6. *Gratiam autem qui refert, habet.* Ostendit Cicero dissimilem esse pecuniæ debitionem debitioni gratiæ, eo quod, qui pecuniam debitam dissolvit, statim non habet, quod dissolvit; qui autem habet, retinet æs alienum. In gratiæ debitione aliter est, nam et qui gratiam debitam refert, habet; et qui habet, refert. Tota hujus acute dicti vis est in verbo *habere*. Ita « habere pecuniam » et « habere gratiam » in his duobus, « habere gratiam, et referre gratiam »; quæ inter se hac re differunt, quod habemus gratiam animo, referimus autem facto. Et tamen qui habet gratiam, quum amplius non potest, æque laudandus est, ac si retulisset, et desiit jam debere; et qui retulit habet, quod in pecunia secus est; nam pecuniæ debitor, qui pecuniam habet, non reddidit, et debitor manet; qui reddidit, non habet, hoc est, pecuniam habere desiit.

7. *Neque ego nunc Plancio desinam debere.* Sic Huldricus quoque Progr. 7. Ultima fortasse hujus dicti olim celeberrimi imitatio fuit Gratiani imperatoris apud Auson. Gratiar. act. cap. 6: « Tua hæc verba sunt a te

derem voluntate ipsa, si hoc molestiæ non accidisset.

Quæris a me, Cassi, quid pro fratre meo, qui mihi est carissimus, quid pro meis liberis, quibus nihil potest esse jucundius[8], amplius, quam pro[9] Plancio facio, facere possim; nec vides, istorum ipsorum caritate ad hujus salutem defendendam maxime stimulari me, atque excitari. Nam neque illis hujus salute, a quo meam sciunt esse defensam, quidquam est optatius; et ego ipse numquam illos adspicio, quin per hunc me his conservatum esse meminerim, hujusque meriti in me recorder[10].

Opimium damnatum[11] esse commemoras, servatorem ipsum reipublicæ[12]; Calidium adjungis[13], cujus lege Q. Metellus in civitatem sit restitutus: reprehendis meas pro Plancio preces, quod nec Opimius suo nomine liberatus sit, nec Q. Metelli[14] Calidius.

mihi scripta; solvere te quod debebas, et adhuc debere quod solveris. O mentis aureæ dictum bracteatum! o de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam! »

8. *Quibus nihil potest esse jucundius.* Cod. Barb. et Garaton. edit. Rom. ceterique quos habet Garat. ante Grut. editi, habent « quibus nihil potest mihi esse jucundius ». Omisit vocem *mihi* Gruter. neque deinde quisquam restituit, quæ tamen aut retinenda, aut quibus auctoribus deleatur, est admonendum. Habent *mihi* Bavar. sexque Britann.

9. *Quam pro Plancio.* Lambinus legendum censet « quam quod pro Plancio ». Sic plane Erf. ex quo hanc voculam *quod* reposuit Grævius.

10. *Quin per hunc ... in me recorder.* Erfurt. habet: « quin quum per hunc me his conservatum meminerim, hujus meritum in me recorder ». Cod. Steph. Barb. Garat. edit. Rom. utraque Ven. exhibent « hujus meritum in me recorder ». Est *hujus* etiam in septem Britann. in quinque *meritum*.

11. *Opimium damnatum.* A quo consule M. Fulvius Flaccus consularis, et C. Gracchus tribunitius ob seditiones interfecti sunt.

12. *Servatorem ipsum reipublicæ.* Scilicet periclitantis ob leges Gracchi. Sic melius hunc locum interpunxit Ernestus. Vulgo male: « commemoras: servatorem ipsum reipublicæ Calidium adjungis ». Verum recte jam distinxerat Cratander.

13. *Calidium adjungis.* Calidius tribunus plebis legem tulit, qua Q. Metellus Numidicus in civitatem restitutus est; a tribuno pl. Appuleio Saturnino pulsus, quod in ejus legem jurare noluisset. Opimius et Calidius ambo rei facti, damnati sunt. — *Suo nomine.* Quia remp. servaverat.

14. *Nec Q. Metelli Calidius.* Subaud.

XXIX. De Calidio tibi tantum respondeo, quod ipse vidi: Q. Metellum Pium, consulem, prætoriis comitiis, petente Q. Calidio, populo romano supplicasse, quum quidem non dubitaret et consul, et homo nobilissimus, patronum illum esse suum, et familiæ suæ nobilissimæ dicere [1]. Quo loco quæro ex te, num id in judicio Calidii putes, quod ego in Plancii facio, aut Metellum Pium, si Romæ esse potuisset [2], aut patrem ejus, si vixisset, non fuisse facturum. Nam Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria posset evelli! Vulnus illud reipublicæ, dedecus hujus imperii, turpitudo populi romani, non judicium putandum est. Quam enim illi judices, si judices, et non parricidæ patriæ nominandi sunt, graviorem potuerunt reipublicæ infligere securim, quam, quum illum e civitate ejecerunt, qui prætor [3] finitimo, consul domestico bello, rempublicam liberarat [4]?

At enim nimis ego magnum beneficium Plancii facio [5], et, ut ais, id verbis exaggero. Quasi vero me

nomine. Significabat Cassius, quamquam Plancii magna merita in Ciceronem exstarent, non ideo tamen tum absolvi debere, quum nec Opimius reipublicæ servator, nec restitutor Metelli Calidius, judicio sint absoluti.

XXIX. 1. *Familiæ suæ nobilissimæ dicere.* Ernest. recte abjicit *nobilissimæ*, et legit « patronum illum et suum et familiæ suæ dicere », commutans *esse* in *et*. Neque tamen delendi *nobilissimæ*, causa est illa, quam adfert, idonea, quod ita loqui Metellus ipse non debuit, sed quod homo *nobilissimus* antecessit. Certe Romani modestia non eminebant, ut probat insigne fragmentum ex C. Gracchi de legibus promulgatis oratione servatum a scholiaste Maii, p. 137: « si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, quum genère summo ortus essem ».

2. *Metellum Pium, si Romæ esse potuisset.* Metellus Pius proconsul erat in Hispania quum accusatus et damnatus est Calidius.

3. *Prætor finitimo.* Fregellano. Fregellis urbe capta.

4. *Consul domestico bello, rempublicam liberarat.* Cæsis, ut jam dixi, domesticis reipublicæ hostibus, Flacco et Graccho; ob quam invidiam postea judicio circumventus est et in exsilium actus.

5. *Plancii facio.* Sic correxit Lamb. Si ex MSStis ii fuerunt soli incorrupti; nam ceteri omnes, et ipse Bavar. mendose, *Plancio*. Grævius verbum *facio*

tuo arbitratu, et non meo, gratum esse oporteat. Quod istius tantum meritum, inquit? an quia te non jugulavit[6]? Immo vero, quia jugulari passus non est. Quo quidem tu loco, Cassi, etiam purgasti inimicos meos, meæque vitæ nullas ab illis insidias fuisse dixisti[7]. Posuit hoc idem Laterensis. Quamobrem de isto paullo post plura dicam : de te tantum requiro, utrum putes odium in me mediocre inimicorum fuisse? Quod fuit ullorum umquam barbarorum tam immane, ac tam crudele in hostem[8]? An fuisse in iis aliquem aut famæ metum, aut pœnæ? quorum vidisti toto illo anno[9] ferrum in foro, flammam in delubris, vim in tota urbe versari. Nisi forte[10] existimas, eos idcirco vitæ meæ pepercisse, quod de reditu meo non timerent[11], et quemquam putas[12] fuisse tam excordem, qui, vivis his, stante urbe et curia, rediturum me, si viverem, non putaret. Quamobrem non debet[13] is homo, et is civis, prædicare, vitam meam,

e codice Erfurt. restituit, sed male servavit *Plancio*.

6. *An quia te non jugulavit.* Quum ad eum Macedoniæ quæstorem lege Clodia pulsus venit Cicero. — *Jugulari.* A Clodianis.

7. *Insidias fuisse dixisti.* Lambinus, « insidias factas esse dixisti ».

8. *Quod fuit ull. umquam barbarorum.... ac tam crudele in hostem.* Ita Bavar. Erfurt. quatuor Gruteriani, duo Regii, et quatuor Britannici, editio denique vetus Waldarferiana, inepta repetitione sublata, quæ in hoc loco nimium diu versata est. Ita enim ante Grævium vulgo edebatur : « Quod fuit ullorum tantum ? requiro, utrum putes odium umquam barbarorum ».

9. *Toto illo anno.* Duo Britann. *toto fere anno.* Tribuno plebis Clodio.

10. *Nisi forte existimas. Forte* est ab Erfurt. Bavar. et uno Britann.

11. *Non timerent.* Erfurt. *nihil timerent.*

12. *Et quemquam putas.* Sic omnes MSS, sic omnes editi præter Lambinianam quam perperam sequitur Gruterus, qui edidit *ecquam putas*, quasi vero *et quisquam* non frequenter apud Ciceronem legatur, et frequentius in veteribus libris. Interpunctio autem vulgata, ait Garatonius, non est cum Ernesto mutanda, qui dedit, « timerent, et quemquam » ; quo facto, debuit etiam interrogationem tollere post *putaret.* Sed *et quemquam* responsio est, cum formula Tullio familiari, quam nemo ignorat.

13. *Quamobrem non debet.* Bavar. quatuor Britann. cod. Barb. Garat.

quæ fidelitate amicorum conservata sit, inimicorum modestia[14] non esse appetitam.

XXX. Respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus; sed profecto nec considerate minus, nec minus amice. Nam primum illud fuit asperius[1], me, quæ de Plancio dicerem, mentiri, et temporis causa fingere. Scilicet homo sapiens excogitavi, quamobrem viderer maximis beneficii vinculis obstrictus, quum liber essem et solutus. Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multæ, parum justæ necessitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiæ? quæ si non essent, vererer[2], credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem. Fingenda fuit mihi, judices[3], causa peracute, ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, et se ab aliquo servatos esse fateantur: non quo turpe sit, protectum in acie, hostium manibus[4] eripi (nam id accidere, nisi forti viro, et pugnanti cominus, non potest); sed onus beneficii reformidant, quod permagnum est, alieno debere idem, quod parenti[5]. Ego, quum ceteri vera beneficia, etiam minora, dissimulent, ne obligati esse

edit. princeps, omnes editi ante Gruterum *debes*. Cassium, inquit Garatonius, Cicero hic alloquitur, non debes, quum talis homo sis, talisque civis, id prædicare.

14. *Modestia*. Alii codd. exhibent *molestia*, male.

XXX. 1. *Illud fuit asperius*. Subaud. auditu.

2. *Vererer*. Ita ex Erfurt. codice Grævius emendavit, quum perperam *vereor* antea ederetur.

3. *Fuit mihi, judices*. Lallem. post Grævium e MSS *causa peracute*. Al. *peracuta*. Male; nempe causa non est peracuta, sed peracute fingitur. Schütz. legit *perastute*, quia sic infra ironice : « ego homo astutus ».

4. *Hostium manibus eripi*, etc. Bavar. « ex hostium manibus », ut supra cap. 10 : « ex impiis manibus eripuerunt ».

5. *Alieno debere idem, quod parenti*. Scil. vitam ipsam.

videantur, eo me beneficio obstrictum esse ementiar, cui ne referri quidem gratia posse videatur? An hoc tu, Laterensis, ignoras? qui, quum mihi esses amicissimus, quum vel periculum vitæ tuæ mecum sociare voluisses, quum me in illo tristi et acerbo luctu, atque discessu, non lacrymis solum tuis, sed animo, corpore, copiis prosequutus esses, quum meos liberos, et uxorem, me absente, tuis opibus, auxilioque defendisses, sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem[6], quod ejus in me meritum tibi etiam[7] gratum esse dicebas. Nihil autem me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam illa testis est oratio, quæ est a me prima habita in senatu[8]? In qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam præteriri, statuissemque eos solum nominare, qui causæ nostræ duces, et quasi signiferi fuissent; in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quæ propter rei magnitudinem[9] dicta de scripto est[10]: in qua ego homo astu-

6. *In Cn. Plancii honorem consumerem.* Edidit Lambinus *honore*, ex cod. Barb. Garat. et a priore Veneta. Sic pro Sext. 13, « quum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumpserit ».

7. *Tibi etiam.* Græv. ex Erfurt. « tibi etiam ipsi ». Ita in Bavar. et in sex Britann. legitur.

8. *Oratio ... prima habita in senatu.* Sic de Plancio : « cujus mei sensus certissimus testis est hic idem, qui custos capitis fuit, Cn. Plancius; qui omnibus provincialibus ornamentis, commodisque depositis, totam suam quæsturam in me sustentando, et conservando collocavit; qui si mihi quæstor imperatori fuisset, in filii loco fuisset; nunc certe erit in parentis, quum fuerit quæstor, non imperii, sed doloris mei ». Mediolanensis scholiastes docet, Ciceronem scriptis aliis, in quibus laudatur Plancius, poema de consulatu suo designare.

9. *Propter rei magnitudinem.* Vulgati mendose : « propter ejus magnitudinem ».

10. *Dicta de scripto est.* Is erat senatorum mos, ut de scripto graviores sententias dicerent, ne inopia verborum aliquid efferrent aliter, ac sentirent et vellent. Quum igitur multi summi-

tus ei me dedebam[11], cui nihil magnopere deberem, et hujus tanti officii servitutem adstringebam[12] testimonio sempiterno. Nolo cetera, quæ a me mandata sunt literis, recitare[13]: prætermitto, ne aut proferre videar ad tempus, aut eo genere uti literarum, quod meis studiis aptius, quam consuetudini judiciorum, esse videatur.

XXXI. Atque etiam clamitas, Laterensis, « Quousque ista dicis? nihil in Cispio profecisti[1]. Obsoletæ jam sunt preces tuæ[2] ». De Cispio mihine tu objicies, quem ego, de me bene meritum quia, te teste, cognoveram, te eodem auctore defendi? et ei dices, « Quousque », quem negas, quod pro Cispio contenderit[3], impetrare potuisse? Nam istius verbi, « Quo-

que viri nominandi essent, verebatur Cicero, ne quem præteriret invitus, aut appellaret minus grata commemoratione, quam volebat; itaque ipsius rei magnitudine suadente, memoriæ diffisus de scripto dixit.

11. *Ei me dedebam*. Sic Erfurt. Vulgati *dedam*. Lamb. *debebam*. Terent. Andria: « tibi pater me dedo, quod vis oneris impone, impera ». Id. Heautont. « Dedam patri me nunc jam, ut frugalior sim quam vult ».

12. *Tanti officii servitutem adstringebam*. Alii codices exhibent *adstringam*.

13. *Nolo cetera, quæ a me mandata sunt literis, recitare*. Quæ in illa oratione non sunt; sed ea literis a se mandata dicit, quo gratus esse videatur. — *Prætermitto*. Al. *prætermitto illa*.

XXXI. 1. *Nihil in Cispio profecisti*. M. Cispius tribunus plebis Lentulo Spinthere consule, quo anno Cicero restitutus est, vi de foro depulsus est, rogatione C. Fabricii de Cicerone facta. Oratione post reditum in senatu Cicero sic de illo: « Quid M. Cispius? Cui ego ipsi, parenti, fratrique ejus sentio quantum debeam, qui, quum a me voluntas eorum in privato judicio esset offensa, publici mei beneficii memoria privatam offensionem obliteraverunt ». Et pro Sextio: « Venientem in forum virum optimum et constantissimum, M. Cispium tribunum plebis vi depellunt ».

2. *Obsoletæ jam sunt preces tuæ*. Id est, usu jam tritæ atque consumptæ. Vulgati *absolutæ*, quod absurdum. Manutius conjecit *obsoletæ*, et illud recipere non dubitavit Ernest.

3. *Et ei dices, « Quousque », quem negas, quod pro Cispio contenderit*. 1° Supra, « de Cispio mihine tu objicies, quem ego »; 2° Erfurtens. uterque, Francii edit. prima et Mediol. ambæ Venetæ, ed. princeps, etc. habent, *contenderim*; unde statuendum Tullium scripsisse: « et mihi dices, « Quousque », quem negas, quod pro Cispio contenderim ».

usque », hæc poterat esse invidia[4]: datus est tibi[5] ille; condonatus ille; non facis finem; ferre non possumus. Ei quidem, qui pro uno laboravit, et ipsum[6] id non obtinuerit, dici, « Quousque », irridentis magis est, quam reprehendentis. Nisi forte ego unus ita me gessi in judiciis, ita et cum his et inter hos vixi, is in causis patronus, is in republica civis et sum, et semper fui, solus ut a te constituar, qui nihil a judicibus debeam umquam impetrare.

Et mihi lacrymulam Cispiani judicii objectas; sic enim dixisti: « Vidi ego tuam lacrymulam ». Vide, quam me verbi tui pœniteat. Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas, et fletum cum singultu videre potuisti. An ego, qui meorum lacrymis, me absente, commotus, simultates, quas mecum habebat[7], deposuisset, meæque salutis non modo non oppugnator (ut inimici mei putarant), sed etiam defensor fuisset, hujus in periculo non dolorem meum significarem? Tu autem, Laterensis, qui tum lacrymas meas gratas esse dicebas, nunc easdem vis invidiosas videri.

XXXII. Negas, tribunatum Plancii quidquam attulisse adjumenti dignitati meæ; atque hoc loco (quod verissime facere potes) L. Racillii[1], fortissimi et constantissimi viri, divina in me merita comme-

4. *Quousque, hæc poterat esse invidia.* I. e. invidia istius verbi, « quousque » poterat esse hæc, talis; i. e. hoc verbum *quousque* poterat invidiosum esse et significare quod sequitur.

5. *Datus est tibi ille.* Id est, ille absolutus est tuo nomine. — *Non facis finem.* Scil. Nullus est modus, nullus finis sollicitationibus tuis.

6. *Et ipsum id non.* Lamb. « et id ipsum non ». Hoc recipiens quod non ausus erat Lamb. ausus est tandem Schütz. Sic Orel.

7. *Simultates, quas mecum habebat.* Ob mutuam pecuniam a Cicerone datam, sive ipsi Cispio, sive propinquo.

XXXII. 1. *L. Racillii.* Qui tribunus plebis senatum, Lupo dimittente, pro potestate tribunitia retinuit, ut de Clodio referretur quem Milo de vi accusaverat. Vide lib. II, epist. 1, ad Q. fratrem.

moras. Cui quidem ego, sicut in Plancio[2], numquam dissimulavi me plurimum debere, semperque præ me feram. Nullas enim sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitæ dimicationes, nec pro republica, nec pro me defugiendas putavit. Atque utinam, quam ego sum in illum gratus, tam licuisset, per hominum vim, et injuriam populi romani[3], ei gratiam referri[4]! Sed, si non eadem contendit in tribunatu Plancius, existimare debes, non huic voluntatem defuisse; sed me, quum jam Plancio deberem,

2. *Sicut in Plancio.* Lamb. « sicuti Plancio », ut dativus concinne ac simpliciter dativo respondeat.

3. *Injuriam populi romani.* Id est, injuriam factam populo romano. Tanta erat eorum temporum perturbatio, tanta Clodianorum audacia, ut nec populo, nec senatui pepercerint. Quod testatur Cicero in eadem ep. ad Q. fratrem, lib. II, 1, quum ait : « Marcellinus quum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit... repente Clodii operæ a Græcostasi (loco ante curiam) et gradibus (quibus ad curiam ascendebatur) clamorem satis magnum sustulerunt. Eo metu injecto repente magna querimonia omnium discessimus ». Vide etiam lib. II, ep. 3. In comitiis ipsis vim cædemque a Clodianis confirmant Dio Cassius, XXXIX, 32, et Plutarchus in Pomp. c. 53.

4. *Ei gratiam referri.* Mendose Manutius notat Racillium immerito damnatum fuisse. Nullibi enim de judicio agitur, nec datur quidem cognoscere quid Racillio acciderit mali. Historia penitus hoc tacet loco. Sed scholiastes hoc in loco aliquid adtulit novi. Exstat, inquit, libellus ejusdem Ciceronis, qui ita inscribitur, « edictum Lucii Racillii tribuni plebis », quod sub nomine ipsius Cicero scripsit in P. Clodium. Racillius Plancii collega in tribunatu fuit ann. 698, Philippo et Marcellino coss. quo quidem anno P. Clodium constat ædilem fuisse. Hic itaque turbulentus ædilis, sive in concione, sive per edictum Racilium Ciceronis propugnatorem, et Ciceronem ipsum insectatus esse videtur; cui quum Cicero per edictum suo nomine privatus respondere non posset, L. Racillio tribuno, quicum ipse compellatus fuerat, edictum composuit ita acerbum ac vehemens, de more suo, in Clodium, ut Cicero illius auctor ab omnibus agnosceretur. Erant enim edicta propria magistratuum, quibus in dissensione ad convicia facile abutebantur. Ex multis exemplo sint *Archilochia* illa Bibuli consulis in Cn. Pompeium ejusque socios edicta ad Atticum, II, 19, 20, 21, et apud Plutarch. in Pomp. cap. 48. Quintius vero Atticus consul, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat, pœnas Vitellianis dedit, ut ex Tacito, Histor. lib. III, cap. 78. Morem illum cum republica exstinctum non fuisse sciamus.

5. Palimpsest. Ambros. *beneficii*,

Racillii beneficiis[5] fuisse contentum. An vero putas, judices idcirco minus mea causa facturos, quod me esse gratum crimineris? an, quum populus romanus illo senatusconsulto, quod in monumento Marii[6] factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerit (unus enim fuit de magistratibus[7], defensor salutis meæ[8], cui senatus pro me gratias agendas putavit), ei ego a me referendam gratiam non putem? Atqui, hæc[9] quum vides, quo me tandem animo in te putas esse, Laterensis? ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate defugerem? Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser (nam hoc quidem abhorret a virtute[10] verbum), sed certe exercitus: non quia multis debeo (leve enim onus[11], beneficii gratia), sed quia sæpe concurrit, propter aliquorum de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnes verear ne vix possim gratus videri. Sed ego hoc[12] meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cujusque intersit, et quid a me cujusque tempus poscat.

XXXIII. Agitur studium tuum, vel etiam, si vis, existimatio, laus, ædilitas[1]: at Cn. Plancii salus, pa-

quod A. Maius, p. 172, multis auctoritatibus defendit. J. V. L.

6. *In monumento Marii.* Id est, in templo Honoris-Virtutis, quod C. Marius Arpinas de spoliis Cimbrorum exstruxit. Vid. pro Sextio, 54.

7. Al. « de m. aut pro mag. »

8. *Defensor salutis meæ.* Quum quæsturam in Macedonia gereret.

9. Al. *eum q. v.* J. V. L.

10. *Non dicam miser... abhorret a virtute.* Hanc sententiam secundum illos philosophos intulit, qui existimaverunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros; ac si quid adversi prudentibus eveniret, non pœnam magis, et calamitatem, quam exercitationem esse fortunæ.

11. *Leve enim onus.* Bavar. et cod. Garat. « leve enim est onus ».

12. *Sed ego hoc.* Bavar. *sed ego hæc.*

XXXIII. 1. *Laus, ædilitas.* Erfurt.

tria, fortunæ. Salvum tu me esse cupisti: hic fecit etiam[2], ut esse possem. Distineor tamen et divellor dolore, et in causa dispari offendi te a me, doleo: sed, medius fidius, multo citius meam salutem pro te[3] abjecero, quam Cn. Plancii salutem tradidero contentioni tuæ. Etenim, judices, quum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam[4], tamen nihil est, quod malim, quam me et gratum esse, et videri. Hæc est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus, et memori mente persolvunt? Quæ potest esse jucunditas vitæ, sublatis[5] amicitiis? quæ porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi altus[6] aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cujus opes tantæ esse possunt, aut umquam fuerunt, quæ sine multorum amicorum officiis stare possint? quæ certe, sublata memoria et gratia, nulla exstare[7] possunt. Equidem nil tam proprium[8] hominis existimo, quam

laus ædilitatis. Sperabat Laterensis, Plancio damnato, ædilem se futurum; ejus ergo quodammodo agebatur ædilitas.

2. *Hic fecit etiam, ut esse possem.* Juntina: « Hic fecit, ut etiam esse possem ».

3. Al. *objecero.* J. V. L.

4. *Cupiam.* Al. *cupio.*

5. *Sublatis amicitiis.* Vide librum de Amicitia; de hoc pluribus agit.

6. *Ubi altus.* Tres Lambin. MSS, Pall. Gruter. Barb. Veneta prior et libri veteres habent « locus ille mutus, ubi ipse alitus ».

7. *Nulla exstare possunt.* Ex Erf. Grævius rescripsit *nullæ*, quod sequutus est Ernest. Ei merito recentiores obsequi noluerunt, quia non ad opes, sed ad officia refertur.

8. *Nil tam proprium.* Græv. Olivet. Lallem. *nihil.*

non modo beneficio, sed etiam benivolentiæ significatione [9] alligari; nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum [10], quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quæ quum ita sint, jam succumbam, Laterensis, isti tuæ orationi [11]; in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum esse concedam; petamque a vobis, judices, ut eum beneficio complectamini, quem qui reprehendit, in eo reprehendit, quod gratum præter modum [12] dicat esse. Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit idem, vos nec nocentes, nec litigiosos esse, quo minus me apud vos valere oporteret. Quasi vero in amicitia mea non hæc præsidia (si qua forte sunt in me) parata semper amicis esse maluerim, quam necessaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quam præsidio fuisse; meque vehementer vitæ meæ pœniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini, nisi litigioso, aut nocenti.

XXXIV. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti, te idcirco in ludos [1] causam conjicere noluisse, ne ego, mea consuetudine, aliquid de thensis, misericordiæ causa, dicerem; quod in aliis ædilibus [2] ante fecissem. Nonnihil egisti hoc loco. Nam mihi eripuisti ornamentum orationis meæ. Deridebor, si mentionem thensarum fecero, quum tu id prædixeris. Sine thensis

9. *Benivolentiæ significatione*. Brit. unus, « omni significatione ».

10. *Tam ferum*. Unus Brit. « tam ferreum ».

11. *Isti tuæ orationi*. Alii habent « isti tuo crimini ».

12. *Quod gratum præter modum dicat esse*. Juntina : « quod præter modum gratum esse dicat ».

XXXIV. 1. *In ludos*. Sc. circenses, in quibus deorum imagines ducebantur. *In locos*, male.

2. *Quod in aliis ædilibus*. Quos anno superiore, item de ambitu accu-

autem[3] quid potero dicere? Hic etiam addidisti, me idcirco mea lege[4] exsilio ambitum sanxisse[5], ut miserabiliores epilogos possem dicere[6]. Non vobis videor cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori discipulo[7] disputare? Rhodi enim, inquit[8], non fui: me vult fuisse: sed fui, inquit, Nicææ (putabam in Vaccæis dicturum[9]) bis in Bithynia[10]. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam[11], nescio cur severiorem Nicæam putes, quam Rhodum. Si spectanda causa est; et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti, et ego Rhodi non minore[12]. Nam, quod in eo me

satos, quum defenderet, facta thensarum mentione, misericordiam movit.

3. *Sine thensis autem.* Unus Brit. « sed sine thensis ». Jocus autem Laterensis de thensis locum habebat, verbi causa etiam in istis in Verr. act. V, 72 : « omnesque dii, qui vehiculis thensarum solemnes cœtus ludorum initis ».

4. *Mea lege.* Scilic. quam consul tulit, aucta pœna, et irrogato ordini senatorio decem annorum exsilio.

5. *Exsilio ambitum sanxisse.* Hunc locum antea corruptum sic emendavit Garatonius; quam emendationem plane confirmat codex optimus Ambrosianus.

6. *Dicere.* Alii, *elicere.* — *Non vobis.* Junt. « num vobis ».

7. *Cum aliquo... fori discipulo.* Hunc locum Grævius putat vitiosum, et sine melioribus libris non posse sanari conjecturis.

8. *Rhodi enim, inquit, non fui.* Ambros. cum Bavar. « ego non fui ». Cicero, Sulla remp. obtinente, venit in Græciam, et Athenis aliquamdiu commoratus, inde in Asiam et Rhodum navigavit, ut clarissimos oratores, qui in iis locis erant, conveniret. Rhodii oratores dicuntur in Bruto, cap. 13, « saniores et Atticorum similiores ». Cic. ib. 91, ait, « se ab Apollonio Molone Rhodi correctum, melioremque ac sobrium esse factum », hominemque laudat, « quum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis, animadvertendisque vitiis, et instituendo, docendoque prudentissimum ».

9. *Nicææ, putabam in Vaccæis dicturum.* Jamjam supra, Laterensem illuserat tamquam declamatorium et eloquentiæ rudem; hic illum aceto perfundit: Cordubæ enim nati poetæ pingue quiddam sonantes atque peregrinum, Arch. 10, « tam male quam Vaccæi oratores audiebant ».

10. *Bis in Bithynia.* Non eloquentiæ, sed rei militari operam daturus. Quantum per multos annos bellum fuerit cum rege Mithridate a Sulla, Murena, Lucullo gestum, a Pompeio confectum, omnes historiæ testantur; cui bello Laterensem adfuisse, constat ex sequentibus : « et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti ».

11. *Reprehensionis ansam aliquam.* Alii habent « reprehensionis causam aliquam ». — *Severiorem.* Id est, majori æstimatione dignam.

12. *Rhodi non minore.* Nempe ad

reprehendisti, quod nimium multos defenderim [13]: utinam et tu, qui potes, et ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc levare! Sed fit vestra diligentia, qui in causis ponderandis omnes fere repudiatis, ut ad nos pleræque confluant, qui miseris et laborantibus nihil negare possumus. Admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum [14] aliquod in petitionem tuam dici potuisse; me id perdidisse [15]. Uter igitur nostrum est cupidior dicti? Egone, qui, quod dici potuit, non dixerim; an tu, qui etiam ipse in te dixeris? Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse, quod mihi meæ, quas ad aliquem misissem [16], obfuissent. Quas ego mihi obfuisse non intelligo; reipublicæ video prodesse potuisse.

XXXV. Sed sunt hæc leviora: illa vero graviora atque magna, quod meum discessum, quem sæpe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccusare voluisti. Dixisti enim, non auxilium mihi, sed me auxilio defuisse. Ego vero fateor mehercule [1], quod viderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse. Qui enim status, quod discrimen, quæ fuerit in republica tempestas illa, quis nescit? Tribunitius me terror, an consularis furor [2] movit? Decertare

illud incobni, nt Roma oratores haberet quoa opponeret Græciæ.

13. *Defenderim*. Ambr. cum Bav. et uno Britann. *defenderem*.

14. Male Ernest. delevit *dictum;* probabiliter vero, pro « in petitione tua », dedit « petitiooem tuam »; et sic habet Bavaricus cod. apod Garat. Est etiam io cod. Aog. Maii, « Admooefecisti », nullo alio exemplo. J. V. L.

15. *Me id perdid.* Proverbium erat πρὸς Κρῆτα κρητίζειν, id est, Crea adversus Cretem. Scilicet, fallacem fallere. Plancius fuerat quoque versatus in Creta, et ædilitatem Laterensi abstulerat; sic Cres Cretem deceperat. Scholiastes pejus aliud supponit, sc. verba illa ad candidatorum cretatam ambitionem referri.

16. *Ad aliquem misissem.* Scil. ad Pompeium de conjuratione Catilinæ. Hæc epistola deest.

XXXV. 1. Abest *mehercule* in multis edd.

2. *An consularis furor.* Scil. consules, cum tribuno plebis Clodio conjuncti.

mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florentes atque integros sine ferro viceram? Consules post hominum[3] memoriam teterrimi atque turpissimi, sicut et illa principia, et hi recentes rerum exitus declararunt, quorum alter exercitum[4] perdidit, alter vendidit[5], emptis provinciis[6], a senatu, a republica, a bonis omnibus defecerant: qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurimum poterant[7], quum, quid sentirent, nesciretur, furialis illa vox[8] nefariis stupris, religiosis altaribus effeminata, secum[9] et illos, et consules facere, acerbissime personabat. Egentes in locupletes, perditi in bonos, servi in dominos armabantur. Aderat mecum senatus, et quidem veste mutata[10]: quod pro me uno post hominum memoriam publico consilio susceptum est. Sed recordare, qui tum fuerint consulum nomine hostes; qui soli in

3. *Consules post hominum*. Nemini dubium est hunc locum usque ad « aderat mecum senatus » esse corruptum et incompositum.

4. *Alter exercitum perdidit*. Scil. Piso. Exponuntur hæc fuse in oratione de provinciis consular. quam Cicero habuerat anno superiore. Exercitus, inquit, ille noster, superbissimo delectu, et durissima conquisitione collectus, omnis interiit, etc.

5. *Alter vendidit*. Scil. Gabinius Alexandriæ regi: « Scipsum, fasces suos, exercitum populi romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii regi Ægyptio vendidit ».

6. *Emptis provinciis*. A Clodio, qui, lege lata, Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam tradidit. In eadem oratione de Provinc. consul. cap. 4: « Emisti a fœdissimo tribuno plebis ... grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis jus in liberos populos... dicere liceret ». Ibid. eodem cap. « quum Gabinius omnia sibi et empta et emenda esse clamaret ».

7. *Qui exercitibus, qui armis... plurimum poterant*. Intelligit sane Cæsarem, Pompeium et Crassum. Pro Sext. cap. 17, 18, 19, « Ex quibus, ait, unum (Cæsarem) habere exercitum in Italia maximum, duo, qui privati tum essent, et præesse, et parare, si vellent, exercitum posse, idque facturos esse dicebat (Clodius): nec mihi ille judicium populi,... sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denuntiabat ».

8. *Furialis illa vox*. Sc. Pisonis.

9. *Et illos*. Scilic. Cæsarem, Pompeium et Crassum.

10. *Veste mutata*. Scil. veste indutus atra; quod luctus erat indicium.

hac urbe senatum senatui parere non siverint [11], edictoque suo non luctum patribus conscriptis, sed luctus indicia ademerint. Aderat mecum cunctus equester ordo: quem quidem in concionibus saltator ille Catilinæ consul [12] proscriptionis denuntiatione terrebat [13]. Tota Italia [14] convenerat: cui quidem belli intestini et vastitatis metus inferebatur.

XXXVI. Hisce ego auxiliis studentibus atque incitatis uti me, Laterensis, potuisse confiteor; sed erat non jure, non legibus, non disceptando decertandum: nam profecto, præsertim tam bona in causa, numquam, quo ceteri sæpe abundarunt [1], id mihi ipsi auxilium meum [2] defuisset. Armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum: quibus a servis atque a servorum ducibus cædem fieri senatus et bonorum, reipublicæ exitiosum fuisset. Vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse præclarum, si finem eum vincendi [3] viderem: quem profecto non videbam. Ubi enim præsto fuisset mihi aut tam fortis consul, quam L. Opimius? quam C. Marius? quam L. Flaccus? quibus ducibus improbos cives [4] respublica vicit armatis; aut, si minus fortes, attamen tam justi, quam P. Mu-

11. *Non siverint.* Ernest. *non siverunt*, et mox *ademerunt*, contra libros, et haud necessario.

12. *Saltator ille Catilinæ consul.* Delendum *Catilinæ* nomen censet Ernestus cum Garatonio.

13. *Denuntiatione terrebat.* Post Redit. in Sen. cap. 5: « in concionem (Gabinius) adscendit. Quos ei commodum fuit, compellavit; L. vero Lamiam, equitem romanum..... consul imperiosus exire urbe jussit ». Item pro Sext. cap. 12: « exanimatus evolat ex senatu...advocat concionem... L. Lamiam... in concione relegavit, edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta ».

14. *Tota Italia.* Alii « at tota Italia ». Ineptum illud *at* ex antecedente syllaba vocis *terrebat*, ortum est.

XXXVI. 1. *S. abundarunt.* Græv. ex Erfurt. addidit *sæpe.* Deest in aliis.

2. *Auxilium meum.* Abest *meum.*

3. *Si finem eum vincendi.* Erfurt. Barb. duo Britann. Bavar. « si finem tum vincendi ».

4. *Improbos cives.* Scil. M. Fulvium Flaccum consularem, et C. Gracchum tribunitium, Opimio consule; Saturninum tribunum plebis, et Glauciam

cius, qui arma, quæ privatus P. Scipio[5] sumpserat, ea, Tib. Graccho interempto, jure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus. Nihil amplius dico, nisi illud, victoriæ nostræ graves adversarios paratos, interitus nullos ultores esse videbam. Hisce ego auxiliis salutis meæ si idcirco defui, quia nolui dimicare : fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse. Sin autem, quo majora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putavi : tu id in me reprehendis, quod Q. Metello[6] laudi datum est, hodieque est, et semper erit maximæ gloriæ? Quem, ut potes ex multis audire, qui tum affuerunt, constat, invitissimis viris bonis, cessisse[7]; nec fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse. Ergo ille, quum suum[8], non quum senatus factum defenderet, quum perseverantiam sententiæ suæ, non salutem reipublicæ retinuisset: tamen[9], quod illud voluntarium vulnus accepit, justissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloriæ[10] laude superavit, quod et illos ipsos improbissimos cives interfici noluit, et, ne quis bonus interiret in eadem cæde, providit : ego, tantis periculis propositis, quum, si victus essem, interitus reipublicæ, si vicissem, infinita dimicatio pararetur, committerem, ut idem perditor reipublicæ nominarer, qui servator fuissem?

prætorem C. Mario, et L. Valerio Flacco coss.

5. *Sumpserat*. Erf. et Bav. *ceperat*.

6. *Q. Metello*. Scil. Numidico.

7. Alii, « invictissimis viris, constat bonis cessisse ». J. V. L.

8. *Quum suum*. Quia jurare noluit in legem Saturnini. — *Non quum senatus factum defenderet*. Quod Cicero defendisset, si pugnare voluisset; nam senatus conjuratos extremo supplicio afficiendos censuit; cui consul paruit.

9. Alii, « tamen ob illam constantiam, qua ill. v. »

10. *Gloriæ laude*. Alii, « gloria et laude ».

XXXVII. Mortem me timuisse dicis. Ego vero ne immortalitatem quidem contra rempublicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reipublicæ vellem. Nam, qui pro republica vitam dediderunt[1] (licet me desipere dicatis), numquam mehercule eos mortem potius, quam immortalitatem assequutos putavi. Ego vero si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum respublica civile præsidium[2] salutis suæ perdidisset. Quin etiam, si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset, tamen auxilia posteritatis[3] essent imminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me retinendo[4] fuisset senatus populusque romanus. An, si umquam in me vitæ cupiditas fuisset, ego mense decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commossem? quæ, si viginti quiessem dies, in[5] aliorum jugulum consulum recidissent. Quamobrem, si vitæ cupiditas contra rempublicam est turpis, certe multo mortis cupiditas mea turpior fuisset cum pernicie civitatis.

XXXVIII. Nam quod te in republica liberum esse gloriatus es, id ego et fateor, et lætor, et tibi etiam in hoc gratulor[1]: quod me autem negasti, in eo ne-

XXXVII. 1. *Dediderunt.* Vetustiores edit. *reddiderunt*, ut in Verrem, V, 34: « quod reliquum vitæ, viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant »; ut Philipp. XIV, 12: « memoria bene redditæ vitæ sempiterna ». Ut denique Ovidius, Metam. X, 202: « Atque utinam pro te vitam, tecumque liceret Reddere ».

2. *Civile præsidium.* I. e. præsidium quod civis præstare potest.

3. *Auxilia posteritatis.* Id est, excitamenta, exempla, quæ sequi debeat posteritas; consolationes etiam afflictorum inter posteros, uti recte animadvertit Wolfius.

4. *In me retinendo.* Antequam in exsilium iret, ut in superioribus c. 35. Illud retinendi exemplum non Ciceroni tantum, sed et senatui populoque romano honorificum erat, etsi parum processerat, sed intra conatum tantummodo substiterat.

5. Alii, « in aliorum vigiliam consulum rec. » J. V. L.

XXXVIII. 1. *In hoc gratulor.* Junt.

que te, neque quemquam diutius patiar [2] errare. Nam, si quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat, quod non ab omnibus eisdem, a quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam: primum, si bene de me meritis gratum me præbeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati; sin autem, sine ullo reipublicæ detrimento, respicio etiam aliquando salutem tum meam, tum meorum; certe non modo non sum reprehendendus, sed etiam, si ruere vellem, boni viri me, ut id ne facerem, rogarent. Res vero ipsa publica, si loqui posset, ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper, numquam mihi, fructus autem ex sese non, ut oportuisset, lætos et uberes, sed magna acerbitate permixtos, tulissem, ut jam mihi servirem, consulerem meis: se non modo satis habere a me; sed etiam vereri, ne parum mihi pro eo, quod tum a me haberet [3], reddidisset. Quid? si horum ego nihil cogito, et idem sum in republica, qui fui semper, tamenne tu libertatem requires meam? quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus, depugnemus. Quod est longe secus. Stare enim omnes debemus [4], tamquam in orbe aliquo reipublicæ, qui quoniam versatur, eam deligere partem [5], ad quam nos illius utilitas salusque converterit.

cum Britann. omittunt « in hoc ». Fortasse delendum *in*.

2. *Quod me a. negasti... patiar.* Vid. lib. 1, epist. 6 Ciceronis ad Atticum, et lib. I ad Div. epist. 9 ad Lentulum imperatorem, in qua excusabundus respondet cur in gratiam cum Cæsare rediisset.

3. *Quod tum a me haberet.* Ernest. habet « quod jam a me haberet ». Gruter. « quod ortum a me haberet ».

4. *Stare enim omnes debemus.* Vide quæ de hoc argumento docte disputat, etiam ex philosophorum libris in epist. 9, lib. I, ad Lentulum. Erfurt. rectius, « qui quomodo versatur », loco « qui quoniam versatur ». Man. « quum versetur ».

5. *Eam deligere partem.* Junt. Crat. Hervag. P. Manut. G. Gryph.

XXXIX. Ego autem Cn. Pompeium, non dico auctorem, ducem, defensorem salutis meæ (nam hæc privatim fortasse officiorum memoriam et gratiam quærunt[1]), sed dico hoc, quod ad salutem reipublicæ pertinet : ego eum non tuear, quem omnes in republica principem esse concedunt[2]? Ego C. Cæsaris laudibus desim, quas primum populi romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurimis atque amplissimis judiciis videam esse celebratas? Tum hercule me confitear, non judicium aliquod habuisse de reipublicæ utilitate, sed hominibus amicum, aut inimicum fuisse. An, quum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum : cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi, salute præsertim proposita, obtemperem et paream? Neque enim inconstantis puto, sententiam, tamquam aliquod navigium atque cursum, ex reipublicæ tempestate moderari[3]. Ego vero hæc didici, hæc vidi, hæc scripta legi; hæc de sapientissimis et clarissimis viris, et in hac republica, et in aliis civitatibus monumenta nobis, literæ, prodiderunt[4] : non semper easdem sententias ab iisdem, sed,

C. Steph. et Lamb. ediderunt, « eam deligere partem debemus ».

XXXIX. 1. *Memoriam et gratiam quærunt.* Bavar. « Memoriam quærunt et gratiam ».

2. *Principem esse concedunt.* Ernest. habet *concedant*, ut omnia sint paria, « tuear, quem concedant, desim, quas videam ».

3. *Neque enim inconstantis... tempestate moderari.* Hanc phrasim intrudi censet Orellius. Eamdem sententiam videre est in ep. ad Lentulum : « Numquam enim præstantibus in republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio; sed ut in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas; quum vero id possis mutata velificatione adsequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potius quam, eo commutato, quo velis, tandem pervenire ». Hujus loci extremam partem in oratione pro Balbo, cap. 27, invenies.

4. *Literæ, prodiderunt.* Al. *literarum* conjiciunt. Vide præfationem orat. de Prov. consul.

quascumque reipublicæ status, inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet, esse defendendas. Quod ego et facio, Laterensis, et semper faciam; libertatemque, quam in me requiris, quam ego neque dimisi umquam, neque dimittam, non in pertinacia, sed in quadam moderatione positam putabo.

XL. Nunc venio ad illud extremum, quod dixisti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca [1], lapidemque e sepulcro venerari pro deo: neque enim mihi insidiarum periculum ullum, neque mortis fuisse. Cujus ego temporis rationem explicabo brevi [2], neque invitus. Nihil enim ex meis est temporibus, quod minus pervagatum [3], quodque minus aut mea commemoratione celebratum sit, aut hominibus auditum atque notum.

Ego enim, Laterensis, ex illo incendio legum, juris, senatus, bonorum omnium, cedens, quum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiæ toti minaretur, nisi quievissem: Siciliam petivi [4] animo, quæ et ipsa erat mihi, sicut domus una, conjuncta, et obtinebatur a C. Virgilio; quocum me uno vel maxime quum vetusta amicitia, tum mei fratris collegia, tum respublica sociarat [5]. Vide nunc caliginem temporum illorum. Quum ipsa pæne insula mihi sese

XL. 1. *Me arcem facere ex cloaca.* Proverbium. Id est, me casam in palatium mutare.

2. *Rationem explicabo brevi.* Alii conjiciunt *rationem explicabo breviter.* M. Tull. de Orat. I, 8, ad Quintum fratrem: « ac ne plura, quæ sunt innumerabilia consecter, comprehendam brevi ». Ubi codd. nihil variant. Aliud hujus rarissimi usus exemplum attulit Forcellinus ex ep. ad Div. III, 8.

3. *Pervagatum.* Lamb. notavit ad marginem, alios legere *pervulgatum.* Vid. ad cap. 19.

4. *Siciliam petivi animo.* Id est, constitui in Siciliam trajicere.

5. *Quum vetusta amicitia.... tum resp. sociarat.* Erfurt. « Quum vetustas, tum amicitia, quum fratris collegia, tum respublica sociaverat ». Cic. in ep. ad Div. V, 15: « Tecum vivere possem: equidem et maxime vellem; vetustas, amor, consuetudo, studia paria, etc. »

obviam ferre vellet : prætor ille, ejusdem[6] tribuni plebis concionibus, propter eamdem reipublicæ causam, sæpe vexatus, nihil amplius dico, nisi, me in Siciliam venire noluit. Quid dicam? C. Virgilio, tali civi et viro, benivolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? Nihil, judices, est eorum; sed, quam tempestatem nos vobiscum non tulissemus, metuit, ut eam ipse posset opibus suis sustinere. Tum, consilio repente mutato, iter a Vibone Brundisium terra petere[7] contendi[8]. Nam maritimos cursus præcludebat hiemis magnitudo.

XLI. Quum omnia illa municipia, quæ sunt a Vibone Brundisium, in fide mea, judices, essent; iter mihi tutum[1], multis minitantibus, magno cum suo metu præstiterunt. Brundisium veni, vel potius ad mœnia accessi[2]. Urbem unam mihi amicissimam de-

6. *Ejusdem tribuni.* Scil. Clodii.

7. *Iter a Vibone Brundisium terra petere.* A *Vibone*, Lucaniæ oppido. *Brundisium*, Calabriæ portum. Abundat hic profecto vox *iter;* satis enim erat dicere, « a Vibone Brundisium terra petere », ut mox cap. 41 : « Dyrrhachium petere contendi ». Ernest. *iter* delebat ut insolitum. Sed Livius, XLIV, 2 : « quod iter petiturus esset, ignarus ». Velleius, « ne destinatum iter peterent ». Ovidius ex Ponto III, 2, 80 : « Quove parum fausta puppe petistis iter? »

8. *Contendi.* De causa fallitur Plutarchus, quod ex literis ad Atticum cognoscere datur. Sic enim III, 2 : « Itineris nostri causa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo jure diutius esse possem, quam in fundum Sicæ ». Sequitur ep. 3 : « Sed te oro, ut ad me Vibonem statim venias, quo ego multis de causis converti iter meum ». Ad Sicæ fundum scilicet, qui prope Vibonem erat. Sed jam in quarta ep. veras subiti a Vibone discessus causas edocet : « Miseriæ nostræ potius velim, quam inconstantiæ, tribuas, quod a Vibone, quo te arcessebamus, subito discessimus. Adlata est enim nobis rogatio de pernicie mea, in qua quod correctum esse audieramus, erat ejusmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. Illo quum pervenire non liceret, statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne et Sica, apud quem eram, periret, et quod Melitæ esse non licebat ». Erat enim Melita, ut constat ex Verrinis, in C. Virgilii provincia, neque satis ab Italia distabat.

XLI. 1. *Iter mihi tutum.* Barb. et al. « tunc iter mihi tutum ».

2. *Ad mœnia accessi. Accessi* abest

clinavi, quæ se vel potius exscindi[3], quam, e suo complexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Lenii Flacci contuli[4] : cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, hæc perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere. Hujus ego, et parentis ejus, prudentissimi atque optimi senis, et fratris utriusque filiorum[5] manibus, in navi tuta ac fideli collocatus, eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium[6], quod erat in fide mea, petere contendi. Quo quum venissem, cognovi, id quod audieram, refertam esse Græciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum, quorum impium ferrum ignesque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat : qui antequam de meo adventu audire potuissent, quum tantum abessent aliquorum dierum[7] viam, in Macedoniam, ad Planciumque perrexi. Hic vero simul atque me mare transisse cognovit (audi, audi, atque attende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam, confiteareque aliquando, me, quod faciam, et grate, et pie[8] facere; huic, quæ pro salute mea fece-

in Bavar. Delendum censet Garaton.

3. *Quæ se vel pot. exscindi.* Weisk. « quæ se potius vel exscindi ».

4. *M. Lenii Flacci contuli.* Ep. ad uxorem, XIV, 4, « nos Brundisii apud M. Lenium Flaccum dies XIII fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum, et capitis sui præ mea salute neglexit; neque legis improbissimæ pœna deductus est, quominus hospitii et amicitiæ jus, officiumque præstaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus; habebimus quidem semper».

5. *Optimi senis, et.... utriusque filiorum.* Græv. ex Erfurt. « Optimi senis, et fratris et utriusque filii ». Idem pro Sexto, 63 : « Domus Lenii Flacci, et patris et fratris ejus ». Vulg. « utriusque filiorum ».

6. *Dyrrhachium.* Est urbs celebris in Illyrico ad mare, unde in Italiam trajectus. Ad Terent. XIV, 1 : « Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est [ideoque lege Clodia non tenetur], et in me officiosa, et proxima Italiæ. Sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam ».

7. *Quum tantum..... aliquorum dierum.* Al. *tum.* Græv. ex Erfurt. Bavar. etc. « quum tantum abessent aliquot dierum ». Multo melius.

8. *Aliquando, me, quod faciam, et*

rit, si minus profutura sint, obesse certe non oportere) : nam, simul ac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me, lictoribus dimissis[9], insignibus abjectis, veste mutata[10], profectus est.

O acerbam mihi, judices, memoriam temporis illius, et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est[11], conspersitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit! o rem quum auditu crudelem, tum visu nefariam[12]! o reliquos omnes dies, noctesque eas, quibus iste a me non recedens, Thessalonicam[13] me, in quæstoriumque[14] perduxit! Hic ego nunc de prætore Ma-

grate, et pie. Juntina, « aliquando, quod faciam me grate et pie ».

9. *Lictoribus dimissis.* Lictoribus in Urbe non utebantur quæstores, ut ait Gellius, lib. XIII, cap. 2, in provincia eos habere licuit, quod hic locus declarat; cui suffragari videntur illa verba ad Cornificium : « illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse ». Nam si legatis lictores tribuuntur, a fortiori quæstoribus honore præstantibus. Est enim legatus infra quæstorem; ut in epist. ad M. Cœlium, et ad Thermum.

10. *Insignibus abjectis.* Id est, quæstoris ornamentis. — *Veste mutata.* Scil. deposita prætexta.

11. *Quum complexus est.* Deest *quum* in Bavar. Aldina et compluribus; sed recte in Erfurt. in quinque Britann. aliisque adest.

12. *O rem quum auditu crudelem, tum visu nefariam!* Schützius hæc credit interpolata et melius abesse. Ernestius sic adnotavit : cur hos amplexus, has lacrymas *rem crudelem* et nefariam appellat? Nempe non per se, sed ob causam, quæ erat crudelis et nefaria; quod in eas miserias conjectus erat innocentissimus et de republica vir meritissimus.

13. *Thessalonicam.* Macedoniæ oppidum, ad sinum Thermaicum.

14. *In quæstoriumque.* Id est, hospitium quæstoris, proprie secundum vocabulum magistratus etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem omnia in quibus variæ dignitatis præsides habitent, prætoria nominantur. Quæstores nimirum propriam sui magistratus domum in provinciis habebant, ut etiam ex Livio constat. Ea vero *quæstorium*, donec provincialis quæstura mansit, est appellata. Provinciarum præsides numquam sublati; sed sub imperatoribus nomina eorum, dignitates, potestatesque immutatæ : legati et præfecti Augustales, procuratores Cæsaris, consulares, correctores, aliisque nominibus appellabantur, prætorium nomen obsolevit eorum, qui provincias regebant; illud autem domus, in quibus præsides quicumque habitarent, non amiserunt. Immo *prætoria* dicta sunt aliquando etiam loca juri dicendo publice constituta. De quibus Perizonius, pag. 63 ejus libri, quo de prætorio copiosissime disseruit.

cedoniæ[15] nihil dicam amplius, nisi, eum et civem optimum semper, et mihi amicum fuisse; sed eadem timuisse, quæ ceteros. Cn. Plancium fuisse unum, non, qui minus timeret, sed, si acciderent ea[16], quæ timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet. Qui, quum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia venisset, easque insidias, quas mihi paratas ab exsulibus conjuratis audierat, animo amicissimo detulisset : in Asiam me ire (propter ejus provinciæ mecum et cum meo fratre necessitudinem) comparantem, non est passus; vi me, inquam[17], Plancius, et complexu suo retinuit, multosque menses a capite meo non discessit, abjecta quæstoria persona, comitisque sumpta.

XLII. O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! si quidem ego tibi vivus non prosum[1], qui fortasse mortuus profuissem. Memini enim, memini, neque umquam obliviscar noctis illius, quum tibi vigilanti, assidenti, mœrenti, vana quædam miser, atque inania, falsa spe inductus, pollicebar: me, si essem in patriam restitutus, præsentem tibi gratiam

15. *De prætore Macedoniæ.* Hic erat L. Appuleius, qui quamvis Ciceroni amicus, cum tamen in Macedonia, Clodianæ metu factionis, palam amplecti noluit.

16. *Sed, si acciderent ea.* F. Ursin. « sed qui, si acciderent ea ».

17. *Vi me, inquam.* Primus Franc. « vi me, vi me, inquam ». Probat ex MSS Grævius. Sic ad Atticum, III, 22: « Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet [Thessalonicæ], jam aliquoties conatum ire in Epirum. Spes homini est injecta, non eadem quæ mihi, posse nos una decedere [de provincia Romam]; quam rem sibi magno honori sperat fore. Sed jam quum adventare milites dicuntur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus ». Lucius Piso proconsul L. Appuleio prætori Macedoniæ successurus, milites præmiserat. Cicero autem ab iis timebat, quod sibi Pisonem inimicissimum cognoverat. Similiter ad Terentiam, XIV, 1: « Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum, et adhuc retinet, etc ».

XLII. 1. *Tibi vivus non prosum.* Ed. Rom. Sec. Ven. Crat. et Naug. *prosim.*

relaturum; sin autem vitam mihi sors ademisset[2], aut vis aliqua major reditum peremisset, hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum præmia pro me persoluturos. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? Nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed de horum erga me benivolentia[3] promittebam; hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitæ periculo velle videbam; de eorum desiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum simul audiebam : nunc timeo, ne nihil tibi, præter lacrymas, queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. Quid enim possum aliud, nisi mœrere? nisi flere? nisi te cum mea salute complecti[4]? Salutem tibi iidem dare[5] possunt, qui mihi reddiderunt. Huc exsurge tamen, quæso. Retinebo[6], et complectar; nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor; atque, ut spero, nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor, non dicam meorum in bonos meritorum, sed bonorum in me, qui a me mei servatorem capitis divellat, ac distrahat. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, judices, sed custodem salutis meæ : non opibus contendo, non auctoritate, non gratia; sed precibus, sed lacrymis, sed misericordia : mecumque vos simul hic[7] miserrimus, et optimus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur.

2. *Sors ademisset. Fors* e MStis restituit Lamb.

3. *Sed de horum erga me benivolentia.* Al. habent « sed horum e. m. benivolentiam ». Sequimur cod. Erf. lectionem. J. V L.

4. *Nisi te cum mea salute complecti.* Id est, sortem tuam meæ conjungere.

5. *Tibi iidem dare.* Olim, « tibi idem dare », erratum operarum est.

6. Græv. « Te tamen, exsurge, quæso, retinebo ». J. V. L.

7. Abest *hic.* Dat cod. Ambrosian. J. V. L.

Nolite, judices, per vos, per fortunas vestras, per liberos vestros[8], inimicis meis, his præsertim, quos ego pro vestra salute suscepi, dare lætitiam, gloriantibus vos jam oblitos mei, salutisque ejus, a quo mea salus conservata est, hostes exstitisse. Nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatæ vestræ voluntatis erga me : sinite me, quod vobis fretus huic sæpe promisi, id a vobis ei[9] persolvere.

Teque, C. Flavi, oro et obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum, quas gessi, adjutor fuisti, meque non modo salvum semper, sed etiam ornatum, florentemque esse voluisti : ut mihi per hos conserves eum, per quem me tibi et his conservatum vides. Plura ne dicam, tuæ me etiam lacrymæ impediunt, vestræque, judices, non solum meæ : quibus ego, magno in metu meo[10], subito inducor in spem, vos eosdem in hoc conservando futuros, qui fueritis in me; quoniam istis vestris lacrymis[11] de illis recordor, quas pro me sæpe et multum profudistis.

8. Abest *vestros* in multis editionibus. J. V. L.

9. *Id a vobis ei persolvere.* Eleganter a re pecuniaria : in qua « solvere ab aliquo dicitur », quum non ipse ex arca sua, sed ex alterius solvit, per attributionem, sive, ut nos vulgo dicimus, per assignationem. Vid. Clag. in *solvere. Persolvere*, sic etiam est Flacco, 20.

10. *Magno in metu meo.* Quum de Plancii salute vehementer timeam.

11. *Istis vestris lacrymis.* Quum in exsilium profectus est; de quo pro Domo, cap. 22 : « Quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid nostri equites romani? quid senatus? quid denique omnes boni? Si nulla erat vis, cur me flentes potius prosequuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? » Neque solum tum fleverunt, quum Cicero abiit, verum etiam *sæpe* toto discriminis illius acerbissimi tempore. Sed qui eum retinere, atque conservare non potuerunt, iidem Plancium poterant. Dici ergo nequit, vos Plancium conservaturos, ut me conservastis, sed ut me conservare voluistis, vel potius, ut me restituistis.

IN ORATIONEM PLANCIANAM

SCHOLIASTÆ AMBROSIANI

COMMENTARIUS

AB ANGELO MAIO EDITUS.

VIII. *Atinates, an* Tusculanos?

Ne hanc laudem nude impertiri Atinatibus arbitreris, quos ita extollit, ut illorum (1) malivolentiam deprimat.

IX. 1. Quibus e municipiis vix jam *qui* (2) carnem Latinis petant reperiuntur.

Oppida commemoraverat Lavicanum et Gabinium et Bovillas prope jam vacua et populi exiguitate deserta, quæ Laterensem non tantopere suffragiis suis potuerint adjuvare. Quod vero mentionem petendæ carnis fecit, pertinet ad consuetudinem sacri anniversarii. Nam latinæ feriæ a quo fuerint institutæ dissentiunt plerique auctores. Alii ab L. Tarquinio Prisco rege Romanorum (3)

(1) Nempe Tusculanorum.

(2) Supplevi *qui* ex editis.

(3) Gaspar Garatonius Tullianorum interpretum atque editorum nostra ætate facile princeps, quum, edito commentario in Plancianam superiore anno Bononiæ, sero denique Ambrosianum scholiastem a me detectum accepisset, additamenti loco quasdam libello suo attexuit perdoctas animadversiones, quarum a me in hac altera scholiastis editione nulla facienda est, nisi cum honore et cum grato animo commemoratio. Itaque primum hoc loco sapienter produxit Dion. Halic. Antiq. Roman. IV, 49, qui ei videtur non Priscum, sed Superbum Tarquinium feriarum latinarum auctorem facere. Et certe is locus Dionysii, si solus inspiciatur, eam sententiam facile suadeat, quam etiam recentiores Antiquitatum Rom. scriptores vulgo amplectuntur. Sed enim idem Dionys. VI, 95, ait : Ἐψηφίσατο θυσίας ἀποδοῦναι τοῖς Θεοῖς ἡ βουλὴ χαριστηρίους ἐπὶ ταῖς πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγαῖς, προσθεῖσα μίαν ἡμέραν ταῖς καλουμέναις Λατίναις ἑορταῖς, δυσὶν οὔσαις· τὴν μὲν πρώτην ἀνιερώσαντος βασιλέως Ταρκυνίου καθ' ὃν χρόνον ἐνίκησαν Τυῤῥηνούς· τὴν δὲ ἑτέραν τοῦ δήμου προσθέντος, ὅτε τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλὼν

existimabant (1), alii vero a Latinis priscis. Atque inter hos ipsos causa sacrificii non convenit. Nam quidam id initum (2) ex imperato Fauni contendunt. Nonnulli post obitum Latini regis *et* Æneæ, quod ii nusquam comparuerant (3). Itaque ipsis diebus ideo oscillare instituerunt, ut pendulis machinis agitarentur, quoniam eorum corpus in terris non esset repertum, ut animæ velut in aere quærerentur. Feriarum latinarum sacrificio solebat hoc observari, ut Hostia (4) *et* civitates adjacentes portiunculas carnis acciperent ex Albano monte secundum veterem superstitionem. Verum tam exiguum in illis civitatibus numerum hominum significat, ut desint etiam qui carnem petitum de solemni more mittantur.

2. Adjungamus, si vis, id quod tu huic obesse (5) etiam putas, patrem publicanum.

Transitus fit ad quæstiunculam, qua humilitas generis objiciebatur Plancio, ut (6) eapropter elargitus pecuniam videretur, quoniam consequi ædilitatem familiæ suæ dignitate non posset. Publi-

ἐλευθέραν τὴν πόλιν ἐποίησεν· αἷς ἡ τρίτη προσενεμήθη τῆς καθόδου τῶν ἀποςατῶν ἕνεκα. « Senatus ob pacem cum plebe factam diis sacrificia persolvere decrevit, addito uno die latinis feriis, quæ antea duobus tantum diebus celebrabantur. Primus quidem dies a Tarquinio rege consecratus fuerat post devictos Etruscos : alter a populo additus, postquam exactis regibus libertas urbi adserta est : tertius denique accessit ob reditum plebis a secessione ». Jamvero quis ignorat victorem celeberrimum Etruscorum fuisse Priscum ? qui et ab illis imperii insignia ultro oblata accepit, coronam auream, sellam eburneam, sceptrum cum aquila, amiculum purpureum cum securibus XII. Recolatur idem Dionysius, III, 61. Rem prolixius pertractare non hujus est loci. Nihil interim vetat, quin arbitremur ferias a Prisco olim institutas, solemniore deinde ritu a Superbo celebrari cœptas. Et quidem Ambrosianus interpres non tam suam quam aliorum opinionem refert de latinis feriis a Prisco Tarquinio institutis.

(1) Ita codex *existimabant*, sed videtur potius scribendum *existimant*.

(2) Cod. *initium*. Confer pro Sylla, 13, 2.

(3) Cod. *comparaverant*. De Æneæ quidem excessu vide Dionysium Halicarn. Ant. Rom. I, 64.

(4) *Hostia* urbs Latii scribitur interdum cum adspiratione. Sic apud Gruterum CCCCLIV, 10, *colonia Hostiensis*.

(5) Codex *abesse*. Sed mendum, nam Cicero, cap. 13, repetit *obesse*.

(6) Codex *ut ut*.

canorum itaque Tullius ordinem necessario adserit, qui tunc ex equestri ordine accedebant ad vectigalium redemptionem.

3. Quod fuerit publicanus, vel quod ab sociis unice diligebatur, vel quod diligentissime rogabat, vel quia pro filio supplicabat.

Cumulavit gratiam suffragantis de paterno etiam favore, cui publicanorum societas adfuerit, ut filius ejus ad obtinendam ædilitatem potius adjuvaretur.

X. 1. Aliquid præterea (timide dicam, sed tamen dicendum est) aliquid attulimus etiam nos.

Necessario temperavit, gratiam suam non mediocriter Plancio profuisse, quando vir consularis testimonium (1) beneficiorum in se collatorum perfidens, candidato multum potuerat promovere. Hoc vero ne esset insolens *et* superbum, præmisit allegationem verecundæ timiditatis.

2. Ultro mehercule (2) se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi.

Admirabiliter nec humilem se fecit in precibus, nec tamen plurimum adjuvisse testatus est. Sic et pro reo satis causæ facit, et dignitatis suæ ornamenta custodit: dicendo non defuisse preces suas, quibus populus verecunde obsequutus sit, ultro se etiam offerens gratiæ referendæ ad eum promptissime designandum, cui vir tam bene de rep. meritus suffragaretur.

3. Nec si vir amplissimus, cui nihil est quod roganti concedi non jure possit, de aliquo, ut dicis, non impetravit.

Sagacissime animadvertit quid a parte diversa posset opponi: non mirum si nihil (3) pro Plancio Tullius valuisse videatur, quum

(1) Fortasse corrigendum *testimonio*.

(2) Cod. *mercule*. At edd. *mehercules*. Ego scripsi *mehercule*: ita enim libentius se dixisse testatur ipse Cicero in Oratore, 47.

(3) Ita codex. Videtur tamen legendum, *mirum si aliquid*, ut recte monet Garatonius.

pro alio sibi conjunctissimo candidato vir (1) potentissimus nihil promoverit, quum illi designando studeret. Significare autem candidatum videtur T. Ampium (2), suffragatorem vero Cn. Pompeium: de quibus tam se quam Pompeio sic vult accipi Tullius suspicionem, ut ipse quidem pro Plancio valuerit miserabiliter et demisse petendo; Pompeius non item pro Tito Ampio, utique pro sublimitate nominis et potentiæ superbius hoc sibi apud populum vindicans (3).

4. Rogatio hæc semper est gratiosissima.

Quoniam *ambiguum* (4) verbum est, et interdum potest rogationem, id est, *legem nondum perlatam* (5), significare, idcirco hic admonendum lectorem putavi, *per* rogationem a Tullio quum maxime petitionem significari, quæ facta sit pro candidato.

5. An Minturnenses (6) coloni, quod C. Marium e civili ferro (7) atque ex impiis manibus eripuerunt.

(1) Cod. *viro.*

(2) De T. Ampio Pompeii studioso vide Cicer. ad Div. VI, 12; XIII, 70; ad Div. VIII, 11; Cæsar. Bell. Civ. III, 105; Patercul. II, 40. Porro ædilitatis repulsam tulisse Ampius videtur Garatonio. Itaque exemplum satis opportunum est huic causæ quam Plancio Laterensis excitavit ædilitatis repulsam passus.

(3) De Pompeio trudente candidatum comitiorum tempore, omnibus invitis, vide etiam ad Attic. I, 16.

(4) Spatium in codice fortasse explendum verbo *ambiguum.*

(5) Spatium in codice quod explevi ex conjectura. Et quidem totus locus videbatur corrigendus sic: *et interdum potest rogatio legem nondum perlatam significare.*

(6) Cod. *Minturnensem*, at editiones *Minturnenses.* In principe editione ego dedi *Minturnensium*, quæ lectio improbata est quidem a Garatonio, mihi tamen ferenda videbatur. Re autem vera *Minturnensium* (seu mavis *Minturnenses*) coloni Marium servaverunt. Ait quippe Cicero pro Sextio, 22: « Marium ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse ». Et quidem Plutarchus (in Mario ed. Londin. 1723, tom. II, p. 530) Marii servatorem diserte dicit λιμνουργὸν γέροντα, *paludis* Minturnensium *senem colonum.*

(7) *Ferro* habet codex melius, quam edd. *errore*, aut Ursinus *cruore*, quæ menda sunt.

Jam narratum a me hoc exemplum plenissime scio *de* C. Mario (1), qui Sullanis armis cedens cum filio in Minturnensium paludibus latuit. Inde emissus, quoniam non potuisset occidi, navigio impositus in Africam pervectus ad usque dirutæ Carthaginis fines. Inde armis Cinnanis in Italiam restitutus, et adeptus denique septimum consulatum.

6. Quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem.

Prudenter hoc suspendit, ne aut damnatus, aut exsul fuisse umquam videretur. Et vis enim proprior (*sic*) est injuriæ quam accusationi. Et ratio, qua se dicit maluisse Urbe recedere, respectum habuisse potest utilitatis publicæ, ne periculosa multis seditio moveretur.

XI. 1. Hic est enim qui adolescentulus cum Aulo Torquato profectus in Africam sic ab illo gravissimo viro dilectus est.

Ante acta (2) vitæ officia recensentur quadam subjecta *narratione* (3) numerante oratore quibus locis quibusque temporibus, et cujusmodi virorum judicio Cn. Planci mores comprobati sint. Quod ipsum statim vigilanter erga personam Torquati facit, cujus gravitatem et sanctimoniam non otiose testificatus est, sed quo magis Plancius ornaretur, quem familiariter ille dilexerit (4). Et quoniam Torquatus idem præsens non erat, in ejus patruelem conferendam putavit vicem testimonii, ut perinde haberetur, atque si adesset is, cujus validior esset auctoritas.

2. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini propinqui sui, miles hujus Q. Metelli.

(1) Fortasse interpres narraverat hoc de C. Mario ad orat. pro Sextio, 22, in quam se scripsisse commentarium, videtur innuere ad orat. in Vatin. 9, 5, quo loco vide et notam nostram.

(2) Ita cod. *ante acta*.

(3) Spatium in codice, quod replendum est vocabulo aliquo latino aut græco ex conjectura. Dic v. g. *narratione*.

(4) Cod. *dixerit*.

Quoniam gratiosum fuisse videri poterat, si adseveraret eum Saturnino propinquo suo placuisse; maluit ad judicium Q. Metelli confugere, ut vere cognitis virtutibus Planci existimaverit adolescentem per omnia spectatissimum. Significat autem Q. Metellum, qui Creticus cognominatus est, bello apud Cretam feliciter gesto. Omnia hæc sunt (1)...

3. Tribunus pl. fuit non fortasse tam vehemens, quam isti quos tu jure laudas, sed certe talis, quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus.

Nihil egerat in tribunatu suo Plancius aliqua præstanti laude dignissimum. Quin immo etiam videbatur hac potestate segnius functus. Quoniam nullas ergo virtutes eminentissimas habuit, quas de illo prædicaret, idcirco aliquid ei volens acquirere ad suspicionem ignaviæ repellendam, non tam vehemens, inquit, tribunus fuit quam ceteri. Et vivaciter conclusit: quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus. Id volens intelligi, per seditiosos et turbulentiss*imos* (2)...

XIII. 1... Hoc factum est... nec videlicet, quod sæpius iterat, valde impiam Laterensis propositionem, qui candidato plus impedimenti ex persona patris esse debuisse dixerit, quam favoris privilegio (3) naturæ. Quod autem de patre dicit, illud est: quum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut eum iis ratio putaretur lege Sempronia (4), et remissionis tantum fieret de sum-

(1) Spatium duorum versuum in codice vix ulla conjectura replendum.

(2) Desideratur folium in codice.

(3) Codex *pro regio*.

(4) Utrum intelligatur hic lex Sempronia *de ære alieno*, an potius *de fenore*, an *agraria*, an alia ex tot Semproniis legibus, id nos olim eruditis disquirendum permisimus. Nunc doctissimus Garatonius ad hujus orationis cap. 14, de lege Sempronia verba produxit Ciceronis in Verrem, III, 6: « Censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia ». Sed enim etiam Fronto, epist. 4, lib. II ad Verum, fortasse innuit eam legem his

ma pecunia, quantum æquitas postularet, pro quantitate damnorum quibus fuerant hostili incursione vexati (1). Adfuit igitur Cæsar causæ publicanorum. Cæsaris desideriis contradixit pro vigore duritiæ suæ M. Cato, et diem totum prolixitate orationis suæ occupavit, ut senatus decernendi spatium non haberet (2). Et id tempus ergo Laterensis denotaverat invidiosum Plancio esse debuisse, quo minus fieret ædilis, quando pater ejus quædam liberius et exertius adversus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset. Id revocat orator *ad* defensionem, licuisse dicens unicuique de suis injuriis libere conqueri.

2. Ego publicanorum in Q. Scævolam virum omnibus ingenio, justitia, integritate præstantem aspere

verbis : « Jam Gracchus Asiam locabat ». Leges Semproniæ memorantur etiam in loco quodam a Martiano Capella laudato lib. V, cap. « a specie vel a forma ». Contendit nihilominus Garatonius putandam non fuisse cum publicanis rationem Sempronia, sed Censoria lege. Mihi etsi multa veniebant in mentem quæ hac super re dissererem, tamen id unum dicam, manifestam videlicet veteris alicujus auctoritatem plerumque esse graviorem, quam recentiorum hominum, licet apprime doctorum, argumenta quæ huc illuc conjecturis trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem. Itaque ab interpretis Ambrosiani sententia nondum recedo. Præsertim quum ipse Garatonius locationes Tib. cujusdam Sempronii, censoris cum C. Claudio, memoret e Livio XLIII, 16.

(1) Præsertim bello Mithridatico. Hanc autem publicanorum petitionem, cui contradixit Cato, refert etiam Dio, XXXVIII, 7.

(2) Catonis orationem ἡμερησίαν memorat Plutarchus in Reip. Ger. Præcept. edit. Paris. 1624, tom. II, pag. 804 : Κάτων περὶ ὧν οὐκ ἤλπιζε πείσειν, τῷ προκατέχεσθαι χάρισι καὶ σπουδαῖς τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν, ἔλεγε τὴν ἡμέραν ὅλην ἀναστὰς, καὶ τὸν καιρὸν οὕτως ἐξέκρουε. « Cato quum gratia ac studiis præoccupato populo aut senatu, causam se posse obtinere desperaret, totam diem dicendo exegit, atque ita adversariis rei gerendæ tempus eripuit ». Valerius Maxim. II, 10, 7, ait : « M. Porcium Catonem admiratio fortis et sinceræ vitæ adeo venerabilem senatui fecit, ut quum, invito C. Cæsare consule, adversus publicanos dicendo in curia diem extraheret, et ob id ejus jussu a lictore in carcerem duceretur, etc. » At noster interpres narrat distincte altercationem Catonis cum Cæsare ante hujus consulatum in causa publicanorum, tum paullo inferius (XIV, 5) Cæsaris victoriam in consulatu. Igitur aut Valerius tempus ejus actionis perturbat, aut bis Cato diem in senatu extraxit contra Cæsarem dicens in causa publicanorum.

et ferociter dicta commemorem? Consuli P. Nasicæ præco Granius in medio foro, quum ille edicto justitio domum decedens rogasset Granium, quid tristis esset: an quod rejectæ auctiones essent? Immo vero, inquit, quod legationes (1).

Potentissime ab exemplis qualitas absoluta firmatur, licuisse Plancio seniori quædam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in Q. Scævolam omni virtute præstantissimum virum fiduciam suæ libertatis erexerint. Inde transcendit ad exemplum famosi quondam præconis Q. Granii et apprime dicacissimi, quem quum, edicto justitio, id est, prædicto in rep. tempore qui (2) nihil ageretur civilium negotiorum, Nasica consul compellavisset obvium sibi forte venientem, dixissetque joculariter (3): Grani quid tristis es? An quod auctiones rejectæ sunt? (Scimus enim præconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur; illo autem justitio nec ipsæ poterant exerceri.) Huic P. Scipioni e contrario non sine morsu stomachi respondisse Granium dicit: Immo ideo tristis sum, quod legationis (4) rejectæ sint. Voluit autem pudorem Nasicæ consulis perstringere hoc amarissimo dicto. Nam legationes ab externis populis missæ ad senatum solebant ordinari pro voluntate consulum: quas plerumque gratia, nonnumquam et accepta pecunia consules ordinabant, ut introduci ad senatum possent.

XIV. 1. Idem tribuno plebi potentissimo M. Druso.

Et hæc dicacitas præconis istius non minus urbanitatis habuisse videtur quam asperitatis. Nam M. Licinius (5) Drusus quum multa

(1) Optimam lectionem *legationes* pro vulgata *legiones* habet etiam codex Thuringius apud Grævium.

(2) *Qui* pro *quo*.

(3) Voce *joculariter* utitur Asconius ad Divin. in Verr. XI.

(4) *Legationis* pro *legationes* more antiquo, quod et alibi de similibus terminationibus notavi.

(5) Recte Garatonius notavit lapsum Ambrosiani interpretis (seu potius amanuensis) scribentis *Licinius* pro *Livius*. Et quidem *Livius* in Orat. I pro Cornelio est apud ipsum Asconium, quem nos auctorem Ambrosiani commentarii existimamus. Jam et ipse Asconius secum pugnavit,

seditiose in tribunatu suo contra quam esset reip. utile moliretur, adventantem Granium sic compellavit: Grani, quid agis? Ad hoc ille iisdem verbis, sed cum magna asperitate, respondit: Immo tu Druse, quid agis? hoc est, quæ et quam periculosa et quam patriæ metuenda conaris?

2. Nunc usque eo est oppressa nostra arrogantia civitas.

Caute factum est ita pronuntiando nostra arrogantia. Quoniam si vestra arrogantia vel quorumdam superbia dixisset non adfigendo sermoni suam societatem (1), aliquid offensæ apud quosdam præpotentes contrahere potuisset.

3. Ut quæ fuit olim præconi in ridendo, nunc equiti R. in plorando non sit concessa libertas.

Facta simul *comparatione* (2). Nam gravius deridebere *si* hoc *a* præcone dictum *sit* (3), quam *si* ab equite romano. Gravius præconem cum irrisione, quam romanum equitem cum dolore dixisse: quum dolor excusatus sit impetu cogentis injuriæ, risus immoderatam plerumque contumeliosæ audaciæ licentiam præferat.

4. Ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed aut contentione dicendi aut lacessitus, et quia, ut fit, in multis exit aliquando aliquid, si non perfacetum (4), attamen fortasse non rusticum, quod quisque dixit, me id dixisse dicunt.

quum ad orat. pro Scauro, 10 (editionis nostræ pag. 32), Dolabellam absolutum ait; contra ad Divin. VII, damnatum, ut quidem veteres Asconii editiones posteriorem locum habent: quem tamen codex Asconii Ambrosianus H. 100, part. inf. omittit, codex autem I, 91, part. sup. corruptum, ut recentiores editiones, exhibet.

(1) Codex *sermonem suæ societatem*, quod fortasse corrigi potest etiam *sermonem suæ societatis*.

(2) Spatium unius verbi explevi vocabulo *comparatione*.

(3) Codex, *nam gravius deridebere hoc precone dictum quam ab equite romano*.

(4) Mendum operarum fuit in priore mea editione *perfectum* pro *perfacetum*.

Et oratorie totum hoc explicat, invidiosius quasi de nimia libertate Cn. Plancii senioris quosdam loqui, quam veritas ipsa patiatur : ad quod obtinendum contra insimulationes inimicorum subnectit exemplum Cicero ipse de se, quem non ignoramus multum facetiis et urbanioribus dictis indulsisse (1), id quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus agnoscere (2). Hoc ergo ait : quoniam soleo quædam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere, idcirco plerique hujusmodi omne quod dicitur, etiamsi ab alio dictum sit, in me conferunt. Quare nihil mirum est, si quædam falso etiam de Plancii libertate jactentur.

5. Nam quod primus scivit (3) legem de publicanis tum quum vir amplissimus consul illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset.

Paullo supra loquutus sum nihil obtineri potuisse per C. Cæsarem, quum publicanis apud senatum patrocinaretur, contradicente scilicet M. Catone. Verum postea consul idem C. Cæsar legem tulit ad publicanorum commoda pertinentem (4) cui favore promptissimo (5) Cn. Plancii pater sine dubio adstitit, quoniam res utilitatis suæ agebatur. Hoc ergo quidquid esset reprehensionis removetur in ipsum Cæsarem legis auctorem nuper latæ (6).

XV. Nec enim quidquam aliud in hac lege, nisi edititios judices sequutus es.

Ad ea quæ sunt necessaria conclusis prioribus transit, et po-

(1) Cod. *induxisse*.

(2) Videtur hic indicare interpres se commentatum quoque esse in Verrinas. Porro exstant Asconii commentarii in illas orationes : quod roborat opinionem, nunc anonymum auctorem esse Asconium.

(3) Codex *scivi*.

(4) Confirmat Suetonius in Cæsare, 20, ubi de Cæsare consule primum ait : « Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit : ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit ». Recole superius XIII, 1, pag. 595, cum n. 2.

(5) Codex hic habet *proptissimo*, subducta littera *m* : at inferius XXXII, 1, *promtissimo*, subducta *p*.

(6) Codex *reperlatam*, quod fortasse retinendum sic, *re perlatæ*.

tuisse Laterensem de ambitu accusare significat, nisi maluisset idcirco reum lege Licinia facere, ut haberet judices editiios : de cujus forma *et* acerbitate jam sumus in argumento (1) praeloquuti. Differentia igitur accusatoris ostenditur ideo invadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo judices ex rejectione haberi soleant : æqualem scilicet numerum reicientibus tam accusatore quam reo. Verum specta licentius omnem contextum hujus (2)... ut intelligas oratorem more speciem quamdam... In modum præscriptivum facta senatusconsulti mentione quo (3), secundum legem Liciniam quatuor edi tribus ab accusatore voluerit, ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis jud*icum* (4)... haberet editionem. Tamen ab accusatore sic fieri voluisse, ut eas ederet quas corruptas a candidato crimi-naretur. Hic vero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam. Utique consulte, ne reo (5), a quo pecuniam sumpserant, favore (6) tacito patrocinarentur. Quasi negare itaque temptavit accusari (7) posse lege Licinia Plancium : quando sint aliæ tribus editæ, nec illæ potissimum quæ sumpsisse pecuniam dicerentur, et quas ideo vel maxime senatus edi voluisset (8) ut et judicarent, et testimonium vel contra reum vel pro reo ex ipsa veritate perhiberent, qui sine dubio quid esset apud tribules suos gestum, optime scirent.

XVI. 1. Apud eosque me, ne quinque quidem rejectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum est, cogas causam dicere.

(1) Interpretis nostri argumentum orationi huic præfixum amisimus, nam acephalus est commentarius. Verum locus satis patet ex ipso Cicerone, ejusque recentioribus interpretibus, quos vide. Erat autem lex Licinia de sodalitiis.

(2) Hoc et sequens spatium vacuum in codice : tum mendosa et corrupta lectio ac vix sanabilis.

(3) Codex *mentionem quæ.*

(4) Puto hic esse lacunam, quia pagina desinit *jud*, proxima autem incipit *haberet.*

(5) Cod. *reu.*

(6) Cod. *pavore.*

(7) Cod. *accusare.*

(8) Cod. *voluisse.*

Jam de sodalitiis causam dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone (1): cujus exemplo negat iniquitate (2) Laterensis esse Plancio permissum quinque saltem judices rejicere, quo manifesta sit improbitas obstinate connitentis inimici, ut reus innocens opprimatur conspiratione magis iniquorum judicum, quam criminis veritate convictus.

2. Non enim si aut Plancius ita vixit, ut offenderet sciens neminem, aut tu ita errasti, ut eos ederes imprudens, ut nos, invito te, tamen ad judices non ad carnifices veniremus, idcirco ista editio (3) per se non acerba est.

Periculosius aliquantum fuerat evectus, ut hoc dicendo, voluisti (4) Plancium, Laterensis, apud inimicos judices accusari, offenderet animos eorum qui erant de causa pronuntiaturi. Vigilanter itaque illum quidem hoc animi habuisse testatus est, ut reus iniquis judicibus uteretur: sed fortunam multo prosperius secundasse, ut viri spectatæ humanitatis et incorruptæ religionis in hanc cognitionem venirent, quæ innocenti reo obesse non posset. Judices ergo non læsit, et propositum malitiosi accusatoris ostendit.

XVII. An vero nuper clarissimi cives nomen edititium judicis non tulerunt?

Adhuc (5) eamdem, quantum rebus ipsis apparet, inculcat iniquitatem judicii, quod Laterensis ut ex edititiis haberet, maxime

(1) Hoc ipso anno, quo etiam Plancius defensus est. Nam Asconius ad orat. pro Scauro testatur Ciceronem dixisse pro Vatinio, L. Domitio Ænobarbo et Appio Claudio Pulchro coss. quorum in consulatu Plancius defensus creditur. Confer Cicer. ad Q. Fratr. III, 1, cap. 4, et vide Paulum Manutium in argumento hujus orationis pro Plancio.

(2) Cod. *iniquitatem*.

(3) Codex Britannicus apud Garatonium habet *conditio* pro *editio*: verum et illa lectio auctoritate Ambrosiani palimpsesti deprimitur.

(4) Codex habet *solvisti*.

(5) Codex *adhunc*.

laboraverat. Et hac in parte commemorationem videtur facere Tullius ejus temporis quo ser......

XXVI. 1..... partim malitiosis fraudibus deprehensum. Ideo tantum negavit ab se statim puniri, quod iratus esset. Quippe vir sapientia præditus altiore non putavit judicii futurum quidquid fecisset iratus (1).

2. Non vereor ne mihi aliquid, judices, videar arrogare, si de quæstura mea dixero.

Vt se Laterensis ostenderet ædilitate fuisse Plancio digniorem, commemoraverat se apud Præneste ludos edidisse: Cyrenis etiam summa liberalitate in publicanos egisse: in socios fuisse denique justissimum. Quæ omnia jactantius ab illo dicta quam eleganter elevet et abjiciat M. Tullius consideremus. Persuadere vult namque omnia illa quæ foris gesserit, apud conscientiam populi R. latere potuisse. Ac ne acerbius animum læderet audientis, de quæstura sua egit non sine figura *comparationis* (2). Quod quum Lilybæo (3) decedens Puteolos adventasset, omnes eum ignoraverint primo ex ex provincia, tunc (4) deinde ex Sicilia, ad (5) extremum ex Lilybætana (6) venire. Quibus ipse varia sciscitantibus novissime cum permixtione quadam stomachi responderit, se ad aquas potius in Campaniam venisse, ut interrogationes ipsorum ab se respueret, quos moleste ferebat ignaros esse quæsturæ, quam se meminerat magna cum laude gessisse. Proficit ad illam responsionem multa Romæ ignorari quæ foris gesta sunt a senatoribus: ac propterea Laterensem frustra in illis, quæ extra Urbem gesserat, habuisse

(1) Quare apud Ciceronem, Tusc. IV, 36: « Illud laudatur Archytæ, qui quum villico factus esset iratior, quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem? » Noster porro interpres videtur aliquid lucis aspergere loco hujus orationis, cap. 26, subobscuro: « Jubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabis fuisse ».

(2) Spatiolum in codice, quod sic replevi ex conjectura.

(3) Cod. *Libyæ*.

(4) Ita cod. *tunc*.

(5) Cod. pro *ad* habet *de*.

(6) Cod. *Lilybituna*.

fiduciam. In extremo tamen fine hujus capitis aliquanto obscurius dixit:

XXVII. 1. Sed ea res, judices, haud scio an pluris mihi fuerit, quam si mihi tum essent omnes gratulati.

Hoc ait, magis lætatus sum ignorasse multos ex qua provincia venirem, *quam* si venienti mihi gratularentur. Perstringere enim voluit invidiam præsidum, qui spoliatis provinciis revertantur: ac propterea eos amici sui cum gratulatione suscipiant, quod divites evenerint.

2. Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam: hoc facilior fortasse, quod ego huc a me ortus et per me nixus ascendi.

Nota gratificationem molestam et cum magnis amaritudinis aculeis interpositam. Dicens namque non aliter ad honores adipiscendos perventurum esse Laterensem, quem (1) Tullius ipse (2)... de... Subjunxit testificando, se non generis nobilitate, sed virtute ad omnis magistratus pervenisse. Laterensem hoc amplius adjumenti habiturum, quod nobili familia ortus in candidam veniat. Sibi ergo adjudicavit non lænocinia (3) generis, sed præstantiam virtutis: illi vero spem de Majoribus dedit, quod suffragium scimus esse fortunæ.

XXVIII. 1. Quamquam dissimilis est pecuniæ (4) debitio et gratiæ.

..... qui aggreditur quæ proficient et ad conjecturæ statum et ad illum compellativum. Nam (5).... valebit gratia Ciceronis ipsius et eorum qui propter illum Plancio fuerint adjumento ad

(1) Ita cod. *quem*, sed videtur corrigendum *quam*.

(2) Spatia vacua in codice.

(3) Sic cod. *lænocinia*.

(4) Cod. *fortunæ*, sed corrigendum fuit *pecuniæ*: nam sic habent edd. et sic legit inferius noster interpres.

(5) Spatium, tum sequitur *valebit*, etc.

impetrandam ædilitatem. Nec non etiam per hoc (1).... id est, compensatio exhibebitur, ut judices reo maxime prodesse patiantur ad impunitatem præsentis hujusce discriminis ea beneficia quæ Ciceroni præbuerit exsulanti, ut haberet in integro civem patria quem reposceret. Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod debitionem pecuniæ dixit (2).

2. Gratiam autem et qui refert habet : et qui habet, in (3) eo ipso quod habet, refert.

Locus etsi generalis de animi religione, qui debitam pro beneficio gratiam referat, tamen causæ præsenti plurimum patrocinabitur ad favorem copiosius ratiocinanti M. Tullio. Nec non etiam juxta præcepta sapientium, qui animos ingratorum non parum cuidam crimini obnoxios arbitrantur, quando et parentibus et amicis et protectoribus salutis nostræ hoc testimonium debeamus, *ut* nos in quantum *fieri* potest gratos approbare velimus (4). De Officiis idem, libro I (5), sic ait : « Quod si ea quæ utenda acce« peris, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus, « quidnam beneficio provocati facere debemus ? » Accedit hoc etiam, quod genus maximi criminis apud Persas fuisse traditur, siqui exstitisset ingratus, meminitque rei Xenophon, Κύρου παιδείας (6) libro primo (7) secundum hæc verba conscribens : Δικά-

(1) Spatium.

(2) Confer Cicer. de Offic. II, 20, nec non post Red. ad Quir. 10. Ceterum Ambrosiano interpreti nova non videtur (quod reprehendebat Garatonius), sed notanda vox *debitio*. Quod autem apud Gellium, I, 4, de ea subtiliter disseritur, id favet judicio interpretis Ambrosiani, qui eamdem observatione dignam pronuntiavit.

(3) Desunt in codice verba *et qui habet, in.*

(4) Codex *hoc testimonium debeamus, nos in quantum potest gratos approbare possimus.*

(5) Cap. 15.

(6) Tam hæc quam sequentia verba græca absunt a codice, relicto spatio vacuo. Hoc mihi augebat suspicionem, librarium græcæ linguæ ignarum omisisse verba græca commentarii hic et alibi, relictis spatiis, ut ibi scriberentur deinde a græce perito. Vide tamen inferius in hac oratione, 35, 2.

(7) Cap. 11, ff. 7.

ζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος, οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας· καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς· οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους, καὶ περὶ Θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν καὶ περὶ γονέας· καὶ πατρίδα, καὶ φίλους...gatum velit emere beneficium, quod non acceperit confitendo.

XXX. 1. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, et se ab aliquo servatos esse fateantur.

Inductionem solertissime facit ex iis militibus qui protecti a commilitonibus suis veluti testimonium gratiæ referant, iisdem coronam civicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam (1). Et mire extenuavit, gregarium militem dicendo invitum hoc facere, ut offerens coronam civicam debitorem beneficii *se* constituat. Quod igitur anxie et moleste gregarius miles patitur, id, nullis acceptis beneficiis, onus verecundiæ suæ non imponeret vir (2) consularis.

2. Nolo cetera quæ a me mandata sunt literis recitare.

(1) *Civicam coronam* dicit noster interpres fuisse e gramine. Graminea fuit quidem *obsidionalis*, sed de *civica* scribit Plinius, XVI, cap. 5 : « Civica iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumque et cum quercu est, ac data ubique, quæ fuerat, custodito tamen honore glandis ». Quernam aut ilignam fuisse *civicam coronam* testatur etiam Gellius, V, 6. Sed nostri interpretis, præsertim si is est Asconius, non levis auctoritas est. Verumtamen etiamsi hoc loco interpres coronam civicam minus recte *gramineam* dixisset, meminerimus errores nonnullos ipsius etiam Asconii a criticis notari. Loci autem in quibus reprehenditur Asconius sunt Divin. in Verr. 3 et 7; Act. I in eumdem, Verr. 13; lib. I, 10 et 54; lib. II, 4 et 5. Vide editionem Asconii Lugd. Batav. an. 1675, p. 209, 218, 225, 255, 262, 266. Errorem contrarium peccat Plinius, XVI, c. 5, dicens *frondeam* coronam obsidionalem, de qua ibi loquitur : quam tamen lib. XXII, cap. 4, recte *gramineam* idem vocavit. Vide Paschalium de Coronis, lib. VII, 16. Inspicienda item sunt quæ Garatonius ad hunc locum disputat de *gramineis hastis*, quarum meminit Cicero in Verrem, IV, 56.

(2) Cod. *imponeretur consularis.*

Suffecerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit (1). Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in judiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de is (2) tacere. Nam de consulatu suo scripsit poetico metro, quæ mihi videntur opera minus digna talis viri nomine (3).

XXXI. 1. Nam istius verbi, QUOUSQUE poterat hæc esse invidia. Datus est tibi ille : non facis finem.

.... Unde quo minus impudens videretur hæc compensativa defensio, dicente Laterense, quousque vis servatos esse quos diligis? Et pro Cispio causam dicente sic rogasti, et precibus tuis ambitum pæne movisti; opposuit acutissimam responsionem, merito hæc ab eo dici (4) potuisse *quem Urbs* Romulo *compar*asset (5). Porro autem quum pro Cispio non obtinuerit, vel pro hoc obtinere debere, qui et innocens sit, et de salutis suæ conservatione bene meritus. Animadverte quo modestiæ temperamento hæc exsequatur, ut nihil impudentiæ, multum religionis habeat oratio.

2. Sic enim dixisti: vidi ego tuam lacrymulam.

(1) Considerent hunc etiam locum ii recentiores critici, licet summi, qui orationes post Red. in Sen. et ad Quir. Ciceroni abjudicant.

(2) Ita cod. *is*. Est autem vel pro *his*, uti nobis videbatur ad orat. pro Tullio, 3, vel pro *iis*, veluti *idem* pro *iidem* in orat. in Clod. et Cur. 5, 4. Sane constat, veteres iotacismi vitandi causa pronuntiasse sæpe unam *i* pro duabus. Vide Quintilian. Instit. I, 5, ibique notas, nec non Isidor. Etym. I, 32.

(3) Haud ita loquitur noster interpres, quod forte putet spurium illud Ciceronis poema. Nam ipse Cicero ex eo versus 78 inseruit libro I, de Divinatione, præter Servii auctoritatem ad Virgilii Eclog. VIII, 106. Hoc tantum interpres significat, non videri sibi opera poetica æque digna Cicerone, ac ea quæ soluta oratione scripta sunt: quod facile quivis concedet.

(4) Ita cod. *dici*

(5) Cod. videtur habere *impetrasset*. Romulo autem comparatus est Cicero, quum ob oppressam Catilinæ conjurationem *patris patriæ* nomen obtinuit. Vide Plinium, VII, cap. 31; Juvenal. Satyr. VIII, 244; Plutarchum in Cicerone.

Laterensis in Tullium dixerat epilogos ejus irridens, quos eum constat nimium flebiles et miserationis plenos in judiciis semper habuisse. Et in Oratore suo eamdem affectuum movendorum sibi præstantiam vindicavit (1). Ac ne hæc lenocinia potius adhibere fallendis judicibus, quam vere secundum animi sui motum facere existimetur, adseverat Cispium hoc suæ orationis affectu non indignum fuisse, cum quo (2) post amicitiæ reconciliationem ita participatu fortunæ suæ dolorem senserit, ut impense diligi meretur(3).

XXXII. 1. Sed me quum tantum jam Plancio deberem Racili beneficii (4) fuisse contentum.

Extenuaturus merita Cn. Plaucii quæ intulisse in M. Tullium videretur, de L. etiam Racilio quædam Laterensis commemoraverat, qui magis adjumento Ciceroni fuisse videatur (5), quum Plancius in tribunatu suo non tantopere sit pro ejusdem restitutione connisus. Ne hoc igitur ei deesset (6) ad gratiam, confitetur, animo promptissimo etiam hunc Plancium erga restitutionem suam fuisse. Sed quoniam omnia per Racilium videbantur impleta, non expetisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quæstura Macedonica præstitisset. Exstat autem libellus ejusdem Ciceronis, qui ita inscribitur: EDICTUM LUCII RACILII TRIBUNI

(1) In Oratore, 37, 38. Ita de se Tullius: « Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant... Miseratione nos ita dolenter uti solemus, ut puerum infantem in manibus perorantem tenuerimus: ut alia in causa, excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo, plangore et lamentatione compleremus forum ».

(2) Videtur corrigendum *quum is*. Nam Cispius exsulis Ciceronis misertus fuerat, ut vides in hoc loco orationis.

(3) Codex *meretur*.

(4) Nota lectionem diversam ab ante edita *beneficiis* vel *beneficio*. Nota etiam *contentum* cum genitivo: cujus syntaxeos exempla apud Livium, Ovidium, Paterculum, Curtium, Apuleium, Justinum, Digesta, Dictymque Creteusem laudantur a Vossio de Gramm. VII, 2; ab Heinsio ad Patercul. II, 88, et a Forcellino in Lexico. Quare hanc locutionem in Ambrosiano palimpsesto nullatenus mendosam existimo.

(5) Malim *videbatur*.

(6) Cod. *deesse*.

PLEBI (1), quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit in invectionem P. Clodii.

2. Illo SC. quod in monumento Marii factum est.

In templo scilicet Honoris et Virtutis, in quo actum primum videtur de restitutione Ciceronis (2).

3. Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser, nam hoc quidem abhorret a virtute verbum, sed certe exercitus.

Hanc sententiam secundum illos philosophos intulit, qui existimaverunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros (3) existimandos : ac si quid adversi prudentibus eveniret, non pœnam magis et calamitatem, quam exercitationem esse fortunæ.

XXXIV. 1. Hic etiam addidisti me idcirco mea lege exsilio ambitum sanxisse (4), ut miserabiliores epilogos possem dicere.

(1) Nota opusculum deperditum, immo prorsus, quod sciam, inauditum Ciceronis. L. Racilius tribunatum iniit cum Plancio aliisque anno exeunte quo Cicero ab exsilio revocatus est, gessitque anno sequente, nempe Marcellino et Philippo consulibus. Belle ad hunc locum faciunt quæ Cicero scribit ad Q. Fratrem, lib. II, ep. 1 : « Racilius surrexit, et de judiciis referre cœpit. Marcellinum quidem primum rogavit. Is quum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, etc. Postea Racilius de privatis me primum sententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore latrocinioque P. Clodii : eum, tamquam reum, accusavi multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus, etc. Tum Clodius rogatus diem dicendo eximere cœpit : furebat a Racilio se contumaciter inurbaneque vexatum, etc. De tribunis plebis longe optimum Racilium habemus. Plancius totus noster est ».

(2) Egregio sane consilio Garatonius ædem Honoris atque Virtutis Marianam, scripta peculiari diatriba, distinxit denique a Marcelliana ejusdem appellationis. Nam antea quidem ea res mihi et aliis, etiam veteribus, tenebras offuderat. Usus est autem vir doctissimus ad eam distinctionem firmandam duplici Vitruvii loco libri III, 1, et libri septimi proœmio non procul a fine. His accedit denique egregius noster interpres Ambrosianus.

(3) Cod. *numquam non miseros existimandos.*

(4) Hinc corrigantur illæ editiones, in quibus corruptissime legitur,

Varia cavillatione Laterensis exercuerat asperitatem stomachi sui in M. Tullium, ut etiam ea, quibus illius oratio maxime floruit, elevare (1)... perseveraret. Nec ignoramus auctore ipso Cicerone et C. Antonio cons. legem severiorem de puniendo ambitu scriptam, cujus meminit pro Murena (2). Nam clementior aliquatenus videbatur lex fuisse Calpurnia. Hic ergo mutuatus est occasiunculam quamdam amarius lacessendi, ut videretur atrociorem pœnam eapropter adversus ambitum decrevisse, ut pro reis multo lacrymosius peroraret. Non minus tamen urbane et ipse respondet, denotans nimiam Laterensis et immoderatam contumeliosæ audaciæ insulsitatem dicendo :

2. Sed hæc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti.

Ut hæc immodica creber fuisti, et ab impudentiæ temeritate venientia (3)...

3. Rhodi enim, inquit, ego (4) non fui. Me vult fuisse.

Et verissime constat in prima adolescentia Rhodum navigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua (5) insigniter præstitit, erudiretur apud notissimum rhetora et magistrum illius ætatis Apollonium (6). *Hic* est qui Molo cognominatus est.

ex isto ambitu traxisse. Notetur etiam *sanxisse*, quum pro Sulla, V, 5, codex habuerit *sanserunt*.

(1) Spatium est in codice unius vocabuli.

(2) Recole interpretem ad orat. pro Sulla, V, 5, supra p. 73, ibique notam.

(3) Locus mutilus, ut videtur, quamvis nullo relicto spatio.

(4) Cum Ambrosiano etiam Bavaricus codex addit pronomen *ego* apud Garatonium.

(5) Cod. *in quam*.

(6) Rem narrat ipse Tullius in Bruto, 91 : « Rhodum veni, meque ad eumdem, quem Romæ audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis, animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos, et super-

4. In eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderem (1): utinam et tu qui potes, et ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc levare!

Mira cum verecundia et moderatione et ceterorum ingenia depressit, et suam in dicendo præstantiam omnibus anteposuit, quando graviores causas illi declinaverint, non sufficientes implendæ defensioni, ipse vero confidentissime susceperit: quo agente reus innocens indubitatam sibi spem victoriæ polliceretur.

5. Admonefecisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod in petitionem tuam (2) dici potuisse.

Ad Scolastica*m* levitate*m et* quasi mimica*m* spectat (3) hujusmodi locus. M. Tullium videbatur denotasse Laterensis, quod multa quæ facetius dici possent cum aliqua figurandi subtilitate (4) non prætermitteret. Itaque hoc eum dicto perstrinxerat, habuisse materiam de vocabulo Cretæ insulæ aliquid in se jlocaliter dicendi, nec tamen id excogitasse. Constabat enim Laterensem fuisse in Creta provincia. Et solebant omnes candidati alba creta oblinir cervicem (5), ut populo notabiliores essent. Ergo dicit eum jocari po-

fluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret ».

(1) Cum Ambrosiano habent *defenderem* codices duo apud Garatonium: at editiones *defenderim*.

(2) Edd. *in petitione tua.* Codex Ambrosianus mendose *in petitione tum.* Veram lectionem exhibet apud Garatonium Bavaricus *in petitionem tuam.*

(3) Codex *scolastica levitate quasi nimica spectante.* Porro quod attinet ad vocabulum *scolastica*, id sine adspiratione scribitur, sive mendose, sive etiam de industria. Cicero quidem in Oratore, 48, ait: « Quin ego ipse, quum scirem ita majores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem* dicerem: aliquando, idque sero, convicio aurium, quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi». Vide Quintil. Inst. I, 5.

(4) Cod. *suptilitati.*

(5) Nota morem candidatorum obliniendi cervicem creta: nam plerique antiquarii togam utique, sed non cervicem creta oblitam a petitoribus narrant.

tuisse, si ad hoc adjecisset ingenium, ut id inveniret quod poterat occurrere. Sed acute rapuit ex eodem proposito validam responsionem, ut magis eum cupidum lacessendi ostenderet, qui sibi ea ultro suggereret quæ potuisse dici fateretur, nec tamen dicta sint.

6. Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse, quod mihi meæ, quas ad aliquem misissem, obfuissent.

Hæc omnia non ad reum sed ad omnem (1) Ciceronem pertinent, quasi asperius a Laterense proposita. Nam significat epistolam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam DE REBUS SUIS IN CONSULATU GESTIS miserat Cicero (2) aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret : quod quadam superbiore jactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult

(1) Ita perspicue codex *omnem*.

(2) Hanc quoque longam Ciceronis epistolam (seu epistulam vetere scriptura) injuria temporum amisimus : sed ejus certe notitia et apud nostrum interpretem superest, et, ut recte notavit Garatonius, apud ipsum Ciceronem pro Sulla, 24, his verbis : « Hic tu epistolam meam sæpe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis, et de summa republica misi ». Nunc exstat tantum brevis Ciceronis epistola ad Pompeium (lib. V, epist. 7, ad Div.) qua ei in Asia degenti gratulatur de Mithridate victo, et simul expostulat, quod in literis quas ad se misisset, nullam sibi rerum contra Catilinam in suo consulatu gestarum gratulationem significasset. Nimirum Pompeius priorem illam Ciceronis gloriosam epistolam moleste ferens frigide admodum tum responderat, et nullum ei deinceps contra Clodianam vim patrocinium exhibuit. Cicero tamen, Philipp. II, 5, ait : « Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit : qui ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit ». Quod si vere narrat Cicero, id a Pompeio stomachante licet Ciceronis jactantiam, urbanitatis tamen causa factum fuit. Confer etiam de Offic. I, 22. Quod vero Garatonius multis Tullii locis congestis negare nititur Pompeium ob eas literas iratum oratori fuisse, adeoque scholiastem peccare; id quidem argumento est, nihil fere esse de quo docti homines controversari inter se nequeant. Ego tamen more meo (quod dixi superius ad hanc orationem 13, 1, n. 3), vetustiorum hominum opiniones libentius amplector.

esse purgatum, dicens nuntiasse Cn. Pompeio patriæ conservationem, nec inscienter de semetipso gloriatum. Obfuerunt autem re vera : nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur.

XXXV. 1. Quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit.

Hæc jam sæpius dicta sunt de Pisone et Gabinio (1) qui actionibus P. Clodii tribuni pl. in perniciem M. Tullii consenserant, habituri provincias *Piso* Macedoniam, Gabinius Syriam. Sed hic *alterum* exercitum perditum a Pisone, alterum a Gabinio venisse significat : scilicet quod regem Ptolemæum, acceptis decem millibus talentum, per vim militarem exercitus romani restituisset in regnum suum. Et simul in hoc epiciremate (2) adhibet eumdem colorem jam sibi in multis orationibus frequentatum, idcirco decedere urbe maluisse, ne quid seditiosæ dimicationis cum multorum exitio moveretur.

2. Quem quidem saltator ille Catilinæ consul proscriptionis denuntiatione terrebat.

ἰδίως (3) pro stomachi sui acerbitate Gabinium lacerat quasi famosæ impudicitiæ : quem minitatum proscriptionem equestri ordini eapropter dicit, quod illius edicto (4) fuisset Læ-

(1) Confer pro Domo, 11 ; pro Sextio, 10 ; de Provinc. Cons. II ; in Pisonem, 12.

(2) Ita sine adspiratione pro *epichiremate*. Recole superius 34, 5, cum n. 2.

(3) Dixi ad argumentum orationis in Clodium et Cur. n. 2, scriptorem hujus codicis omittere græca verba : idque patet evidentius in hac ipsa oratione, cap. 28, 2, ubi totus textus Xenophontis prætermittebatur, relicto spatio. Hoc tamen loco mihi plane videor legere ἰδίως, quod adverbium hic ad rem facit.

(4) Cod. *dicto*. Sed correxi *edicto*, quum ad orat. in Pisonem, 10, scribat Asconius : « L. Lamiam à Gabinio consule edicto relegatum esse jam diximus ». Ubi observa novum argumentum comprobans, interpretem hunc nostrum revera esse Asconium. Nam quod is ad orat. in Pison. memorat se jam dixisse, hoc videlicet in loco nunc nobis occurrit. Favent autem emendationi meæ loci etiam a Garatonio producti Tullii pro Sextio

lius (1) eques R. cui familiaris amicitia cum M. Tullio fuerat, relegatus.

XXXVI. Justissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloriæ laude superavit.

Quum semetipsum præpositurus sit Q. Metello Numidico, et illum tamen copiosissime laudat, et ad quoddam egregium specimen virtutis amplificat : quod maluerit in exsilium (2), quam jurare in agrariam legem tribuni pl. Apuleii Saturnini (3). Verum sibi, ut cœperam dicere, ipse Tullius maximam laudem præstruxit, qui ad tutelam salutis publicæ patientiam discessus illius, quamvis non mediocri cum dolore, susceperit. Ut multo sit laudabilior Metello, qui non tam pro vigore sententiæ suæ.....................

....

XLI. 1. *miserabiliter* intelligatur, qualis ferme lugentium mœror est, quos impetus nimiæ caritatis exagitat.

2. Thessalonicam me in quæstoriumque perduxit.

Hospitium quæstoris significans proprie secundum vocabulum magistratus, etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem omnia, in quibus variæ dignitatis præsides habitent, prætoria nominantur.

XLII. 1. Siquidem ego tibi vivus non prosum, qui fortasse mortuus profuissem.

de hoc ipso Lamia, cap. 12 : « L. Lamiam in concione relegavit (Gabinius consul) edixitque ut ab urbe abesset millia passuum ducenta ». Tum 13 : « Exterminabit cives romanos edicto consul a suis diis penatibus ? »

(1) Cod. evidenter *Lælius* non *L. Ælius*. At in Pison. 27, dicitur *L. Ælius*. Alibi sæpe meminit hujus viri et facinoris Cicero, nempe post Red. in Sen. 5; pro Sextio, 12 ; et ad Div. XI, 16, 17 ; XII, 29, quibus in locis scribit vel *L. Lamiam*, vel *Lamiam*. Asconius item loco laudato in nota superiore nuncupat *L. Lamiam*. Quoniam igitur prænomen *Lucii* sæpe huic viro tribuitur, nuncupetur sane integre *L. Ælius Lamia*. Et quidem facilis fuit illa separatio *L. Ælius* pro *Lælius*.

(2) Nempe *ire*.

(3) De Saturnini lege agraria et Metelli exsilio lege Appianum Bell. Civ. I, 29.

Lacrymosas excubias deplorat (1) .... affectus animi sui cum varia miseratione provolvens (2), ut tantum auxilii reus habeat, quantum suo dolori patronus adjecerit.

2. Salutem tibi idem (3) dare possunt qui mihi reddiderunt.

Eximius locus (4) ad permovendos judices. Procliviorem facit impetrandi facilitatem, constituens in eorum misericordia firmamentum salutis Cn. Plancii, per quos ipse sit reditum consequutus Ita eleganter et pro se gratias agit, et huic pares humanitatis eventus deprecatur.

3. Mecum vos simul hic miserrimus et optimus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur.

Valde copulatis utrimque personis et in patre sine dubio plurimum constituit miserationis, et sibi eamdem vim sollicitudinis vindicavit: quasi uterque Cn. Plancio pater sit, alter natura, alter officio gratiosus.

(1) Cod. corrupte *lacrim... sis teg... xubiam... orat.*
(2) Cod. *proluens.*
(3) *Idem* pro *iidem.*
(4) Cod. *nimis hos ad permovendos judices.*

Explicit oratio.

EXCURSUS I
GASPARIS GARATONII

Ad ea verba Ciceronis, orat. pro Cn. Plancio, cap. 14 :

Quod primus scivit legem de publicanis tum, quum vir amplissimus consul id illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset.

In Ambros. *id* omittitur. Me vero scholiastes adducit, ut rem hanc a Manutio levius expositam clariore quadam luce perfundam. Initium luculenter ab ipso Tullio præbetur ad Attic. I, 17 : « Ecce aliæ deliciæ equitum vix ferendæ, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse : ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in adjutoribus, atque adeo secundus : nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio, et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis, perfectumque, ut frequentissimo senatu, et libentissimo uterentur : multaque a me de ordinum dignitate, et concordia dicta sunt kalend. decembr. et postridie : neque adhuc confecta res est, sed voluntas senatus perspecta. Unus enim contradixerat Metellus consul designatus. Quin erat dicturus, ad quem propter diei brevitatem perventum non est, heros ille noster Cato». Hic tamen paullo post acerrime contradixit : nam kalend. februar. anni sequentis ep. 18 : « unus, inquit, est, qui remp. curet, constantia magis, et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio, aut ingenio, Cato : qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium jam mensem vexat, neque

iis a senatu responsum dari patitur ». De hac injuria Plancium patrem conquerentem paullo supra Cicero excusat : « quum senatus impediretur, quominus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus romanis redderetur, etc. » Catonem vero ipsum reprehendit de Offic. III, 22 : « Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi : nimis mihi præfracte videbatur ærarium, vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare ». Ibi minus adcurata Heusingeri est adnotatio (1). Toto denique illo anno nihil publicanis responsi datum, Catone et consule Metello impedientibus; quamquam C. Cæsar cum Crasso et Cicerone *adfuit*, ut docet scholiastes, *causæ publicanorum*, inter eos, quos *adjutores* Cicero appellat. Quoties igitur ea res agebatur, quod sæpe factum ait Dio, XXXVIII, 7, Cato dicendo eximebat diem : neque enim aliud facere poterat. Tandem anno 694 consulatum inivit Cæsar, neque tamen in senatu confecta res est : sive Cato etiam tum *pristina consuetudine dicendi mora diem extraxerit*, ut in alia re de Catone Cæsar ipse, Bell. Civ. I, 32, postea scripsit : sive potius hac de re nihil retulerit, ut ex Dione, Appiano, Suetonioque conficitur, consul in populari ratione vehementissimus. Valerius Maximus, II, 10, 7, ex omni antiquitate unus est, qui *Catonem adversus publicanos in Curia dicendo diem extrahentem* narret a Cæsare consule prehendi jussum, eumque universo senatu prosequente, pudore dimissum. Sed potior est mihi Dionis auctoritas, qui libri illius initio adcurate acta Cæsaris in consulatu recenset, et cap. 3, id evenisse tum scribit, quum de agraria lege in senatu ageretur, quæ res erat multo gravissima. Plutarchus adstipulatur in Catonis vita, cap. 33; sed rostra male curiæ substituit, erroremque ipse suum prodit, dum senatus Catonem prosequentis mentionem facit, qui certe non coibat in foro. Ateius quoque Capito apud Gellium, IV, 10, qui rem, de qua consu-

(1) Accurate locum istum nunc tractavit Beierus V. Cl. Or.

leretur, non indicat, tamen in senatu gestam esse testatur. Errat igitur in loco Plutarchus, in causa, ut opinor, Valerius : quem quidem haud semel negligentia lapsum deprehendi. Conversus igitur ad populum Cæsar legem hanc facile pertulit, qua non, ut postulatum erat initio, locationem induxit, sed tertiam mercedum partem remisit. Quid ita? quia recens poterat locatio rescindi : elapso autem fere biennio, jam id non erat integrum : quo quidem tempore accepti, et soluti ratio constabat. Itaque hoc videntur tempus respicere Suetonius in Cæsar. cap. 20 ; Dio, loc. cit. et Appianus, Civil. II, 13, dum a publicanis *remissionem*, ἐκδικίαν, ἄφεσιν postulatam dicunt. Suetonius vero addit, Cæsarem, « ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur (publicanos et equestrem ordinem) propalam monuisse ». Ergo petendi causa permansit, quæ a primo fuit exposita. Sed ab his vehementer dissentit scholiastes, aliamque docte causam patefacit. « Quum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia, et remissionis tantum fieret de summa pecuniæ, quantum æquitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione vexati » Quod Plancii patrem publicanorum appellat principem, bene est : nam Cicero, cap. 13, « inter suos principem » dicit : immo etiam hoc capite extremo, « hunc a summo viro principem esse ordinis judicatum, » nempe ut ex CXXV, cap. 17 : « judicibus, principibus equestris ordinis ». De lege illa Sempronia singularis est locus in Verr. III, 6, quo provinciis, « aut, inquit, impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, et plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli, aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia ». Quum igitur hi publicani, quos generatim ceteri nominant, *Asiani*, ut vidimus, a Tullio vocentur, et de censoribus conduxisse dicantur,

consequitur unam illam societatem fuisse, quæ Asiæ vectigalia ex lege Sempronia conduxerit. Neque tamen ea lege ratio putanda erat, sed omnino *lege censoria*, qua nempe censores Semproniam sequuti vectigalia illa locaverant: de qua tum alii JCti, tum egit abunde Brissonius de Formul. VI, 81. Egregia est in rem nostram insectatio Gabinii de Prov. Cons. cap. 5: « Videtis, P. C. non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii pæne afflictos jam, atque eversos publicanos: quibus quidem vos in his angustiis ærarii tamen subveniatis, necesse est... An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? » Æqua postulatio, quam si redemptores illi fecissent Asiatici, Cato ipse non oppugnasset. Quem tamen hoc etiam nomine reprehendit Casaubonus ad Suet. loc. cit. quasi bello Mithridatico afflicti egerint lege censoria. Summo viro scholiastes nunc auctor exoritur, ut divinasse propemodum videatur. Sed commentitium hoc esse, testis certissimus, quem produximus, Cicero docet. Quis autem publicanos existimet causam deteriorem, immo *turpem*, allaturos fuisse, quam patronus ipse damnabat, si justam, legitimam, usitatamque habuissent? qui porro habere poterant, quum bello Mithridatico exstincto, reversoque ad triumphum Pompeio, Asiæ vectigalia conduxerint? Nam locatio facta eodem anno fuit, quo postulatio, 692, quod ante me Pighius Annal. t. III, p. 337, ex Tullii narratione consequi tam certum habuit, ut ejus rei causa censores novos in illum annum induxerit, quorum nomina ignoremus. Atqui necesse non erat. Si etenim lustrum postero anno conditum ex I ad Attic. 18, observasset, locationem, in quartum Cottæ, et Isaurici censorum annum incidere perspexisset, bellumque illud impedimento fuisse, quominus antea fieret. Quamquam, etiamsi anno superiore fecerint, nihil est causæ, cur de sententia demoveamur. Sed certe non

ibi, *qui de censoribus conduxerant*, legendum est, verum ex Victorii, Lambini, aliisque ante Gruter. editionibus, duobus Grævii codicibus, totidemque Britannicis *conduxerunt*. Recentes erant locationes quoque illæ, de quibus e Livio, XLIII, 16, novimus contumeliæ causa tribunum olim hanc legem promulgasse : « quæ publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius, et Tib. Sempronius (censores) locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, et ut omnibus redimendi, et conducendi promiscue jus esset ». Illi etenim hoc jus quibusdam ademerant.

Cum his confer Maii adnotationem in Cicer. Ambr. sup. p. 594 : « Utrum intelligatur hic lex Sempronia *de ære alieno*, an potius *de fenore*, an *agraria*, an alia ex tot Semproniis legibus, id nos olim eruditis disquirendum permisimus. Nunc doctissimus Garatonius ad hujus orat. cap. 14, de lege Sempronia verba produxit Ciceronis in Verr. III, 6. Sed enim etiam Fronto, lib. II, 4, *ad Verum*, fortasse innuit eam legem his verbis : *Jam Gracchus Asiam locabat*. Leges Semproniæ memorantur etiam in loco quodam a Martiano Capella laudato, lib. V, cap. *a specie vel a forma*. (Est notissimus locus, Philipp. I, 7. Or.) Contendit nihilominus Garatonius putandam non fuisse cum publicanis rationem Sempronia, sed censoria lege. Mihi etsi multa veniebant in mentem quæ hac super re dissererem, tamen id unum dicam, manifestam videlicet veteris alicujus auctoritatem plerumque esse graviorem, quam recentiorum hominum, licet apprime doctorum, argumenta quæ huc illuc conjecturis trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem. Itaque ab interpretis Ambrosiani sententia nondum recedo. Præsertim quum ipse Garatonius locationes Tib. cujusdam Sempronii, censoris cum C. Claudio, memoret e Livio, XLIII, 16 ».

EXCURSUS II

GASPARIS GARATONII

Ad ea verba Ciceronis, orat. pro Cn. Plancio, cap. 16 :

Apud eosque me, ne quinque quidem rejectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere?

Scholiastes in describendo *de fortunis omnibus* omisit : tum reliqua ad finem usque capitis sine varietate protulit, ut omnia, quæ prætermitto. Idem prodit, quod hactenus ignorabatur, proximum illum reum fuisse Vatinium. «Jam, inquit, de sodalitiis causam dixerat P. Vatinius, eodem defendente M. Cicerone, cujus exemplo negat iniquitate Laterensis esse Plancio permissum judices rejicere». Maius V. C. recte adnotat, Ciceronem pro Vatinio dixisse L. Domitio, et Appio Claudio coss. anno 699 (i. e. 700 Almel.), quo proinde Plancium quoque defenderit: sic enim ex Asconio compertum fieri, ut Manutius existimavit. In fragmentorum editione Græviana locus Asconii est, p. 1002. Patricius vero ibi, pag. 1001, ex D. Hieronymi apologia in Rufinum hæc affert : «Lege pro Vatinio (Ciceronis) oratiunculam, et alias, ubi sodalitiorum mentio fit». Ergo et annus, et crimen utriusque accusationis idem fuit. Tamen contra Manutium copiose disputavit Ferratius, vir Romanarum rerum peritissimus, III, epistol. 5, pag. 167 ad 171, et V, 12, pag. 365, ut Plancianam superiore anno Pompeio, et Crasso iterum coss. habitam demonstraret. Silvii, et Pighii eadem sententia fuerat : in eamdem nos ivimus ; qui, postquam Manutianis Ferratiana subjecimus pag. 352, Corradum de C. Alfio quæsitore refutavimus ad cap. 17, actione causæ cum Ferratio retracta. Quod nunc, scholiaste prolato, non licet facere, causamque fatendum

est anno 699 (i. e. 700 Alm.) actam fuisse, quo prætor C. Alfius fuit, eumque, quum majestatis quæstioni sorte præesset, Planciani tamen judicii a Laterense editum quæsitorem. Jam vero, quoniam non tum ratio nos fugit, sed nunc facta est argumentandi conversio, alia ingrediendum est via, et ille in primis explicandus est locus cap. 20, qui nos in eam mentem adduxit: « Sed cur ego sic ago? quasi non comitiis jam superioribus sit Plancius designatus ædilis: quæ comitia primum habere cœpit consul, quum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor: deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium, ut, ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi ». Manet omnino, quod olim statuimus, hisce verbis M. Licinium Crassum, consulem cum Cn. Pompeio iterum, significari. Silvio id affirmanti negavit injuste in sua Ciceronis historia Fabricius. Plancium itaque iis coss. ædilitatem petisse, certo scimus. Sed illud quoque tenendum est, illis perturbatæ reip. temporibus postulari non posse ut recte, atque ordine res agerentur more majorum. Ambitus gliscebat quum maxime: comitia in annum proximum rejiciebantur: consules ex interregno fiebant: reliqui magistratus ipso, quo inibant, anno a novis consulibus renuntiabantur: triceps rempublicam tenebat dominatio, cujus ad nutum, paucis repugnantibus, omnia gererentur. Itaque initio anni 698 Pompeius et Crassus per vim consulatum arripuerunt: statimque, SCto illo impudenter extorto, de quo Plutarchus in Caton. Min. cap. 42, et Cicero ad Q. Fratr. II, 9, ut prætores sine ulla mora contra leges magistratum inirent, P. Vatinium largitione crearunt, et Cato, quod indignissimum fuit, maxima eorum infamia repulsam tulit. Notum est illud Calvi accusatoris Vatiniani dictum, apud Quintilian. IX, 2, pag. 774: « perfrica frontem, et dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Catonem ». Nam « factum », inquit idem in eumdem, Inst. Quintil. VI, 1, pag. 503, « ambitum scitis

omnes, et hoc vos scire omnes sciunt ». Quamobrem Vatinius, qui designatus accusari non potuit, anno sequenti, prætura jam gesta, est accusatus. Idem ut in Plancio fieret, eamdem ineundi conditionem in ædiles translatam oportuit. Id autem non est verisimile: neque Crassus, sed Pompeius comitiis ædilium præfuit, quibus patrata cædes, et sanguine ipse respersus, ut ex Dione, XXXIX, 32, et Plutarcho in Pomp. cap. 53, cognoscimus. Hoc igitur excluso tempore, Plancium postero anno ædilem creatum statuere necesse est, quo uno et causam dixerit, et magistratum gesserit. Quoniam etenim initium a Crasso sumendum est, res ita se habuit. Consul ille comitia creandis ædilibus *primum habere cœpit* : ut more, ac legibus in annum sequentem designaret, in quem legitime Plancius ædilitatem privatus, quum tribunus plebis superiore fuisset, petere instituit : sed *cœpit* tantummodo, perficere ob eas causas non potuit, quibus tum comitia omnia disturbari consueverant : *primum*, inquit, is consul, qui ambitum suis legibus insectatus, ne fieret, maxime laborabat, quas quidem post priora sui consulatus comitia, quæ memoravimus, certe pertulerat : « deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium » : quod in consulatus initium non cadit, quo habenda necessario esse comitia constabat, spatiumque anno superiore ad informandas petitiones haud exiguum jam intercesserat. Cicero ad Fratrem, II, 2, XIV kal. februarias Philippo, et Marcellino coss. de comitiis, quibus P. Clodius ædilitatem petebat, « comitia sine mora, inquit, futura videntur : edicta sunt ante diem XI kalendas februarias ». Sed illa jamdiu exspectata, qualia Plancio sequentia Domitii, aut Appii fuerunt : hæc vero Crassiana non multo ante, ut mos fuerat, edicta, sed paucos intra dies convocata. Protracta igitur comitia sunt, quemadmodum anno superiore, quemadmodum etiam sequente contigit : atque ita iisdem consulibus Cn. Plancius ædilitatem obtinuit, judicium pertulit, magistratum inivit. Spatium etenim accusandi datum oportuit :

quod æquum esse, omnes intelligunt, statutum, et usitatum ex Tullio quoque ipso ad Q. II, ep. 9, cognoscitur, ubi legitima senatorum postulatio refertur, « prætores ita crearentur, ut dies LX privati essent ». Plancio eadem intervalla fuerunt, quæ tum aliis, tum Clodio. Nam hic tribunus plebis fuit anno 695, ædilitatem sequente petivit 696, obtinuit 697. Plancius tribunatum gessit anno 697, deinde 698 candidatus ædilitius fuit, ædilis denique factus 699, de ambitu post Vatinium eadem lege Licinia causam dixit ante, quam eum magistratum iniret.

EXCURSUS III

GASPARIS GARATONII

Ad ea Ciceronis verba, orat. pro Cn. Plancio, cap. 17:

Et si quæsitor huic edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, etc.

Victorius, *C. Alphium:* Ant. Augustinus ex loco inferiori *C. Flavium:* sed cur illum locum non corrigit ex hoc, si habet auctoritatem, quæ confirmet? F. Ursin.—In Franc. prim. *C. Alphium.* Græv. *C. Flavium.* Ita quæsitor hic a Laterensi editus vocatur infra, cap. 42, nec verisimile est, *C. Alphium*, ut habent vulgati, qui hoc anno prætor fuit, editum quæsitorem fuisse. Lall.—Hæc sumpsit vir doctus a Manutio ad cap. 42. Cum his, et Ant. Augustino *C. Flavium* hic legit etiam Pighius ad annum 698, eumque non prætorem modo facit, verum etiam quæstionem ambitus exercentem. Ernestus in Ind. Hist. quamquam nihil decernit, est suspicatus, C. Flavium hic illum intelligi, qui Attici et Bruti familiaris fuit. Contra Corradus in Quæst. p. 263, ed. Lips. ita de Alfio non dubitat, ut hanc orationem anno 699 habitam ex eo demonstrari certissime arbitretur, quod C. Alfius fuerit illo anno *quæsitor.* Ego vero primum hæc observanda duco: Laterensem edere quem vellet quæsitorem potuisse, tum privatum, tum non modo præturam, sed alium quoque magistratum gerentem, ut nihil sit infirmius, quam illa Pighiana prætura, et ambitus sorte data quæstio C. Flavio ex hoc Planciano judicio tributa. Sed tamen in his quæsitoribus extraordinariis dignitatis rationem fuisse habitam, nemo infitiari debet. Qui enim judicio ut præesset, atque, ut cap. 53 pro Cluent. dicitur, *judices coerceret*, eligebatur, cui res plane prætoria committebatur,

eum non mediocri splendore præditum esse oportebat. Pompeius tulit, ut consularis a populo in Milonem quæsitor deligeretur; vide Ascon. arg. pro Mil. Censorium virum ab accusatore delectum ostendimus ad c. 33 pro Sulla. Cn. Domitius prætor similiter ad judicium a propria quæstione alienum exercendum vocatus fuit; vide Ferrat. ad arg. pro Cœl. Video etiam omnes in anno causæ huic assignando falli, præter Pighium et Ferratium. Nam Pighius loc. cit. eam vere in secundo Pompeii et Crassi consulatu collocat: nullam tamen rationem affert, sed eas vidisse arbitror, quas postea Ferratius ad arg. exposuit. Non modo enim Tullius de lege Licinia, tamquam recenti, loquitur, sed etiam Dio, XXXIX, pag. 119, aperte tradit, latam illam fuisse anno 698, Crasso iterum cos. ut cap. 20, non alium possis, quam illum annum, et consulem intelligere. His præmissis, de Alfio videamus. Eum hic retinent omnes libri: tantum aliqui scribunt *Alphium*, ut idem nomen in multis Horatii MSS et edd. Epod. II, 67, scribebatur, ubi cod. Barb. n. 2591, habet *Alpheus*, ut hic prior Ven. *Alfeum:* sed melioribus libris emendatus jam inde a Terentio fuit Horatius, et hic editur *Alfium* pæne ab omnibus cum cod. meo, Barb. et plerisque. Hoc ego nomen a notiori altero *Flavium* oriri potuisse vix putem. Deinde incerta omnia de C. Flavio, et obscura sunt, ut ad cap. 42 videbimus: contra summa erat in C. Alfio iis temporibus omnium consensu dignitas. Nam vere hic eum Cicero appellat *gravissimum hominem, justissimumque:* quum non modo ab ipso privatim dicatur, ad Q. Fratr. III, 3, « quæsitor gravis, et firmus Alfius »; verum etiam dictum Cæsaris referatur in Vat. 16: « C. Alfium præteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem probitatemque cognosset ». Quum autem in Vatinium dixerit Cicero mense martio anni 697, Marcellino et Philippo coss. ex II, ad Q. Fratr. 4, C. Alfium patet repulsam præturæ, de qua ibi loquitur, tulisse anno superiore. Tandem prætor fuit anno 699, Appio et Domitio coss. et

majestatis quæstionem sortitus est, ut omnes docent ex III ad Q. Fratr. 1, § 7; unde conficitur, Alfium prætorem eodem anno 698 designatum fuisse, quo Plancius et ædilis est designatus, et causam dixit. Quod si jam anno 696, quum primum præturam petiit Alfius, satis erat in homine dignitatis ad judicium publicum exercendum, non ab integritate spectata solum, sed etiam ab honoribus, quum nihil amplius in annuis quæstionum judicibus requireretur (vide Excurs. ad Cluent. § 2, 3, 4) qualis antea ipse videtur Alfius fuisse: quanto magis biennio postea idem ille, prætor jam designatus, a probo accusatore Laterensi quæsitor deligi potuit? Cum his conferenda sunt quæ de C. Alfio Flavo adnotantur ad cap. ult.

EXCURSUS IV

GASPARIS GARATONII

Ad ea Ciceronis verba, orat. pro Cn. Plancio, cap. 32:

Sed me, quum tantum jam Plancio deberem, Racilii beneficiis fuisse contentum.

Mendose in cod. Ambros. est *beneficii.* Nam, etsi cum Noltenio, Lex. antibarb. p. 1402, constructionem hanc non esse ab omni latinitate exterminandam censeas, non est ea profecto Ciceroni, illiusque æqualibus tribuenda. Gesnerus in Thes. t. I, pag. 1212, nondum ei plenum Latii jus assertum esse decernit, cui viro doctissimo assentitur similis illius Ruhnkenius ad Velleium, II, 88. De minus antiquis temporibus tamen ipse non abnuo. Quod scire maxime interesset, quidnam Racilio acciderit mali, in eo, ut in aliis ex historia nonnullis, ab hoc scholiaste deserimur. Verumtamen aliquid ille attulit novi: «Exstat, inquit, libellus ejusdem Ciceronis, qui ita inscribitur, EDICTUM LUCII RACILII TRIBUNI PLEBIS, quod sub nomine ipsius Cicero scripsit (non *inscripsit*, ut in codice) in invectionem P. Clodii». Plancii collega Racilius in tribunatu fuit: non autem quo anno Cicero in patriam rediit, ut Maius affirmat, eo fortasse deceptus, quod tribuni plebis annum suum non a kalendis januariis, ut ceteri magistratus, verum ab a. d. IV idus decembres incipiebant: nos etenim ex Tullii testimonio annum 697 (i. e. 698 Almel.), in editione nostra posuimus, Philippo et Marcellino coss. neque aliter in Ciceronis historia Fabricius: quo quidem anno, ut modo diximus, P. Clodium constat ædilitatem gessisse. Hic itaque turbulentus ædilis, sive in concione, sive per edictum Raci-

40.

lium Ciceronis propugnatorem, et Ciceronem ipsum insectatus esse videtur : cui quum Cicero per edictum suo nomine privatus respondere non posset, L. Racilio tribuno, quicum ipse compellatus fuerat, edictum composuit acerbum ac vehemens, ut solebat, in Clodium, cujus Cicero scripti auctor ab omnibus agnosceretur. Erant enim edicta propria magistratuum, quibus in dissensione ad convicia facile abutebantur. Ex multis exemplo sint *Archilochia* illa Bibuli consulis in Cn. Pompeium, ejusque socios edicta, ad Attic. II, 19, 20, 21, et apud Plutarch. in Pomp. cap. 48. Quintius vero Atticus consul, «quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium jecerat», pœnas Vitellianis dedit, ut ex Tacito, Histor. III, 73, morem illum cum republica exstinctum non fuisse sciamus. Quod ait, *in invectionem P. Clodii*, explicantis est, siquidem Cicero de more scripserit, *in P. Clodium ædilem curulem*. Ita scholiastes anonymus, sive hic ipse sit, sive alius, ad Act. I, in Verr. cap. 10, « invectio ad Metellum consulem designatum », quem ibi orator alloquitur. Haud tamen Tullio indignum est verbum *invectio*. Citatur ex II de Invent. 54, quem depravatum locum Michael Brutus jampridem ita emendavit : « Clementia, per quam animi temere in odium alicujus invectio concitata comitate retinetur». Id unus Gruteri codex, tresque Britannici confirmarunt. Ernest. « animi.... concitati invectio », Schützio probante. Propius tamen esset ad literas, « animi... concitati invectiones comitate retinentur ». Habent enim plerique *invectionis* et *retinentur*, unusque Britann. *continentur*.

Ad vitiosam cod. Ambros. lectionem *beneficii*, Maius, a Garatonio nondum meliora edoctus, sed perseverans in prava opinione prius emissa, hæc annotat in Cic. Ambros. sup. p. 606 : «Nota lectionem diversam ab ante edita *beneficiis*, vel *beneficio*. Nota etiam *contentum* cum genitivo; cujus syntaxeos exempla apud Livium, Ovidium, Paterculum, Curtium, Apuleium, Justinum, Digesta, Dictymque Cre-

tensem laudantur a Vossio, de Gramm. VII, 2; ab Heinsio ad Patercul. II, 88, et a Forcellino in *Lexico*. Quare hanc locutionem in Ambrosiano palimpsesto nullatenus mendosam existimo». Recte hæc refutavit Schütztzius, t. XVI, p. 3, pag. 271; sed in scholio Ambros. male scripsit *beneficio:* in scholiis enim talia immutari non debent. De constructione v. *contentus* cum genit. cf. Ruddimann. tom. II, pag. 108.

GASPARIS GARATONII

DIATRIBE

DE C. MARII MONUMENTO AD CICERONEM

PRO SEXTIO, CAP. 54,

ET PRO PLANCIO, 32.

(EXCURSUS V.)

An, quum Patres illo senatusconsulto, quod in monumento Marii factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cnæo Plancio gratias egerint, etc.

---

1. De insigni hoc monumento ad Sextianam, cap. 54 extr. pauca olim diximus : plura deinde otiosi congessimus. Tria de Ciceronis reditu senatusconsulta fuerunt : enumerat ipse pro Sext. 54 et 61. Primum hoc fuit, « quum in templo, inquit, Honoris Virtutis honos habitus esset virtuti, Caiique Marii conservatoris hujus imperii monumentum municipi ejus, et reip. defensori sedem ad salutem præbuisset ». Quæ sibi gloriosa sequuta sunt, narrat cap. 56, « recenti nuntio de illo SCto, quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato ». Haud scio, an ibi *Honoris* exciderit, ut superiore loco multis in libris. Honos quidem, qui virtutem sequitur, qui non præ virtute, sed post virtutem est expetendus, priorem tituli locum non teneret, opinor, nisi constructio juberet grammatica. Verus itaque titulus fuerit, HONORI. VIRTUTIS. qui virtute paritur, eamque comitatur. Similis tituli ratio in templo *Herculis Musarum*, quem *Musageten* appellant, Musarum chorum Apollinis loco ducentem ; quem tamen, si liceret, φιλομοῦσον mallem. In Bellorianis urbis vestigiis tabula secunda est, AEDIS. HERCVLIS. MVSARVM. neque tamen aliter inscribi debuit, quam

HERCVLI. MVSARVM. etsi Musis haud minus esset ædes consecrata, quam Herculi. Ait enim Cicero pro Archia, c. 11, M. Fulvium illum Nobiliorem *Martis manubias Musis consecrasse :* quarum statuas Ambracia sublatas quum in eo templo Fulvium dedicasse scribat Eumenius pro Schol. c. 7, earum causa templum illud exstruxisse facile intelligitur : Herculem vero comitem, ducemque adjunxisse, ne Musis amicior, quam bellatori convenit, videretur, quum præsertim, qui id probro ei darent, non deessent; eaque conjunctione, quod eum non fefellit, duarum sibi apud posteros monumentum laudium statuisse. Æque igitur ædes illa Musarum dici potuit, atque hæc Mariana *Virtutis.* Quod autem passim *Honoris et Virtutis* appelletur, ea re significatio primaria non tollitur : est enim eadem ἐν διὰ δυοῖν. Ita in honorario temporum optimorum titulo apud Ægyptium ad SC. de Bacchan. t. VII Livii Drak. p. 207, MESSALLAE. HONORIS. ET. VIRTVTIS. CAVSA. h. e. honoris ejus virtuti habendi causa. Et in præstantissima inscriptione, quæ adhuc Romæ sub Capitolio conspicitur, apud Gruterum, CCCCLV. I. C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS. VIRTVTISQVE. CAVSSA. SENATVS. CONSVLTO. POPVLIQVE. JVSSV. LOCVS. MONVMENTI. QVO. IPSE. POSTEREIQVE. EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST. Deinde consuetudo loquentium, quæ plurimum valet, multa sæpe transformat : postremo constat ex Liv. XXVII, 25, duos fuisse illos revera habitos deos. Videbat sentiebatque cum omnibus Lucius quidam Ulpius apud Gruter. cap. 4; sed originem illam ignorans, suo judicio nominum ordinem invertit, ut rectum faceret: VIRTVTI. ET. HONORI. L. VLPIVS. MARCELLVS. LEG. AVG. PR. PR. PANNON. INF. V. S. Idemque ordo Plutarcho placuit, de Fort. Rom. t. VII Reisk. p. 264, in ædis Marcellianæ titulo commemorando, quam deinde, p. 277, pro re scilicet, quam agebat, unius Virtutis nomine appellat. Sed in antiquo denario apud Morell. in tabula Fufiorum,

et Eckhel. T. V. D. N. p. 220-256, extimum est laureatum Honoris caput, galeatum Virtutis interius, ut prior inscriptio sit HO. secunda VIRT. Et in Galbianis, quos Eckhelius adjecit, HONOS. ET. VIRTVS. Typus ille ab Havercampio Th. Morell. p. 185, ad exitum belli socialis videtur mihi egregie relatus. Honos enim habitus est certe virtuti, civitate sociis, et Latinis data.

2. Virtutem autem, qua de agitur, bellicam intelligo; quæ semper maxime honori fuit. Marcum enim Marcellum æmulatus est C. Marius; ut imperatores duo præstantissimi duo templa iisdem nominibus dedicarint. Quæ res nostris hominibus, ut paullo post videbimus, fraudi fuit. Tertius addendus est clarissimus imperator Q. Fabius Maximus. Sic enim, de Nat. Deor. II, 23: «Vides Virtutis templum, vides Honoris, a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum». Nam primum solius Honoris templum exstitisse, de Legg. II, 23, ipse testatur, eamque illius condendi causam enarrat, quæ nihil ad Fabium, cui a Wesselingio tribuitur. Fuisse dicitur *extra portam Collinam*, quum Marcellianum fuerit ad Capenam. Quid ni igitur solius etiam Virtutis ædes exstiterit? Et quidem a Scipione Numantino conditam tradit Plutarchus de F. R. l. c. quod si ita sit, addendum est illud, quod posui, *et Virtutis*, præsertim quum in Sextiana similiter turbatum fuerit. Eoque libentius copulam, quæ optime deest in Sextiana, hic agnoverim, quod et exstat in Verr. IV, 54, et Marcelli templum duas cellas habebat conjunctas in latitudine, suo quamque pronao, atque ostio, quas idcirco *ædes* appellant Livius l. c. et Plinius, XXXV, 10, contra in Mariano una erat, eaque ostio in postica parte, porticu tamen non deficiente, carebat. Docet Vitruvius, de quo mox erit agendum. Deinde, quum proxime Cicero Fidem ante Scaurum a Calatino consecratam dixerit, cur non ibi potius posuit, *multis ante annis?* Nunc multos annos inter Fabii opus et Marcelli fuisse vult, qui æquales fuerunt. Fabius anno 520

de Liguribus triumphavit: opus cito perfici potuit. Marcellus post insignem ad Clastidium pugnam, in qua ædem illam voverat, triumphavit anno 526. Opus quæ causæ retardarint, nemo prodidit: anno 545 perfectum vix fuit, quo anno quum in prælio Marcellus occubuerit, dedicare ipse non potuit. Tempus inter hos terminos longum sumi non posse, Bulierio et Davisio, qui negationem inserebant, Wesselingium concedere necesse fuit, Observ. II, 5. At Livium opponit, XXVII, 34, qui M. Salinatorem scribit « multis ante annis ex consulatu populi judicio damnatum » iterum anno illo consulem factum. Is vero, qui anno 534 (535 Almel.) consul fuerat, anno 546 iterum fuit. Wesselingii subscriptor Ernestus recte locutionem hanc vocat, ut dialectici loquuntur, σχετικήν. Livius igitur tempus intuetur illud, quod vita hominum potest in rebus agendis consumere, Cicero in omni urbis antiquitate spatiatur. Postremo, quod caput est, templum non videtur viro doctissimo renovatum a Marcello, sed institutum. Mihi quidem aliud consilium est, sed tamen ab eo refectum credere vix possim. Hoccine ut factum sit, vivo, et imperiis laudibusque florente Fabio? quod erat jus in aliena monumenta Marcello? Ille itaque pro amicitia concesserit. Neque hic petisset, neque ille permisisset, nisi, tam recens quum esset, vitium tamen fecerit, jam jamque corrueret. Immo ne ita quidem. Ego, ut breve faciam, sic intelligo: si templum solius virtutis exstiterit, secundo loco *Honoris et Virtutis* ponendum esse: nc verbum contra libros addamus, duas cellas *templa* vocari, ut *ædes* eædem a Livio et a Plinio: renovatum a Marcello ædificium non fuisse, sed titulum: *renovatum* porro *templum* iisdem diis ita dici, ut aliorum exempla, quum quis in se transfert, denuo edit, exsequitur, *referri* ac *renovari* dicuntur. Fabium itaque iisdem nominibus de manubiis Ligusticis aliud antea condidisse, quod fortasse Ciceronis tempore non exstabat, certe autem alterius magnificentia, et ornamentis Sicularum urbium egregiis obruebatur. Tarditatis autem

illius causæ, reipublicæ, quum Hannibal urgeret, urbisque status, bellum Siculum, spesque prædæ non fallax, manubiæ denique ipsæ, fuisse videntur.

3. Nunc ad C. Marii monumentum redeamus, in quod Cicero, de Divinat. I, 28, scribit se deduci somniasse. Quum deorum nomina ne ibi quidem adjecerit, Hottingerus fidem habuit eadem narranti Valerio Maximo, I, 7, 5; hic autem, « in æde, inquit, Jovis Mariana SCtum de reditu ejus est factum ». Magnus Valerii error, ab editoribus non animadversus, qui duo in Sextiana, c. 54 et 61, perspicue distincta senatusconsulta confuderit, templumque Jovis Capitolinum C. Mario imprudens adscripserit, aliorum errorem sublevat, qui duo deorum eorumdem templa non distinxerunt. In his Piranesius, vel potius archæologus ille, quem consulebat, duobus Vitruvii locis ausus est in ædis Marianæ sedem Marcellianam invitam emendatione pertrahere. Hi sunt loci, quibus Ciceronis auctoritatem adjunxi, quum Sextianam interpretarer. Alter III, 1, apud Schneid. 2: « Peripteros (ædes) autem erit, quæ habet in fronte et postico senas columnas... habeatque ambulationem circa cellam ædis, quemadmodum est in porticu Metelli, Jovis Statoris Hermodi, et ad Mariana Honoris et Virtutis sine postico (ostio) a Mucio facta ». Hic nihil aliud, nisi præpositio tollenda, ut Mariana porticus intelligatur, quæ vox initio posita est, nisi mavis ædem intelligere, vel etiam *ad* in *æde* convertere. *Hermodi* architecti nomen, quod ignoravit Junius, Turnebus, Advers. XI, 2, mutat in *Hermodori*, sane probabiliter. Sed Piranesius non modo Rodium plane decepit, verum etiam de præstanti Schneideri memoria, admirabili doctrina viri, Ciceronem excussit, qui Marcelli nomen in hac conjectura posuerit: « quemadmodum est in porticu Metelli: hujusmodi et ædes Honoris et Virtutis Marcelli sine porticu a Mucio factæ ». Quod *Hermodi* nomen expunxit, et *hujusmodi* duobus ex libris arripuit, Jove quoque Statore sublato, quem illi ipsi libri retinent, nihil id mea nunc in-

terest. Sed quod *sine porticu* maluit, quam *sine postico*, Vitruviana descriptio ædis peripteræ, si recte intelligo, aperte repugnat. Denique *facta* in Marcelli monumento recte, in Mariano, cujus cella erat una, necessario dicitur. Locus est alter in septimi libri proœmio, n. 17, de C. Mucio architecto, « qui magna scientia confisus ædes Honoris et Virtutis Marianæ cellæ, columnarumque (externæ porticus) et epistyliorum symmetrias legitimis artis institutis perfecit ». Legendum esse, « ædis Honoris et Virtutis Marianæ cellam », tam est perspicuum, ut non ita jam editum valde mirer.

4. Jam his, ut animus ferebat, expositis, de Marianis inscriptionibus aliquid habeo, quod dicam enucleatius, quarum exemplum celebre vix olim attigimus. Illud vero cum ceteris ejusmodi omnibus Maffeium sequutus Ruhnkenius ad Velleium, II, 12, p. 109, commentitium existimabat. Sed optime illa omnia egregie conscripta elogia Morcellius noster de stylo inscript. pag. 155, omni liberat suspicione, qua temere damnabantur. Nam statuis virorum illustrium Augustus ea in foro suo subscribenda curavit: municipia deinde Italiæ descriptionibus multiplicarunt. Marianum hoc Arretii quoque et Arimini exstabat. Romæ vero duo sunt duarum basium prolata fragmenta, e foro tamen Augusti neutrum. Est enim alterum grandibus, elegantibusque literis, quales Trajani tempore incidebantur, ut in hujus foro aliam C. Marii statuam dedicatam fuisse significet. Neque enim ampliari tantopere in ipso Augusti foro basis potuit nova, quum propter statuarum multitudinem, ut adnotavit Morcellius, etiam binæ una in basi constiterint. Trajanum autem veteres titulos diligentissime conservasse, vel una hæc satis testatur inscriptio Gruter. CXC, 4: M. CALPVRNIVS. M. F. PISO. FRVGI. PR. EX. S. C. FACIVNDVM. CVRAVIT. EIDEMQVE. PROBAVIT. IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA. TRAIANVS, etc. OPERIBVS. AMPLIATIS. RESTITVIT. Fragmentum hoc in ædibus Pomponii Læti vidit Smetius,

ex quo Gruterus edidit, pag. 436, 2, ad Fulvium Ursinum postea demigravit, ipso teste ad Cæsarem, Bell. Gall. II, 4, edit. Jungermanni, col. 467. Alterum vero longe plenius, sed minoribus literis, quod habet ex Mazochio Gruterus, ibid. n. 3, non ex pluribus, ut adnotatur, particulis ille contexuit, sed illa ipsa est pæne integra inscriptio, quam in via Flaminia, inter Augusti mausoleum et collem hortulorum inventam, ex Fulvio et Marliano refert Nardinus, Rom. antiq. IV, 10. Longe abest inde forum Augusti, quod erat inter Romanum vetus et Nervæ recentius, hoc est, ab ea parte Romano continens. Quid ergo est? nam de monumenti Mariani loco non est laborandum, quum ejus esse loci videri plane inscriptio non possit. Sed a Suetonio mihi tenebris circumfuso lux tandem affulget. Is in Caligula, cap. 34, « statuas, inquit, virorum illustrium ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium campum collatas ita subvertit, ut restitui salvis titulis non potuerint ». Torrentius et Lipsius intellexerunt, statuis diffractis et comminutis, inanes cum titulis bases furori stultissimo superfuisse. Locus est de statuarum honore, non de omni clarorum virorum memoria: neque Livianos libros abolere quum cogitaret, illorum laudibus obtrectabat, quæ prædicantur a Livio, sed historicum tam præclarum loquacitatis homo fatuus accusabat et negligentiæ. At cur, si *suis titulis* Suetonius dixerit, clarius hoc putent fore, non video. Salvos dicere optimum fuit, sive *restitui titulis*, qui *salvi* erant, intelligas, sive quum *salvi* essent in basibus *tituli*. Nunc ex eo numero titulum, qui C. Marii statuæ subscriptus fuit, salvum cognoscimus. Illud ignotum est, titulosne Capitolinos servarit Augustus, an de foro suo descriptos subjecerit. Servavit fortasse aliquos: hic, ut se res hactenus habet, videatur ex foro.

5. Atqui res ita converti potest, ut novus in campo fuerit, deinde in fori porticibus novæ C. Marii statuæ idem subscriptus. Nam hoc ordine Augustus ipse in monumento

Ancyrano, pag. 174 editionis Chishullianæ usus est: CAPITOLIVM — IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE. VLLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI. Quis non videt, in ea refectione statuas in latissimum campi Martii locum ex angustissimo translatas fuisse? Deinde post pauca: FORVM. IVLIVM. ET. BASILICAM — COEPTA. PROFLIGATAQVE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. Hoc certe haud paullo ante, quam forum suum conderet, factum oportuit. Suetonius, cap. 29: « Fori exstruendi causa fuit hominum et judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere ». Quocirca in monumento sequitur: MARTIS. VLTORIS. TEMPLVM. FORVMQVE. AVGVSTVM. FECI. Nempe post consulatum suum septimum anni 726, cujus initio Augusti nomen ei delatum fuit. Et multo quidem postea. Nam templum illud anno 734, signis, quæ Parthi ceperant, restitutis, faciendum decrevit. Id jam notavit ex Dione Noris. Cenot. Pisan. II, 8. Dedicavit denique consulatu suo 13, anno 751, quod Velleius, II, 100, memoriæ prodidit. Quamquam etenim forum narrat ibi Suetonius « festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum fuisse », existimare tamen oportet, non multum temporis inter eas dedicationes intercessisse. Itaque a Dione libri LV parte deperdita proxime conjungebantur. Superstes testatur index, in quo non ἱερὰ, quod inepte refertur ad domum, sed ἀγορὰ, *forum*, cum Chishullo sine dubitatione legendum est. Illam vero de foro partem non resarcit codex egregius, ex quo nuper summus vir, mihique amicitia vetere conjunctissimus, Jacobus Morellius ex altera parte, quæ ad templi dedicationem pertinet, complura protulit Suetonianis multo ampliora. Jam neminem futurum puto, qui veterem illam de duobus templis Marti ultori ab Augusto factis mihi objiciat fabulam, postquam ab eruditissimis viris, Massone in Ovidii vita, tom. IV edit. Burm. pag. 68; Fabricio et Reimaro ad Dionem, LIV, 8, eodemque Morellio, pag. 5 edit. Paris. ita explosa est,

ut revocari non possit. Eckhelius autem, tom. VI doctrinæ nummorum veterum, pag. 95, intelligens profecto vir atque diligens, cur sententiam ferre apertius noluerit, non dispicio. Argumentum etiam de nummis, quo deceptus est Chishullus, pag. 203, et ipse in refellendo Masson, cur non attigit? nam, quod muneris erat sui, facile dissolvisset. Martis ultoris templum nummi rotundum exhibent, atque monopterum. Quod sex columnæ in aliis conspiciuntur, in aliis quatuor, duo fuisse templa creditum est. Massonis ridicula defensio est, facies et latera in ea figura inesse atque differre. Quis non videt, medio ampliato intercolumnio, spatium artifici defuisse? quis ex illis nummorum angustiis vera ædificia metiatur? specimina sunt; ad amussim nihil. Duæ igitur detractæ omnino columnæ sunt: quarum si recta institutio fuit, sex apparere oportuit in hemicyclo, totidemque in averso fuisse, ut duodecim in circuitu numerarentur. Suspicari etiam licet, cella templum, etsi non apparet, minime caruisse. Quid plura? unum fuisse satis indicat Augustus ipse in actis illis suis, p. 175, 176. Jam igitur si hunc Marianum in campo titulum ab Augusto profectum dicamus, antequam forum ædificaret, novisque statuis exornaret, inanis conjectura non erit.

6. Illa vero sane levior, quæ a mausolei vicinitate ducitur: quum indicium habeamus loci porticu, statuisque ad viam Flaminiam ornati, isque locus in mausolei conspectu fuerit, eum videri ab Augusto delectum mausolei sui causa fuisse, quo, ex Capitolio quas tolleret, statuas comportaret. Opus illud insigne, quod Strabo, V, 8, tantopere admirabatur, Augustus « inter Flaminiam viam ripamque Tiberis », ut tradit Suetonius c. 100, « sexto suo consulatu exstruxerat ». Annus fuit in Fastis 725. Ita intra paucos annos Capitolii refectio conclusa inscriptionem, qua de agimus, ante forum conditum positam in campo Martio doceret apertius. Denique in æde Honoris et Virtutis aliam ab ipso C. Mario inscriptionem collocatam oportuit, breviorem illam, opinor,

ut dedicationis ratio et locus in templi fronte postulabat. Qui vero elogium Augusti jussu conscripsit, hæc inde sumpsit: DE. MANVBIEIS. (*manibiis* Augustus ipse scripsisset) CIMBRICEIS. ET. TEVTONICEIS. AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT. Sic in lapide his paucis annis Romæ detecto L. Mummius, qui Corinthum delevit, post multa interjecta, IMPERATOR. DEDICAT. Arretinum exemplum emendavit recte Gorius, Inscript. Etrur. t. II, p. 252, neque minus recte Vitruvianis locis est usus. Erat enim illo in exemplo ET. VICTOR. quasi, *et Victoriæ*. Ex his tandem apparet, inscriptiones Marianas Romæ in operibus publicis fuisse has: primam in æde ab ipso Mario, secundam publice in Capitolio, ex qua fortasse extremum illud est, VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PATRICEIS. nisi potius ad templi dedicationem pertinet, atque ab ipso Mario fuit: tertiam ab Augusto in campo Martio ante mausoleum, quæ in illius foro eodem exemplo fuit: aliam denique similem in foro Trajani.

(De templo Honoris et Virtutis exstat Thorlacii Prolusio, Opuscul. p. 177 seq. quam ab aliis tantum laudatam vidi; ita ut quid novi afferat, hic referre nequeam.)

EXCURSUS VI
GASPARIS GARATONII

Ad ea verba Ciceronis, orat. pro Cn. Plancio, cap. 34:

Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse, quod mihi meæ, quas ad aliquem misissem, obfuissent.

Scholiastes: « Significat epistolam non mediocrem, ad instar voluminis, quam Pompeio in Asiam de rebus suis in consulatu gestis miserat Cicero, aliquanto, ut videbatur, insolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret: quod quadam superbiore jactantia omnibus se gloriosis ducibus anteponeret. Hoc igitur vult esse purgatum, dicens, nuntiasse Cn. Pompeio patriæ conservationem, nec inscienter de semetipso gloriatum. Obfuerunt autem re vera: nam sic effectum est, ut ei Pompeius contra Clodianam vim non patrocinaretur». Manutius illas ad Pompeium scriptas fuisse literas recte suspicabatur. Sed nihil suspicione opus esse Cicero ipse declarat pro Sulla, cap. 24: « Hic tu epistolam meam sæpe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis, et de summa republica (ita cod. Bavar. non *reip.*) misi ». Qui sæpe summa eloquentia res suas gestas extulerit, videatur sane in illa etiam epistola gloriosus fuisse: quamquam ut longior esset, res ipsæ poscebant: haud tamen ita, ut ullo modo Pompeium offenderet, « omnibus a se pictum, et politum artis coloribus », ut ait ad Atticum, II, 21, « cujus ad gloriam augendam tanto studio se dederat », ut eum Q. frater monuerit cap. 4 adversarios ob id in petitione consulatus ei non defuturos: cui denique illo ipso tempore consul « supplicationem, confecto bello Mithridatico », ut c. 11 de Prov. consul. dicit « duplicatam », h. e. dierum duplo, quam sole-

bat, plurium decernendam curaverat. Itaque offensus ipse vere, graviterque, sed familiariter hominem cautum, atque omnia circumspicientem accusavit, Epist. V, 7: «Res, inquit, eas gessi (de quibus ad eum copiose jam scripserat), quarum aliquam in tuis literis et nostræ necessitudinis, et reip. causa gratulationem exspectavi: quam ego abs te prætermissam esse arbitror, quod vererere, ne cujus animum offenderes». Erat enim ob eas ipsas res magna in invidia Cicero: intima Crasso et Hortensio simultas inerat, ut ex epistolis ad Atticum novimus: oppugnabatur a C. Cæsare prætore, qui jam tum apud plebem ex Marianis partibus, et ex largitione gratiosus remp. valde turbabat: infestos tribunos plebis habebat Calpurnium Bestiam et Metellum Nepotem: hi tres Pompeio assentabantur, eumque Ciceroni opponere conabantur: ad eum denique Nepos profugit iratus. Quo referendum est fragmentum illud orationis Metellinæ apud Quintilianum, Instit. Orat. IX, 3, pag. 811: «Venit ex Asia (hoc ipsum quam bonum!). Tribunus plebis venit ex Asia..... verumtamen venit». Nam repente inde redierat. Hæc omnia testantur Plutarchus in Cic. cap. 23, 26, et Dio, XXXVII, cap. 37 ad 44. Quo tum animo Pompeius esset, quum nobis ipsis licet jam intelligere, tum Cicero, qui probe illum noverat, optime judicavit. Erigebat ergo virum et victoriis et cognomine Magnum, et confirmabat his verbis: «Sed scito ea, quæ nos pro salute patriæ gessimus, orbis terræ judicio ac testimonio comprobari». Præclara vero, summoque viro digna postrema illa sunt: «Quæ, quum veneris, tanto consilio, tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo majori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Lælium, facile et in rep. et in amicitia adjunctum esse patiare». Jam, quoniam Pompeii silentium, ejusque causam cognovimus, an offensionis tamen aliquid ostenderit, videamus. Atqui eum, antequam in urbem rediret, «nobis amicissimum constat esse», scripsit Cicero ad Att. I, 12,

in ipso adventu; «ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit», Philipp. II, 5, quem locum attulit Maius : denique, quum primum in senatum venit, « omnia illius ordinis consulta laudavit (ad Att. I, 14). Tum Crassus, posteaquam vidit illum excepisse laudem ex eo, quod suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeque de meo consulatu loquutus est.... Proxime Pompeium sedebam : intellexi hominem moveri : utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse prætermisisset, an esse tantas res nostras, quæ tam libente senatu laudarentur, etc.» Cum his superiora si conferas, quibus Pompeii silentium redarguerat, qua esset prudentia Cicero, intelliges. Sequitur epist. 16 de se et Pompeio : « multa et jucunda consuetudine conjuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti commissatores conjurationis barbatuli juvenes illum in sermonibus Cnæum Ciceronem appellent». Item epist. 19: «Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel, sed sæpe, multisque verbis hujus mihi salutem imperii atque orbis terrarum adjudicarit. Quod non tam interfuit mea (neque enim illæ res aut ita sunt obscuræ, ut testimonium, aut ita dubiæ, ut laudationem desiderent), quam reipublicæ: quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur». Insignis etiam est locus, II, 1, quo purgat se de Pompeii jam nimium popularis familiaritate objurgatus ab Attico: eumque « de meis, inquit, rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius, quam de suis, prædicare: sibi enim bene gestæ, mihi conservatæ reip. dat testimonium». Pergit epist. 3 : «conjunctio mihi summa cum Pompeio». Illa vero notari velim «ex rerum illarum dissensione, in quas eum multi incitarant», ut ad ea, quæ de pristino Pompeii silentio diximus, adjungantur. Ubinam igitur tanta illius

epistolæ insolentia, quæ post quadriennium denique erupturam inimicitiam pepererit? Nam quæ de subdolo quodam, tectoque homine dicuntur ad Att. I, 13, perperam de Pompeio Manutium aliosque intelligere, tot adversa, quæ attulimus, testimonia demonstrant. Sensit Tunstallus, et in severissima ad Middletonium epistola, p. 36, Q. Hortensium significari optime docuit. Fuit omnino illa inimicorum calumnia; quorum stultitia ita cum iniquitate certabat, ut nescias, utrumne magis læderent, Ciceronem an Pompeium. Simillima est alia, quam in Pisonem, cap. 29, ipse Cicero refutavit. Dixerat enim hujus consulatum collaudans L. Piso: « non illa tibi invidia nocuit, sed versus tui: scripsisti enim, Cedant arma togæ... tuæ dicis togæ summum imperatorem esse cessurum ». Deinde post multa, cap. 30, « Hoc tamen intelligi, scelerate, vis, Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum: ut, si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quæsita ». Totum vide locum: nam responsionem necesse non est, re jam patefacta, describere. Quam quidem rem ex epistolis potissimum declaravi, ne cum Tunstallo, l. c. pag. 48 et 50, mihi quisquam objiciat, multa in orationibus falsa temporis commodique causa referri. Ornate, haud tamen falso dixit pro Domo, cap. 11: « Quod enim par amicitiæ consularis fuit umquam in hac civitate conjunctius, quam fuimus inter nos, ego et Cn. Pompeius? etc. » At veram dissidii inter eos exorti causam reticuit, culpamque tum ibi, tum pro Sext. cap. 18, et in Pison. cap. 31, in homines improbos contulit. Erat enim veritas, vivis florentibusque Pompeio et Cæsare, dissimulanda; neque publici eadem ratio sermonis est, quæ familiaris. Postquam vero illi perierant, Philipp. II, 10, ausus est dicere, C. Cæsaris opera Pompeium « a sua familiaritate fuisse disjunctum ». Comprobat id Plutarchus in Cic. c. 30. Illa nimirum ab coitione Pompeii cum Cæsare et Crasso causa est repetenda, qui remp. quum occupassent, cujus

amantissimus Cicero semper fuit, non potuit inter eos dissensio non consequi. Quæ paullatim eo progressa est, ut, quum « Pompeius se totum Cæsari tradidisset » (l. c. Philipp.), simulatione, doloque interposito, perniciem denique incauto attulerit, et immerenti. Ut Clodium vidit tribunatus causa ad plebem translatum, exarsit Cicero iracundia, quum tamen spes eum quædam falsa deciperet. Scripsit ad Atticum, II, 9: « Si vero quæ de me pacta sunt, ea non servantur, in cælo sum; ut sciat hic noster Hierosolymarius (Pompeius) traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit, quarum exspecta divinam παλινῳδίαν ». Pompeio tamen adjuranti credebat, neque ipse sibi constabat, ut ex iis epistolis, II, 20, etc. patet: illum scilicet perdite amabat, ut epist. 21 ipse indicavit. Experti tandem gravis, et philosopho digna oratio est, ad eumdem Atticum, X, 4, belli civilis initio: « Cogito..... quid intersit inter me et istos, quos propter omnia amisimus (Pompeium et Cæsarem). Hi sunt, qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt licentiam cupiditatum suarum, quorum societatis, et sceleratæ consensionis fides quo eruperit, vides ». Tum de Pompeio: « qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem, qui se nihil contra hujus (Cæsaris) voluntatem aiebat facere posse ». De hoc Pompeii responso, ac de utriusque perfidia notissimus Dionis est locus, XXXVIII, 15. Sic itaque pergit Cicero: « Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur, etc. » Vera igitur illa sermonis non liberi vox, pro Domo l. c. « Ego vero neque me tum desertum puto, sed pæne deditum »; vereque προδοσίαν illam Plutarchus appellat, in Pomp. c. 49. Denique, ut finem faciam, si Pompeius, quamquam nullum dedit initio plausum, iratus ob eas literas Ciceroni non fuit; si postea longe graviore de causa illum prodidit, nedum deseruit, errat profecto cum accusatore scholiastes: qui respon-

sionem adeo Ciceronis, nescio qua mente, falsam comminiscitur, quasi quæ *leviora* esse dicit, iis aliquid adjiciat ponderis. Ita enim pro sua dignitate ac prudentia respondet: «mihi obfuisse non intelligo», quia nihil ea de causa offensionis in Pompeio cognoverat; «reip. video prodesse potuisse»: neque enim profuerunt, quum Pompeius a senatu desciverit, quem retinere in optimatium partibus potuissent, ut suis opibus consensum bonorum, conjunctionem ordinum, vim adversus improbos cives et remp. concutientes corroboraret. Tecte hoc significat, ne reconciliatum Pompeii animum pungat restitutionis suæ beneficio devinctus.



TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC QUARTO VOLUMINE SECUNDÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

FINIS QUARTI VOLUMINIS SECUNDÆ PARTIS.



CONDITIONS DE LA SOUSCRIPTION.

Le prix de chaque volume, grand in-8°, en papier fin satiné, presque grand-raisin, est de six francs, quand il est au-dessous de trois cents pages: de dix francs, quand il ne passe pas trente-quatre feuilles d'impression, c'est-à-dire 544 pages : de douze francs cinquante centimes, quand il monte depuis trente-cinq jusqu'à quarante feuilles inclusivement : et de quinze francs, quand il s'élève au-delà de quarante feuilles, quel que soit le nombre auquel l'abondance des matières puisse le porter.

La Collection se compose des 34 ouvrages suivants: *Catulle*, *César*, Cicéron, *Claudien*, *Cornélius Népos*, *Florus*, Horace, *Justin*, *Juvénal*, Lucain, *Martial*, *Ovide*, Perse, *Phèdre*, Plaute, Pline l'ancien, *Pline le jeune*, *Properce*, *Quinte-Curce*, *Quintilien*, *Salluste*, Sénèque, *Silius Italicus*, *Stace*, *Suétone*, *Tacite*, *Térence*, *Tibulle*, *Tite-Live*, *Valère-Maxime*, *Valérius Flaccus*, *Velléius Paterculus*, *Virgile*, et *Poetæ Latini minores*.

N. B. Les VINGT-SEPT Auteurs indiqués en lettres italiques sont ceux dont l'impression est terminée: il n'en reste donc plus à finir que SEPT, qui sont TOUS sous presse, et dont il a déja paru plusieurs volumes.

On souscrit, à Paris, chez MM.

N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, N° 16, au Marais;
BOSSANGE Père, Libraire, rue de Richelieu, N° 60;
BRUNOT-LABBE, Libraire, quai des Augustins, N° 33;
DE BURE frères, Libraires du Roi, rue Serpente, N° 7;
FIRMIN DIDOT, Imprimeur-Libraire, rue Jacob, N° 24;
DONDEY-DUPRÉ, Imprimeur-Libraire, rue de Richelieu, N° 47 *bis*;
MONGIE aîné, Libraire, boulevard des Italiens, N° 10;
JULES RENOUARD, Libraire, rue de Tournon, N° 6;
REY ET GRAVIER, Libraires, Quai des Augustins, N° 55;
ROUSSEAU, Libraire, rue de Richelieu, N° 107;
TREUTTEL ET WURTZ, Libr. rue de Bourbon, N° 17;
VERDIÈRE, Libraire, quai des Augustins, N° 25;
Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.



